

poterit a Spiritu Sancto spiritus inquinatus, aut tristis a læto, aut impeditus a libero; nemo adversarium recipit, nemo nisi comparem suum admittit. »

Spiritus sanctus fugit fictionem et amat simplicitatem. Porro, Spiritus Sanctus maxime fugit fictionem et fictos, qui virtutes nomine vitiorum, et vitia nomine virtutum palliant, itaque multos seducunt, dum virtutes in vitia, et vitia in virtutes transformant: nam ut vere ait Cassiodorus « Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus salve dicit: prodigos vocat liberales, avaros parcos et sapientes, lascivos curiales, garrulos affabiles; obstinatos constantes, pigros maturos et graves, hæc sagitta leviter volat, cito infigitur; » et Seneca, *epist.* 21: « Per adulationem vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt, temeritas sub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur: in his certe magno periculo erramus. » Denique, sicut Spiritus fugit fictionem et dolum, sic amat et ambit simplicitatem, candorem et amorem. Audi S. Augustinum, lib. *De Moribus Ecclesie cathol.* cap. XVI: « Dicit Paulus, *Rom.* v. 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Dicit Propheta, *Sapient.* I, 4: *Sanctus enim spiritus disciplinæ effugiet dolum; ubi enim dolus, charitas nulla est.* »

Fictio dedecet principes, et sacerdotas. Jam vero dolus, fictio et mendacium omnes dedecet, sed maxime principes et rectores: hi enim fingendo et fallendo perdunt omnem fidem et auctoritatem apud subditos, vicinos et externos; unde Leo imperator, *Exhort. ad filium*, cap. XXIX: « Maximi, inquit, pendito veracem te esse, et veraces homines in familiaritatem tuam admittere: ita enim firmus et constans in omnibus dictis et factis existimaberis, ac veram et non suspectam tuorum erga te benevolentiam obtinebis; si autem in vanitatis et mendacii suspicionem veneris, indigna agere imperatoria majestate, qua auctus es, convinceris, efficiesque ut subditi semper formidolosi, rerumque omnium incerti et titubantes vacillent. » Et cap. XXXVI: « Dicere autem oportebit ea quæ plane scies, aut ea quæ temporis ratio postulabit; de cæteris omnibus silere satius erit, quam loqui: nam principem non nisi vera, opportuna, et magni momenti verba proloqui decet. » Rursum, fictio plane indigna est in sacerdote, rebus sacris et sacramentis; estque peccatum sacrilegii; unde Hesychius in cap. X *Levit.*, et habetur de *Penitent.* dist. 3, cap. LIII: « Inter hæc sicut vera penitentia, inquit, Deum promeretur, ita simulata Deum irritat: quia Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum. Hoc autem SS. Patres irremissibile peccatum et blasphemiam in Spiritum Sanctum dixerunt: » nam, ut ait Clemens Alexandrinus, lib. III *Strom.*: « Hypocrisis est instar nivis, et hypocrita est quasi sterquilinum nive contextum, utpote qui vitia omnia candore simulata virtutis, velut nive obtegit. » Talis hypocrita fuit Julianus Apostata,

quem proinde S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 3 contra eundem, recte comparat chamæleonti: « Sicut, inquit, chamæleontem aiunt, in quemvis facile mutari, atque omnes colores, candore uno excepto, suscipere (fabulosum enim Proteum sophistam prætereo), sic etiam ille christianis, præter clementiam, in quodvis se vertebat, et perquam crudelis erat ejus lenitas. »

ET AUFERET SE A COGITATIONIBUS, QUÆ SUNT SINE INTELLECTU.— Græce, ἐκφανοῦσθαι ἀπὸ λογισμῶν ἀσυνεῶν, id est *exsurget, excitabit, eriget se, ut ascendat et avolet a cogitationibus intelligentiæ expertibus, imperitis, imprudentibus, insipientibus, stultis, quales sunt tyrannorum, omniumque injustorum et impiorum; Nannius vertit, resiliet; alii, commigrabit, amovebitur, procul absistet, juxta illud, Psalm. LXIII, 8: « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus, » q. d. Homines versati alto, id est profundo, corde multas artes, fraudes, impiaque consilia excogitant, sed Deus alto hominum corde longe est altior et profundior; unde ejus technas detegit, dissipat, punit, vindicat: quocirca Aquila, Symmachus et Theodotion pro **וַיִּרְאוּ** *iarum*, id est *exaltabitur*, aliis punctis legentes **וַיִּרְאוּ** *iorem*, id est *sagittabit*, vertunt, *mentem et cor profundum hominis sagittabit et configet.* Ex adverso sapientia, ejusque auctor Spiritus Sanctus, ait *Prov.* VIII, 12: « Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus: » vide ibi dicta. Quæ sint cogitationes sine intellectu, quæ cum intellectu, et quomodo utraque formentur et crescant, subtiliter explicat S. Bernardus, tract. *De Vita solitaria* ad Fratres de Monte Dei, longiuscule ante finem.*

Hinc sapientiæ symbolum est sal: nam, ut ait Plinius lib. XXXI, cap. IX: « Salis natura per se ignea, et inimica ignibus, fugiens eos, et omnia erodens: corpora vero astringens, siccans, alligans; defuncta autem et putrescentia ita vindicans, ut durent ita per sæcula. In medendo vero mordens, adurens, repugnans, extenuans, dissolvens. » Sapientia autem *ignea* est, a calore Spiritus Sancti generata, sed igni concupiscentiæ valde inimica, quæ in malevolam animam non introibit, disciplinæ fugit fictum, et aufert se a cogitationibus impudicis, quæ sunt sine intellectu: affectus humanos *erodit*, atque ab eis quidquid inordinatum est et effrænatum, detrahit; corda justorum *astringit*, ne in vitia labantur; *siccet*, ne humore pravi amoris tabescant; *alligat*, ne in peccata pereffluant: nam per sapientiam sancti sunt, quicumque Domino placuerunt; animas peccatis mortuas, et sibi ipsis præ humilitate et contemptu proprio putrescentes *conservat*, et vitam aliam supra captum humanum, et in corruptionis claritatem communicat.

ET CORRIPIETUR A SUPERVENIENTE INIQUITATE.— Græce, ἐκπαιδεῖται ἐπιθεῖσας ἀνομιίας, id est *corripiet, vel corripietur superveniente peccato*, inquam nonnulli, adduntque **ἐκτρέθηται** verbum esse me-

Sal sym-
bolum
sapientie.

dium; unde tam active verti potest, *corripit*, quam passive, *corripietur*. Active accipit Cantacuzenus, *q. d.* Spiritus Sanctus corripit, arguet, convincet iniquitatem, quæ specie æquitatis simulata se velabat et occultabat, eamque detegit et damnabit, juxta illud Christi, *Joan. XVI, 8*: « Et cum venerit ille (Spiritus Sanctus) arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio: » Spiritus Sanctus enim ostendit eos, qui fraudes et technas nectunt, tunc maxime desipere, cum sibi summa sapere videntur; unde Syrus vertit, *corripit omnem tyrannidem quæ evenit*: proprie enim in tyrannos et oppressores hæc dicuntur. Verum ἐλεγχθήσονται, non est futurum verbi medii, sed passivi; passive ergo accipiunt Noster et cæteri, vertuntque *corripietur*, quod S. Augustinus, lib. *Contra Adimantum*, cap. VII, refert ad hominem fictum, *q. d.* Corripietur homo fictus, scilicet superveniente sibi iniquitate sua, cum ab eo abscesserit Spiritus Sanctus: hæc enim iniquitas ipsi ostendet, quod deviaverit ab æquitate, sapientia et virtute; unde conscientia eum remordebit, castigabit et punit. Addit Lyranus: In peccata graviora sinetur labi, sic enim Deus solet priora peccata castigare per sequentia majora et turpiora; denique *fictus*, ait Hugo, cum retributionis dies venerit, pro iniquitate corripietur, id est punitur.

Peccati
malitia.

Melius alii attribuunt Spiritui Sancto, idque liquet ex textu Græco, *q. d.* Spiritus Sanctus ab iniquitate corripitur, id est confutatur, ait Jansenius, ac velut vituperatur et deonestatur, ait Vatablus, indigne tractatur, ait Nannius (hæc enim omnia significat, ἐλεγχθήσονται), ac proinde velut confusus ac probro affectus fugit et discedit. Hinc Arabicus vertit, *reprehenditur cum præsens fuerit iniquitas*. Unde nota tantam esse antipathiam inter iniquitatem (græce, ἀνομία), id est *peccatum*, scelus, legis transgressionem) et Spiritum Sanctum, ut iniquitas abigat Spiritum Sanctum, sicut tyrannus abigit verum regem: infinitum est enim dissidium et odium inter Spiritum Sanctum et peccatum: ita enim odit ipse peccatum, itaque ipsi exosum est, et quasi noxii omne scelus, ut, si ipse posset per impossibile gladio aliquo jugulari, vel veneno aliquo perimi, non alio jugularetur, vel perimeretur, quam peccato: peccatum enim directe violat sanctitatem Spiritus Sancti, ejusque angelorum; unde S. Basilius in *Psalm. XXXIII*, ad illa: *Immittet* (se, hoc est inseret) *angelus Domini in circuitu timentium eum*: « Velut fumus, inquit, fugat apes, et fœdus odor columbas expellit, sic angelum vitæ nostræ custodem abigit multa lacrymarum aspergine dignum, et graveolens peccatum. »

Noster Pineda in *Job* cap. XXXV, 6 et 7, τὸ *corripitur* exponit *contristatur*, *q. d.* Contristatur Spiritus Sanctus, dum videt animam iniquitatem committere, ideoque quasi mœstus ab ea fugit et discedit, juxta illud, *Ephes. IV, 30*: « Nolite

contristare Spiritum Sanctum; » peccator ergo dum peccat, quantum in se est, corripit, confutat, conspurcat, contristat, expellit Spiritum Sanctum. Hæc omnia anthropopathas dicuntur de Spiritu Sancto: ipse enim proprie corripit, probro affici et contristari nequit, cum sit spiritus sublimissimus, perfectissimus, beatissimus et inviolabilis. Dicitur tamen corripit, vituperari, contristari, tum quia peccata causam ipsi dant doloris, probri et tristitiæ, ita ut, si in eum cadere posset dolor, probrum aut tristitia, utique peccatum ipsum dolore, probro et tristitia afficeret: tum quia ipse peccatum odit, et a peccatore abit et discedit, perinde ac si probro et tristitia affectus fuisset. Est catachresis et metonymia, ponitur enim effectus pro causa, scilicet correptio et tristitia pro odio, quod in hominibus ex tristitia consequitur. Minus recte aliqui sic exponunt, *q. d.* Corripietur, id est convincetur Sanctus Spiritus, ex iniquitate hominis, quod in eo convertendo et sanctificando frustra laboraverit. Et alii, qui sic transferunt: Spiritus Sanctus investigabitur, deprehendetur et agnosceatur in iniquitate hominis, sicut lux in tenebris magis agnosceatur, et resplendet. Et noster a Castro: Corripere, inquit, est *celeriter rapere*, juxta illud Virgiliti:

Arcumque manu, celeresque sagittas
Corripit.

Sensus ergo est, *q. d.* « Spiritus Sanctus disciplinæ institutor fugit, quod videt fictum in discipulo, et abscedit a cogitationibus ejusmodi dolosis, et celeriter corripit sese ab animo ejus, mox ut advertit similem iniquitatem sese in illum insinuare: » hæc a Castro. Verum græcum ἐλεγχθήσονται non significat *celeriter rapere*, sed *corripere*, id est redarguere, increpare, convincere.

6. BENIGNUS EST ENIM SPIRITUS SAPIENTIE (Græca Vers. 6. habent, σοφία, id est *sapientia*; sed eodem redit sensus: spiritus enim sapientiæ est ipsa sapientia spiritualis, sive creata, sive increata, quæ est ipse Deus et Spiritus Sanctus, uti dixi vers. præced. : quare idem est dicere : *Sapientia est spiritus benignus*, cum eo, quod dicit Noster : « Benignus est spiritus sapientiæ »), ET NON LIBERABIT MALEDICTUM (ita Romana; minus recte Glossa, Lyranus, Dionysius et alii legunt, *maledictum*) A LABIIS SUI. — Quoad nexum hujus sententiæ cum præcedenti, nota τὸ enim dupliciter accipi posse, primo, pro enim vero, quidem, *quamvis enim*: respondet enim hebræo כִּי, id est *quia, quoniam*, quod non semper causam reddit, sed subinde sermonem tantum continuat, imo subinde orditur, estque particula expletiva, quæ ornatus duntaxat causa additur. Sic sensus nexusque erit, *q. d.* Enimvero benignus est spiritus sapientiæ; vel: Quamvis enim benignus sit spiritus sapientiæ, tamen non liberabit maledictum a labiis suis, id est a culpa et pœna suæ maledicentiæ debita; sed eum acriter punit: ita Nazianzenus, *orat. 44*,

Corripit
tur Sp
ritus
Sanctus
quomodo?

quæ est in Pentecosten: « Hic (Spiritus Sanctus), inquit, et lenitatis spiritus est, et tamen in eos qui peccant incitatur: proinde si eum lenem et clementem, et non iracundum experiri volumus, dignitatem ipsius confiteamur, caveamusque, ne quid in illum convicii blasphemiasque dicamus, neque velimus eum implacabiliter irascentem videre. »

Secundo, τὸ enim magis proprie et nervose accipi potest ut nota causalis: dat enim causam, cur sapientia, id est Deus et Spiritus Sanctus, fugiat fictos, ac puniat blasphemos et maledicos, qui Deo, vel hominibus contumeliosi et injurii sunt, q. d. Ideo eos punit, quia benignus et φιλόφρων, id est amator hominum est: ut enim eos a petulantia, maledicentia et injuria tueatur et vindicet, maledicos severe castigat: vera enim benignitas et clementia est, si ad tutelam piorum castigentur impii in pios contumeliosi et injurii: nam, ut ait S. Gregorius in I Reg. cap. ult., disciplina et misericordia multum destituitur, si una sine alia teneatur: non enim solum piis, sed et impiis bene fit, si per pœnas a malo coerceantur.

Spiritus
Sanctus
φιλόφρων
φρόνως.

Pro benignus græce est φιλόφρων, id est singularis hominum amator, qualis fuit Christus pro nobis in carnem et crucem descendens, de quo S. Paulus, Tit. III, 4: « Apparuit, inquit, benignitas et humanitas (græce, φιλανθρωπία, id est eximius ille in homines amor) Salvatoris nostri Dei. » S. Augustinus, lib. De Mendacio, cap. XVI, legit, humanus est spiritus sapientiæ; Syrus, amans est enim filios hominum, qui scilicet se, suam sapientiam et gratiam hominibus communicare impense cupit et optat. « Φιλόφρων, ait Elias Cretensis in orat. 4 Nazianzeni, ille est, qui inimicis etiam blandum ac liberalem se præbet, ac quantum potest Deum imitatur, qui justos et injustos beneficiis afficit; » audi Nazianzenum, orat. 44 in S. Pentecost.: « Hic Spiritus, inquit, utpote sapientissimus atque hominum amantissimus, si pastorem nactus fuerit, psaltem efficit pravos spiritus incantantem, atque Israelis regem designat. Si caprarium moros vellicantem, Prophetam reddidit: Davidem et Amos cogita. Si adolescentem pulchræ indolis acceperit, presbyterorum judicem constituit, idque supra quam ætatis ratio ferre videtur: testis est Daniel, qui leones in lacu superavit. Si piscatores invenerit, Christo irretit, orbem universum sermonis retibus complectentes: Petrum mihi atque Andream accipe, tonitruumque filios, qui spiritualia intonuerunt. Si publicanos, ad discipulatum elucatur, atque animarum negotiatores efficit: testis Matthæus heri publicanus, hodie evangelista. Si feroces persecutores, zelum commutat, ac Paulos pro Saulis facit, nec minus pios reddit, quam impios offenderat. »

ET NON LIBERABIT (græce, οὐκ ἀθώοσι, id est non habebit innocentem, id est non sinet impunitum, sed gravibus pœnis et suppliciis onerabit: est

miosis) MALEDICUM, — græce βλάσφημος, id est blasphemum et contumeliosum, sive in homines sive in Deum, qui scilicet non sentit de Deo in bonitate, nec in simplicitate, sed in dolo quærit eum, ut dixit vers. 1: Deus enim discipulos et auditores sapientiæ suæ quærit simpliciter sibi credentes, fidentes et obedientes, qui de ipso dicant: ἄντις ἔρα, id est ipse dixit; uti dicebant discipuli Pythagoræ. Unde Syrus, non justificat populum blasphemantem; Arabicus, insultantem.

A LABIIS SUI, — id est a culpa, petulantia et maledicentia labiorum suorum. Triplex est malitia opposita bonitati et simplicitati Dei, de qua dixit vers. 2: « Sentite de Domino in bonitate, » etc., quæ proinde nos separat a Deo, ideoque summe detestanda et cavenda, scilicet malitia cordis, oris et operis, puta perversæ cogitationes, sermones et actiones; de cogitationibus egit vers. 3 hucusque; hic agit de sermonibus, puta murmurationibus, detractionibus, mendaciis usque ad vers. 12, ubi ager de operibus, sicque omne genus malitiæ culpat et resecat.

QUONIAM RENUM ILLIUS TESTIS (græce μάρτυρ, id est martyr, puta testis) EST DEUS, ET CORDIS ILLIUS SCRUTATOR EST VERUS (Syrus, operator veritatis), ET LINGUE EJUS AUDITOR. — Renes notant intimas cogitationes et appetitiones (concupiscentiæ enim, libidinis et seminis origo est in renibus) secretas et occultas; unde sensus est, q. d. Ne putes secreta tua peccata et maledicta esse occulta: Deus enim intuetur secretissima quæque non solum locorum, sed et mentium: unde vocatur θεός, id est Deus, ἀπὸ τοῦ θεῶν, id est ab intuendo et contemplando; hinc explicans subdit: « Et cordis illius scrutator (græce ἐπισκοπέω, id est speculator, inspector) est verus, » puta Deus, qui est ipsa veritas, ac proinde nec falli ulla in re, nec fallere potest (unde Arabicus vertit, explorator, scrutator cordis illius). « Et lingue ejus (etiam missime intra labia mussitantis, murmurantis et maledicentis) est auditor. » Tria enim sunt, inquit Holcot, quæ vellet peccator maxime latere, videlicet delectationem suæ voluptatis, cogitationem conceptæ vanitatis, locutionem communicate perversitatis: et tamen omnia ista Deus nude videt; ista autem tria tangit Sapiens per tria corporis organa, videlicet renes, cor et linguam. In renibus viget voluptas, in corde vanitas et in lingua perversitas; et respectu istorum trium tres actus Deo attribuit: nam respectu voluptatis, ipse est testis; respectu vanitatis, ipse est scrutator: scrutari enim est ad interiora et latentia penetrare, juxta illud, Psalm. VII, 10: « Scrutans corda et renes Deus; » sed respectu perversitatis, falsitatis ipse est auditor. Et inferius: Notandum, inquit, quod hic tangit Sapiens tria corporis organa, quæ difficillimum est regere ratione, renes, cor et linguam: nam in renibus voluptas, in corde vanitas, in lingua falsitas dominatur; et ideo difficillimum etiam sanctis, quod se regant per-

Dei οὐκ ἀθώοσι
niscientia et etiam
mon.

fecte in delectationibus, quæ per *renes* significantur; in cogitationibus, quæ per *cor*; in locutionibus, quæ per *linguam* notantur. Dicit Aristoteles, lib. XIII *De Animal.*: Infirmetas renum in hominem est difficilis curationis. Moraliter, quia in renibus dominatur voluptas, ideo infirmetas renum carnalem denotat concupiscentiam, quæ vocatur languor naturæ; hinc renum morbus igne aduri solet, unde illud *Psal.* xxv, 2: « Proba me, Domine, et tenta me: ure renes meos et cor meum, » id est, ait Glossa, adhibe medicinalem purgationem tribulationis delectationibus meis, ne quid mali delectet me; et cogitationibus, ne quid mali cogitem: quocirca sapienter David moriturus hoc monitum dat Salomoni filio sibi in regnum successuro, I *Paral.* xxviii, 9: « Tu autem, Salomon fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto, et animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. » Hoc ergo age, hoc cogita, hoc elige, quod cupis patere et placere oculis Dei; hoc cogitare, hoc eligere noli, quod seis patere et displicere Deo.

Cogitationi cura adhibenda.

Hinc S. Bernardus, lib. *De Interiori domo*, cap. xxxix, docet summa cura advigilandum ad cogitationes nostras: « Ibi namque, inquit, est cogitatio tua, ubi est affectio tua; ibi cor tuum, ubi est desiderium tuum: quoniam illud sæpius in cogitatione volvimus, cujus amore plus affecti sumus. » Vis ergo nosse quid ames, adverte quid sæpe cogites. Subdit S. Bernardus: « Si mala cogitas, Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus sine intellectu, eritque templum Dei spelunca diaboli, quoniam quem Deus deserit diabolus arripit. Et ideo, quacumque hora mala cogitatio cor tuum tangit, non consentias illi, nec sinas eam in corde tuo manere, sed illico repelle. In initio cogitationis iniquæ resiste, et fugiet a te. Cogitatio prava delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem. Sicut vipera a filiis suis in utero positis lacerata perimitur: ita nos cogitationes nostræ intra nos nutritæ occidunt. » Audi S. Augustinum, *Præfat. in Psalm.* cxlviii: « Non potest fieri ut habeat malefacta, qui habet bonas cogitationes: facta enim de cogitatione procedunt; nec quisquam potest facere aliquid, aut ad aliquid agendum membra movere, nisi primo præcesserit jussio cogitationis. Quomodo de interiori palatio quidquid jusserit imperator, per imperium Romanorum emanat, quidquid videtis agi per provincias: quantus motus fit ad unam jussionem imperatoris intus sedentis? movet solum ille labia cum loquitur, et movetur omnis provincia, cum fit, quod loquitur. Sic et in unoquoque nostrum intus est imperator, intus in corde sedet. Si bonus bona jubet, bona fiunt, et si malus mala jubet, mala fiunt. Cum ibi sedet Christus, quid potest jubere,

nisi bona? cum possidet diabolus, quid potest jubere, nisi mala? In tuo autem arbitrio Deus te esse voluit, cui pares locum; Deo an diabolo? cum paraveris, qui possidebit, ipse imperabit. »

Denique S. Gregorius Nazianzenus, orat. 34, quæ est 2 *De Theologia*, per *sanctum spiritum* accipiens Deum, ex eo probat Deum ita esse immensum, ut omnia circumscribat, et a nullo circumscribatur. Concinit ei Theophilus patriarcha Alexandriæ, patruus et antecessor magni Cyrilli, ac æmulus et judex S. Chrysostomi: sic enim ait Theophilus, epist. 1 *Paschali*: « Cur David canit, *Psal.* cxxxviii, 7: *Quo ibo a spiritu tuo?* Quod dicens ostendit a Sancto Spiritu omnia contineri, et illius majestate circumdari: si omnia in omnibus, utique et irrationabilia et inanima. Et alibi legimus, *Sapient.* i, 7: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, quod nunquam Scriptura memoraret, nisi irrationabilia quæque inanima illius numine complerentur. » Theophilus patrum sequens S. Cyrillus, tract. *Quod Spiritus Sanctus sit Deus*, ex hoc loco idipsum probat: tum quia replet omnia, ergo est immensus, ergo Deus; tum quia continet omnia sua vi et potestate; tum quia est super omnia: situs est ergo, inquit, super omnes creaturas, et naturam eorum quæ ab ipso implentur ac continentur, transilit: at Deus est id quod est super creaturam. »

7. QUONIAM SPIRITUS DOMINI REPLEVIT ORBEM TERRARUM: ET HOC, QUOD CONTINET OMNIA, SCIENTIAM HABET VOCIS. — Probat quod Deus intima et occultissima, tum cordium, tum sermonum, et præsertim occultas blasphemias in Deum, et maledicta in homines prolata, perspiciat, judicet et vindicet, ex eo quod ejus spiritus repleat totum orbem, ut ubique sit præsens, ac consequenter omnia cominus intueatur et videat, imo omnia manu sua contineat, ac proinde voces quaslibet et verba, etiam mentalia sciat et cognoscat: quia eum non impedit ulla loci distantia, nec vocis vel idiomatis ignorantia.

« Spiritus Domini » accipi potest dupliciter, primo, cum S. Augustino, epist. 57 *ad Dardanum*, cap. v, B. Petro Damiani, lib. IV, epist. 6, et aliis, *essentialiter*, ut sit idem quod ipsa spiritualis Dei natura, vis, efficacia, scientia, providentia, operatio, conservatio: hæc enim ubique est per essentialitatem, præsentiam et potentiam; ac proinde omnia replet, omnia continet, conservat, vivificat: nam, ut ait Athenagoras, orat. *De Resurrectione*: « Nihil neque terrestrium, neque cælestium rerum cura et providentia destitutum est; sed in omnia æque, tum quæ in aperto sunt, tum quæ latent, in magna item et parva penetrat Creatoris sollicitudo: » nam Deus, ut ait Philo, lib. II *Allegor. legis*, implet omnia, penetrat omnia, nihil omnino relinquens seipso vacuum; et quem locum occupabis, in quo non sit Deus? itaque nemo potest se ab eo abscondere. Huic similis est gnomo *Psal.* xciii, 9: « Qui plantavit aurem,

Vers. 7.

Spiritus Domini duplex: essentia
lis

non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? » ita S. Augustinus, in *Psalm. LVII*, qui ex hoc loco probat Deum esse ubique, juxta illud, *Psalm. CXXXVIII*, 7 : « Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? » Porro Spiritus Domini sua subtilitate replet et continet omnia, sicut replet et continet aer, dum omnia subintrat et penetrat : sicut enim voces formantur in aere, et per eum vehuntur ad aures, sic nil potest quisquam loqui, quod non perveniat ad spiritum Domini, utpote in quo vivimus, movemur et sumus, *Actor. XVII*, 28. *Secundo*, Spiritus Domini accipi potest *notionaliter*, ut sit idem quod Spiritus Sanctus, tertia in S. Trinitate persona : hic enim est Spiritus Domini, quia productus per spirationem activam Patris et Filii, qui pariter replet orbem, et continet omnia ; unde ex hoc loco Spiritus Sancti immensitatem, ac consequenter divinitatem probant S. Athanasius, epist. *ad Serapionem*, S. Basilius, hom. *De Spiritu Sancto*, et lib. V *Contra Eunomium*, cap. ult., S. Ambrosius, lib. I *De Spiritu Sancto*, cap. VIII, S. Augustinus, lib. III *Contra Maxim.* cap. XXI, Origenes, lib. VII, cap. IX epist. *ad Rom.*, Cyrillus Alexandrinus, lib. VIII *Contra Julianum*, et lib. VII *De Trinit.*, qui addit idem sensisse Platonem et platonicos, qui dixere Deum esse animam mundi, juxta illud Virgilii :

Spiritus intus alit, totumque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Porro Richardus de S. Victore, serm. *De Missione Spiritus Sancti*, censeat per hoc indicari Trinitatem personarum, cum identitate essentiali : nam Spiritus Domini est Spiritus distinctæ personæ ; sed tamen est hoc, quod continet, id est illud ipsum, quod est ille, a quo sunt omnia : est illud per quem est, id est id, quod Pater et Filius est, a quibus procedit ; verum hoc subtilius est quam solidius : prior sensus planior et germanior est.

ET HOC, QUOD CONTINET OMNIA, SCIENTIAM HABET VOCIS. — Græcizat interpres : quia enim πνεῦμα, id est *spiritus*, Græcis est generis neutri, hinc tribuitur ei pronomem demonstrativum pariter neutrum, puta τὸ πνεῦμα, id est *hoc continens omnia* : hoc ergo idem est, quod hic Spiritus, uti legit S. Augustinus in *Speculo*, cap. II, et in *Symbolo ad Catechumenos*, cap. IV ; unde et Syrus vertit, *ille qui tenet omnia in scientia, est ei vox ejus* ; Arabicus, *qui ambit omnes creaturas, cognoscit loquelam*. Sensus ergo est, *g. d.* Et hic Spiritus Domini replens omnia, et continens omnia, id est manu suæ potentiae omnia ambiens, concludens, conservans ne in suum nihil recidant, movens, agitans, *scientiam*, græce γνῶσις, id est *cognitionem*, habet vocis, hoc est, cognoscit omnes voces, etiam occultissimas maledicorum, non tantum ore prolatas, sed et in corde conceptas : omnes enim hasce ipse in se continet, utpote qui omnia, ac consequenter ipsam animam et vitam cujusque in se continet ; omnes ergo voces fiunt quasi

in ipso Spiritu, id est in loco quem Spiritus Sanctus ambit et continet ; hinc aiunt Patres omnia creata esse in Spiritu Sancto, sicut omnia dicuntur esse a Patre et per Filium : præpositio enim tribuitur Patri, quasi primo SS. Trinitatis principio ; per vero Filio tanquam medio, item verbo et exemplari, per quod facta sunt omnia ; in vero Spiritui Sancto. Sensus enim est, *g. d.* Voces et verba, tam mentis, quam linguæ, intra ambitum complexumque Spiritus Sancti fiunt, non extra sive foris : quare illum nihil latere potest, ne vel tenuissimum maledici murmur, sed omnium vocum et dictorum exactam habet scientiam et cognitionem.

Nota, τὸ omnia continet solide et profunde explicat S. Dionysius, *De Divin. nomin.* cap. X, dicens : « Omnipotens, vel potius omnitenens (hoc enim est παντοκράτωρ) dicitur, quod sit omnium sedes omnia continens et complectens, et cuncta stabiliens, fundans atque constringens, et universum in se insolubile præstans : et ex se veluti ex omnitenente radice cuncta producens, atque ad se, ut ad omnitenens fundum universa convertens et continens : ut omnium sedes omnicapax, omnia contenta una præcellenti connexionione communians, neque sinens ea sibi excidere, ne tanquam exactissimo domicilio mota dispereant. » Et Gregorius, lib. II *Moral.* cap. XII : « Cælum, inquit, palmo metiens, et terram pugillo concludens ostenditur, quod ipse sit circumquaque rebus cunctis, quas creavit, exterior. Per *sedem* ergo cui præsidet, intelligitur esse interius supraque : per *pugillum*, quo continet, exterius subterque signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia, et superior per potentiam, et inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem ; sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. Nec alia parte superior, alia inferior : aut alia parte exterior atque alia manet interior, sed unus idemque totus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. » Denique Job, cap. XI, vers. 8, de Deo : « Excelsior cælo est, inquit, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura ejus (hebraice, *statura ejus*), et latior mari ; » hinc illud Virgilii, III *Eclog.*

Jovis omnia plena.

Et Lucanus, lib. IX :

Jupiter est quodcumque vides, quodcumque moveris.

Porro, sicut spiritus, id est ventus favonius flans suo halitu aperit ver, terramque germinare facit, ac omnia fœcundat ; imo, ut ait Plinius lib. XVI, cap. XXV, et lib. XVIII, cap. XXXIV : « Afflatu suo nutrimentum exercet : » sic pariter Spiritus Dei ita continet repletque omnia, ut ea gravidet, fœcun-

Deus continet omnia ut fundus.

det, foetuque impleat. Porro minus genuine aliqui, ut Martinus Cantapetrensis, lib. II *Hypotyp.* cap. II, col. 116, per hoc quod continet omnia, intelligunt mundum, q. d. Spiritus Domini replevit orbem sui cognitione: quia mundus, qui omnes rerum species in se continet, muta voce praedicat Dei creatoris magnificentiam; ejusque cognitionem omnibus ingerit, juxta illud, *Psalm. XVIII, 1*: « Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiant firmamentum. Non sunt loquela, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. » « Mundus, ait Pomponius Mela, lib. I, cap. I, uno ambitu se cunctaque complectitur » unde « ejus circumplexu degunt omnia, » ait Plinius, lib. II, cap. I. Verum graece non est ὁ συνέχων masculine, ut referat κόσμον, id est mundum, sed τὸ συνέχων neutre, quod non nisi πνεῦμα, id est spiritum respicit: si tamen τὸ συνέχων accipias quasi substantive, posset notare mundum, idque huic loco satis apposite.

Spiritus
Sanctus
implet
omnia.

Mystice, Ecclesia in *Officio Pentecostes*, hanc gnomen applicat missioni Spiritus Sancti: ipse enim in Pentecoste, descendens in apostolos, replevit eos omnibus virtutibus, donis et gratiis, tum gratum facientibus, tum gratis datis, deditque eis cognitionem omnium linguarum et vocum, ut per eam possent praedicare evangelium Christi omnibus et singulis gentibus, *Actor. II, 4*. Addit Richardus Victorinus, loco jam citato, Spiritum Sanctum omnium non tantum vocum, sed et rerum quae vocibus significantur, scientiam apostolis indidisse. Praclare S. Basilius, hom. *De fide*, Spiritum Sanctum comparat soli totum orbem illustranti, fecundanti, vivificanti: « Quem admodum sol, inquit, corporibus lucens varie a quolibet sumitur, nec tamen propterea diminuitur, sic et Spiritus Sanctus omnibus quidem gratiam praebens, infractus remanet ac indivisus; omnes ad agnitionem Dei illuminat; prophetas inspirat, legislatores sapientes reddit, sacerdotes sacris instituit, regibus fortitudinem addit, perficit justos, ornat modestos, gratiam sanitatum operatur, mortuos vivificat, solvit compeditos, alienos in filios per regenerationem adoptat: si telonarium deprehendat credentem, evangelistam constituit; si piscatorem inveniat, theologum reddit; si persecutorem, poenitentem, gentium apostolum, praecorem fidei, vas electionis declarat. Per hunc etiam Spiritum debiles redduntur robusti, pauperes in divitias veniunt, idiotae ingenio et eloquentia ceteris sapientibus sapientiores evadunt: » vide dicta *Actor. II, 2*, et *Genes. I, 2*, ad illa: « Spiritus Dei ferebatur super aquas. »

Homo
continet
omnia.

Hinc rursus S. Bonaventura, Hugo, Glossa et alii per hoc quod continet omnia, intelligunt hominem: homo enim in se continet omnes rerum gradus et species, habet enim esse cum lapidibus, vegetari cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis: homo enim afflatus

Spiritu Sancto cognoscit quaslibet voces et linguas, uti patet in apostolis. Rursum Spiritus Sanctus in eo replet orbem terrarum, id est circumcinctum potentiarum animae, intellectus enim ornatur scientia et prudentia, imaginatio circumspeditione et requie, voluntas et appetitus virtute multiplici, corpus sanitate, pulchritudine et robore. Et sicut homo velut centrum circuli est, in quod omnes naturae rerum, et omnes vires earum tanquam lineae concurrunt, ita donis multiplicibus decoratur, quibus suo liberalissimo Creatori placita obsequia reddat, et non beneficiorum oblitus, sed memor et gratus existat. Tunc vero ex omnibus suis viribus Deum diligit, cum omnes creaturarum vires sibi concessas, et cuncta dona atque talenta, ex vero et puro Dei amore in ejus obsequium et famulatum impendit. Sic de S. Gertrude in ejus *Vita* legitur: « Ipsa non loquitur, sed Spiritus Sanctus in ea videtur loqui et operari; quare venienti cuiquam ad illam consilii vel opis petendae causa, illico Spiritus Sanctus suggerit ei, quid consulere et respondere debeat. »

PROPTER HOC, QUI LOQUITUR INIQUA, NON (graece, Vers. 8. οὐδὲν, id est nullus, quantumvis astutus, parvus, potens vel excelsus sit) POTEST LATERE, NEC PRÆTERIET ILLUM (qui loquitur iniqua) CORRIPIENS JUDICIUM, — q. d. Spiritus Domini penetrat, imo implet omnia, totumque universum; hinc nulla iniqua locutio, vel actio, ubivis locorum fiat, eum latere potest, quin omnia perspiciat, ac suo tempore judicet, vindicet et puniat, uti dixi vers. praeced. Syrus, neque est qui loquatur oppressionem (tyrannidem) et abscondatur, neque fugit a judicio reprehensionis.

CORRIPIENS JUDICIUM. — Vocat *judicium*, quod Deus saepe peragit in hoc mundo, quodque plane et universaliter peraget in fine mundi, quo omnes omnino homines, omniaque eorum dicta et facta, etiam occultissima, in lucem proferet, ac coram hominibus et angelis ea examinabit et judicabit, atque iniqua acriter corripiet, id est castigabit, tum verbis, tum suppliciis, praesertim condemnando ea eorumque auctores ad aeterna gehennae incendia, cum dicet, *Matth. XXV, 41*: « Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. » Hinc Daniel, cap. VII, vers. 10, describens Dei *judicium*: « Fluvius igneus, inquit, rapidusque egrediebatur a facie ejus: » ignis enim notat *judicium* Dei esse purum, sincerum, clarum, penetrans, acre et efficax, quod impios ad ignem aeternum damnabit: vide ibi dicta. *Judicium* tria significat, primo, actionem *judicialiam* injuriarum, quae apud *judicem* agitur actore accusante, reo se defendente, testibus testimonium ferentibus; secundo, sententiam *judicis*, qua reum jam convictum damnat; tertio, poenam et supplicium, ad quod eum *judex* condemnat: haec tria enim significat graecum δίκαιον; unde *Alexis* fingitur a poetis

esse dea judiciorum, inde dicta, quod lites et contentiones dirimat; hinc eam asserunt virginem, eo quod iudicium debeat esse purum et intactum; unde Hesiodus in *Ergis*: δῆρ, inquit, a Δῖς, id est virgo iustitia est a Jove prognata; et Aristoteles, vel quisquis est auctor lib. *De Mundo*: «Deus, ait, e vestigio comitem habet iustitiæ præsidem, quam δῆρ nominant, divinæ legis vindicem, simul ut quidquam sanctionum ejus prætermissum est.»

Vers. 9. 9. IN (SYRUS, DE) COGITATIONIBUS ENIM IMPII INTERROGATIO ERIT: SERMONUM ACTEM ILLIUS AUDITIO AD DEUM VENIET, AD CORREPTIONEM INIQUITATUM ILLIUS.— Arabicus, *Dominus erit reprehensio impietatis ejus: pro cogitationibus, græce est διαλογισμῶν, id est perplexis et improbis impii cogitationibus: pro interrogatio, græce est ἐπίστασις, id est inquisitio, quæ a iudice humano fieri solet interrogando, tum reum, tum testes; unde Noster hic et alibi apte vertit, interrogatio, id est quæstio, vel inquisitio judicialis. Auditio est fama, rumor, relatio, accusatio: inducit enim Deum ut iudicem et vindicem iniquorum, non solum sermonum, sed et cogitationum, si scilicet cogitata sint volita, ac voluntati liberæ, vel expresse, vel tacite placeant, q. d. Deus utpote iudex universi, in omnia omnium facta dictaque exacte inquirat, ut ea cognoscat, ac suo tempore iudicet et præmiet, vel puniat; inquirat autem, non ut iudex humanus, qui cum multa non viderit, imo nesciat, eadem ab aliis interrogando vestigat, sed ut oculus per se omnia videns, et auris omnia audiens, ut ait vers. seq., quare Dei interrogatio et inquisitio est ipsa facti visio, dictique auditio, quo fit ut falli nequeat; ideoque ipse simul testis est et iudex: nam, ut ait Job respondens Domino, cap. XLII, vers. 2: «Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio.» Sensus ergo est, q. d. Interrogat, id est intuetur et audit, ac intuendo et audiendo inquirat (atque inquirendo intuetur et audit) in omnes cogitationes hominum, multo magis in sermones, ut iniquos corripiat et castiget. Rursum proprie Deus in iudicio interrogabit impium: Nonne murmurasti? nonne detraxisti? nonne iniqua dixisti? qua de causa, qua conscientia id fecisti?*

Symbolice, Auctor *Imperfecti* apud S. Chrysostomum, hom. 21 in *Matth.*, et Hugo: In hac vita Deus, inquiunt, in nobis posuit spiritum quemdam scientiæ boni et mali, ut quotiescumque mali quidpiam dicimus, agimus, aut volumus, ille in silentio id ipsum accuset. Spiritus hic est synderesis, sive conscientia ejusque remorsus; hæc enim dum peccamus, muta voce exclamat: Quare hoc nefas agis? cur Deum offendis? cur ejus iram et vindictam in caput tuum accersis? Hæc pariter nos accusabit in die iudicii, juxta illud Apostoli, *Rom. II, 13*: «Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam de-

fendentibus, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, secundum evangelium meum, per Jesum Christum.»

10. QUONIAM AURIS ZELI AUDIT OMNIA, ET TUMULTUS MURMURATIONUM NON ABSCONDETUR.— Syrus, *auris invidi*: refert enim hæc et sequentia non ad Deum, sed ad suspicacem et invidum, qui omnia secreto auscultat curiose, ut audiat quid quisque de se dicat et murmuret; verum cæteri referunt ad Deum, de quo sermo præcessit; unde Arabicus vertit, *nemo*. Deus non habet corpus, nec membra, ac consequenter nec aures, nec oculos, etc., cum sit merus purusque spiritus; sed anthropopathos ea dicitur habere, quia acie suæ mentis videt et audit omnia, perinde ac si oculos et aures haberet instar hominis: Dei ergo intellectus, sive mens et vis cognoscendi, vocatur *auris et oculus*, quia præstat illa Deo, quæ auris et oculus homini, adeoque eminenter continet aurem, oculum omnemque sensum, imaginationem, intellectum et cogitationem omnium angelorum et hominum. «Deus, ait Plinius, lib. II, cap. VII, totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.» Vide S. Augustinum, tract. *De Essentia divinitatis*, t. IV. Sensus ergo est, q. d. Nihil potest latere Deum, quia ejus mens sciendi avidissima et penetrantissima, velut auris zelosa Dei zelantis, omnia audit; ac propterea nullum murmur, vel levissimum ab eo abscondi potest, quia auris Dei, qui tanta cura et sollicitudine zelatur veritatem et iustitiam, æque ac hominum salutem, omnia observat et audit; ideoque indignatur auditis sceleratis impiorum sermonibus; singulaque studiose auscultat et ponderat, instar hominis suspiciosi, qui in angulis et tenebris auscultat quid de se dicatur. Dum ergo Deum auditis aut cogitatis, zelum ipsum putate: ipse enim est zelantissimus iustitiæ, et acerrimus vindex omnium iniquitatum et tyrannidum. Unde Vatablus hunc versum et duos præcedentes ita convertit et connectit: «Etenim Spiritus Domini replet orbem, et continens universa notitiam vocis habet; quapropter injusta loquens nequaquam latuerit, nec præterierit eum castigans iudicium: nam in consilia impii inquireretur, fama que sermonum ipsius ad Dominum perveniet, ad nefaria ejus facinora coarguenda, quoniam acris auris et indignabunda audit omnia, et rumor frementium minime clam fuerit.»

Quæres cur mens Dei vocetur *auris zeli*? Respondetur, *primo*, quia ipsa, utpote vivacissima, cupidissima est sciendi, cognoscendi et audiendi omnia: zelus enim notat aviditatem et cupiditatem, vehemensque et acre rei alicujus desiderium. *Secundo*, quia acerrima est et acutissima ad omnia penetrandum, intimeque cognoscendum, zelus enim acuit aciem mentis, attentionis et cognitionis, ideoque omnia pervadit et penetrat. Hinc Dei mens nihil per incuriam vel ignorantiam dissimulat, aut prætermittit; sed omnia

Mens Dei
est auris
zeli,
cur?

ad vivum resecat, permeat et penetrat. *Tertio*, quia zelotypa est, nec patitur rivalem; pro zeli enim græce est ζήλωσις, id est *æmulationis, ardentis amoris, zelotypiæ*: quare, sicut maritus zelotypus curiose et secreta stans post fenestram vel parietem, omnia sponsæ suæ verba, gestus et nutus audit, considerat et ponderat, ne illa quem alium amet, aut de alio rivali suo cogitet, vel loquatur: sic Deus animæ a se creatæ, præsertim justæ et sanctæ, per gratiam sibi desponsatæ, studiose omnia cogitata, dicta et facta audit et considerat, ne illa dæmonem, carnem vel mundum sibi anteferat, quia solus ac totus ab ea amari cupit: quare non patitur æmulum, nec fert ut illa aliquod contra se suaque jussa murmur concipiat, aut sibi ingrata loquatur; sed si id faciat, graviter succenset, indignatur et ulciscitur: ita S. Augustinus, lib. *De Essentia divinitatis*: « *Zelare*, ait, dicitur Deus, cum creaturam suam, quam non vult perire, sæpe castigat, corripit atque flagellat, et flagellando ad se reducit. Vel certe *zelare* Deus dicitur, cum nullum peccatum impunitum vult relinquere: justus enim est, et ideo omnis injustitia execrabilis est illi, quam, ut dictum est, impunitam nullo modo relinquere patitur. » Dum ergo, o homo, o sacerdos, o religiose, quid mente concipis, lingua dicis, manu operaris, cogita *aurem zeli*, id est Deum zelantem, te audire et intueri magno affectu et ardore, ut nil nisi ipsi gratum placitumque concipias, dicas, facias. Id cogitabat sponsa, dicens *Cant. II, 9*: « En ipse (sponsus) stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. » Huc facit gnome prisci rabbinii in *Pirke avoth*, id est in *Apophth. Patrum Hebr.* cap. II: « Tria tibi servanda sunt, ut nunquam in peccatum labaris, *primo*, ut attendas oculum omnia videntem; *secundo*, ut aurem, cui nec ipsum tacet silentium, in omni loco reverearis; *tertio*, ut cogites omnia et singula opera tua in libro scientiæ illius esse exarata. »

Tropologica.

Tropologicè Dionysius Carthusianus: Deus, inquit, non tantum est zelotes, sed et ipse zelus in abstracto, ob fervidum et eximium zelum animarum, quo pollet, juxta illud, *Zachar. VIII, 2*: « Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam; » quare simili zelo erga illum ferri et fervere debemus, ut magno studio et sollicitudine illi per omnia placere satagamus, nec quid dicamus, vel agamus, quod zelotypos tantæ majestatis, sanctitatis et bonitatis oculos offendat; imo quidquid tale est non tantum in nobis, sed et in aliis quibuslibet, totis viribus amoliri, præsertim cum verba blasphemia, maledica, spurca, etc., audimus, laboremus: ita faciebat Elias, Baal et baalitas persequens, imo occidens, III *Reg. XIX, 10*: « Zelo zelatus sum, inquit, pro Domino Deo exercituum; » et David dicens, *Psal. CXVIII, 139*: « Tabescere me fecit zelus meus, quia oblitus sunt verba tua inimici

mei; » et Mathathias, I *Machab. II, 27*: « Omnis, inquit, qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me, » ubi vide plura zeli exempla, quæ ipse suis filiis imitanda proponit, vers. 54 et seq.

ET TUMULTUS MURMURATIONUM NON ABSCONDETUR. — Pro *tumultus* græce est θόρυβος, id est *fremitus et strepitus tumultuarius*, qualis est grunnitus porcorum, a θροῦν et θροῦσθαι, sive θροῦσθαι, id est *turbare et turbari*, ac *tumultuari*; Arabicus, et *minæ non abscondentur ab eo*; S. Augustinus, lib. *De Mendacio*, cap. XVI, accipit *tumultum* internarum cogitationum, murmurantium contra Deum, vel proximum, hæ enim æque patent Deo, ac si in externum strepitum et tumultum erumperent; magis ad litteram alii *tumultum* proprie accipiunt pro voce et gestu tumultuante. Sensus ergo est, q. d. Tumultus murmurationum, etiam illarum quibus impii secreto inter se mussitant contra Deum, vel proximum, non latent Deum, sed ejus aures feriunt, et offendunt instar grunnituum porcorum: quare ab eo severe castigantur, uti Deus semper castigavit murmura Hebræorum in deserto, cum alia peccata dissimularet; et impunita in hac vita relinqueret, uti patet *Exod. XVI, 2*, et *Numer. XI, 1* et seq., et cap. XII, vers. 8.

11. CUSTODITE ERGO VOS A MURMURATIONE: QUÆ NIHIL PRODEST, ET A DETRACTIONE PARCITE LINGUE, QUONIAM SERMO OBSCURUS IN VACUUM NON IBIT: OS AUTEM, QUOD MENTITUR, OCCIDIT ANIMAM. — Probat Tribus de causis cavenda detractio.

1. *Prima* est, quod illa nihil prosit, sitque *inutilis*, id est *inutilis*, ut habent Græca, imo vehementer obsit, graviusque damna accersat: est enim miosis: sic Job, cap. XV, vers. 16, et Salomon, *Proverb. VI, 12*, apostatam, qui nihil boni facit, sed plurimum mali, vocat *inutilem*; inutilis ergo, id est plane impius, noxius, scelestus, et ad omne opus bonum reprobis, ut ait Paulus, II *Timoth. II, 21*. *Secunda* est, quod sermo obscurus, id est obscure, latenter et secreto dictus, in vacuum non ibit, sed regetur in os dicentis. iludque verberabit et feriet. *Tertia*, quod os maledicendo mentiens occidat animam. *Murmur* intellige, tum contra Deum Deique providentiam, v. g. eo quod immittat sterilitatem frugibus, vitibus, arboribus, aut pestem, vel bellum, similesve calamitates; tum contra proximum per detractionem, vel susurrionem, quæ clanculariis susurris dissuit amicitiam inter amicos.

A DETRACTIONE. — Græce est, ἀπὸ καταλαλιῶν, id est *a contralocatione*, qua contra aliquem secreto loqueris, eumque vel falso, vel injuste criminaris: hæc enim comes, imo filia est murmurationis, uti docet B. Antiochus *serm. 29*. Prudenter detractionem cavendam monet Sapiens, quia, ut ait S. Hieronymus, epist. 14 *ad Celantiam*: « Pauci admodum sunt, qui huic vitio renuntiant; raroque invenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, ut non libenter reprehend-

dant alienam; tantaque hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitii recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant: » vide dicta *Jacob. iv, 11* et seq. Syrus vertit, a detractore, vel propter detractorem, *parcite linguæ*, q. d. Nolite sermonem miscere cum detractore.

Parcere
linguæ,
Quid?

PARCITE LINGUÆ. — Hebræum *חמל* *chamal*, id est *parcere*, significat etiam *misereri*, et commiseratione duci; unde aliqui vertunt, *miseratione tangimini linguæ*, ne eam temerari patiamini detractio, et obligari flammis suppliciorum, ut contigit diviti epuloni, *Luc. xvi, 23*, qui forte a vino temulentus, laxabat linguæ maledicæ frena in Lazarum et Deum; in utrumque dure, sed durius in seipsum desævians, unde positus in gehenna, linguæ suæ ardenti petiit guttam aquæ, nec impetravit, quia Lazaro negavit micam panis, ait S. Augustinus. Hinc Lyranus, Hugo et Dionysius exponunt, q. d. Nolite hanc injuriam linguæ vestræ inferre, quæ illi tam noxia erit et damnosa: linguæ enim jus et officium est laudare Deum et proximum, quare ingens fit ei injuria, si quis ea abutatur ad vituperandum Deum, vel proximum. Accedit Bonaventura: Detractor, inquit, primo lædit seipsum, suamque linguam et animam. Verum græce est *πελαγία γλώσσης*, id est *abstinetes lingua*, ne scilicet per eam maledica loquamini: *parcite* ergo, id est cohibete et coercete prurientem linguam, ne garrulitate sua in murmura et maledicta erumpat; unde Guarinus vertit, *linguam ab obtreptione continete*; alii ad verbum, a *contradictione abstinetes*: sic Virgilius, *I. Æneid.*: « Parce metu, Cytherea, » id est depone metum; et Seneca, *epist. 115*: « Parcere gladio, » id est abstinere a cædibus; et Cicero, *lib. II ad Atticum*: « Dolori et iracundiæ parcere; » et Lucretius, *lib. VI*: « Lamentis parcere, » id est abstinere. Sic passim dicimus: Labori, impensæ, periculo, injuriis parcere, id est cohibere se a labore, impensa, periculo, injuriis.

Cavenda
detrac-
tio.

QUONIAM SERMO OBSCURUS IN VACUUM NON IBIT. — Arabicus, *non justificabitur*: pro *obscurus*, græce est *λαθηρῆς*, id est *occultus, latens, secretus*; qualis est clancularia detractio et susurratio; unde Vatablus vertit, *sermo clandestinus non abibit impune*; Lyranus et Hugo vertunt, *sermo palliatus, dubius, æquivocus*; S. Bonaventura, *sophisticus et fallax, licet aureo veritatis colore coopertus*; non ergo redibit vacuus, sed plenus et onustus pœna et supplicio sibi congruente et debito.

Minus recte Osorius explicat, q. d. Sermo impurus, licet clanculum inter sodales pronuntiat, non frustra effertur; sed animos audientium impuritate sua inficit et sauciat, purosque et castos facit impuros et incestos. Pro sermo græce est *εὐήγεια*, quod inter alia significat *ingeniosam locutionem*, sententiosam et breve pronuntiatam, qualia sunt lepida, sed acuta et mordacia detractio dicitur et scommata, quæ pariter obs-

cura sunt, id est tecta, amphibologica, dissimulante et argute vitium ejus, cui detrahitur, significantia. Hinc Cicero, *Officior. lib. III*, virum obscurum vocat *astutum et fallacem*, cujus consilia obscura sunt et ignota.

Sapienter S. Ephrem, tractatu *De Timore Dei*: *Vis laudari? lauda alios.* « Sicut, inquit, qui bonum aliquod sibi in thesaurum recondit, ita vir, qui celebrat ac laudat proximum in absentia sua. » Ita prorsus sese habet rei veritas per experientiam frequentem comprobata, sed multis obscura, imo paradoxa videtur, eo quod aliorum vituperia suas æstiment laudes, qua in re graviter falluntur. Vis ergo laudari? lauda alios, etiam absentes; imo adversantes, teque vituperantes: hoc enim te, ut magnanimum et magnificum, omnibus laudabilem et admirabilem efficit.

OS AUTEM, QUOD MENTITUR (SYRUS, OS MENDAX) OCCIDIT ANIMAM, — quod scilicet mentitur murmurando, detrahendo, maledicendo, uti paulo ante dixit; et hoc significat vox græca *καταψυδόμενον*, q. d. Os quod contra aliquem mentitur, puta vel contra Deum; blaspheme negando providentiam aliave ejus attributa, aut affirmando et attribuendo illi ignorantiam, incuriam, aliave vitia, aut errores et hæreses fingendo et docendo, uti faciunt hæretici; vel contra proximum, falsum crimen ei affingendo, vel verum nimis et mendaciter exaggerando: ita S. Augustinus, *lib. De Mendacio, cap. XVI*. Unde ex hoc loco non colligas omne mendacium esse peccatum mortale, sed tantum perniciosum, quod scilicet grave damnum vel perniciem famæ, bonis vel vitæ proximi infert; hoc ergo occidit animam dicentis æque ac audientis, præsertim ejus qui dicenti consentit, ejus criminationes cum voluptate audit. Hoc autem contra naturam est, scilicet ut os, per quod vitalem halitum attrahimus, lethale detractio virus in animam transmittat, quod illam occidat; ergo mendacium officiosum, æque ac jocosum, tantum est peccatum veniale, ut communiter docent theologi. Quare quod nonnulli, ut S. Augustinus, *lib. De Mendacio, cap. VI*, ait: « Si quis ad te confugiat, qui mendacio tuo possit a morte liberari, tibi non est mentiendum, quia os quod mentitur, occidit animam, Sapient. I, 11; et cum mentiendo vita æterna amittatur, numquid pro cujusquam vita temporali mentiendum est? » Hoc, inquam, intellige de mendacio pernicioso, quo injuste vel fidei et Deo, vel proximo nocetur, v. g., si quis, ut alium a morte liberet, juret falsum, vel neget fidem, aut dicat eum negasse fidem coram tyranno, qui ob fidem eum ad necem persequitur: ita enim explicat se S. Augustinus, sub finem cap. XVI, dicens: « Sicut autem quæritur quo ore dixerit: Os autem quod mentitur, occidit animam, Sapient. I, 11: ita quæri potest de quo mendacio: videtur enim de illo proprie dicere, quo cuidam detrahitur. Ait enim ibidem: Abstinetes ergo vos a murmuratio-

Mendacium
perniciosum
peccatum
mortale,
jocosum
veniale.

quæ nihil prodest, et a detractioe lingue parcite. Fit autem ista detractio per malevolentiam. » Et Chromatius in S. *Matth.* cap. v (exstat tom. VII *Biblioth. SS. Patrum*): « Perjurium, inquit, et mendacium divini iudicii pœna damnatur, dicente Scriptura, *Sapient.* I, 11: *Os quod mentitur, occidit animam*, » quæ verba citantur in jure Canonico 22, *Quæst.* V, cap. *Juramentum*. Unde hæc gnome refelluntur basilides et helseceitæ, docentes licere in persecutione fidem ore negare, dummodo eam in corde retineas. Vide Alphonsum a Castro, lib. X *Contra hæres.* de martyrio.

Mendacii
malitia.

OCCIDIT ANIMAM. — Græce ἀνεψά, id est tollit, auferit animam, hoc est animæ vitam, puta Dei gratiam et amicitiam: sicut enim vita corporis est anima, sic vita animæ est Deus, Deique gratia, ait S. Augustinus: quocirca conciliat ei mortem et interitum in gehenna. Nonnulli exponunt, *occidit animam*, id est sepe aufert vitam corporalem cui illi detrahit: ita S. Athanasius, *Apolog. ad Constant. imperat.* ait arianos se persequentes et calumniantes, quantum in ipsis est, cædem facere, quoniam « os, quod mentitur, occidit animam: » ariani enim petebant vitam Athanasii. Huc accedit noster a Castro, qui sic exponit, *q. d.* Os mentiens in Deum, ejusque detrahens potentiæ, bonitati aut providentiæ, animam, id est vitam, tum præsentem, tum æternam, interimit: itaque non evadet pœnam, quantumvis occulte mentiatur; sed gravi scelere irretit animam ad interitum utriusque vitæ: blasphemus enim et maledicens Deo lege veteri jubebatur lapidari et occidi, *Levit.* XXIV, 14; et Deus ipse ærumnis ingentibus et calamitatibus eundem affligebat. Minus apposite Arabicus vertit, *os, quod mentitur, trahit vel ducit animam, q. d.* Fabulones suis fabulis alliciunt ad se aures mentesque audientium.

Porro mendacium materiale est omnis error omneque falsum, quod profertur; formale et proprie est illud duntaxat, quod contra mentem mentisque conscientiam profertur, cum scilicet ore quis loquitur quod corde scit esse falsum; unde mendacium dicitur quasi *menda*, id est error vel *erratum mentis*, puta dictum contra mentem: hoc proprie est mentiri, prius vero est mendacium dicere, ait P. Nigidius apud Nonium: « Qui mentiatur, inquit, ipse non falsus, alterum fallere conatur: qui mendacium dicit, ipse fallitur quantum in se est. Vir bonus præstare debet ut non mentiatur: prudens, ne mendacium dicat; alterum iudicet in homine, alterum non. » Hinc S. Isidorus, lib. X *Origin.* litt. M: « Mendax, inquit, dicitur, quod mentem alterius fallat. » Hanc gnomen citans Clemens Romanus, *epistola* 1: « Præcipiebat, inquit, S. Petrus os suum a multo et pravo colloquio custodire, et verba vana et mendacia non loqui; quia *os quod mentitur, occidit animam.* » Omnibus quidem cavendum est mendacium, sed præcipue prælatis et principi-

Mendacium est
menda
mentis.

bus, quos maxime hic compellat Sapiens, ut patet ex vers. 1; unde S. Thomas, opusc. *De principum eruditione*, multis probat principi amandam esse veritatem, abominandum vero mendacium: « Cavendum, inquit, est principi mendacium ut venenum. Caveant ergo principes sibi a corporali veneno, amplius vero cavendum est eis a veneno mendacii, quod adeo mortiferum est, ut adhuc in ore hominum existens occidat, secundum illud, *Sapient.* I, 11: *Os quod mentitur, occidit animam.* Hoc venenum habuit in ore serpens, qui Evam matrem nostram deceptit, imo hoc venenum occasio dicitur fuisse quod serpens venenum corporale habeat in ore. »

Symbolice Cæsarius Arelatensis, serm. 33 *De Energum.*: « Os, inquit, quod mentitur, occidit animam, quia in se admittit diabolium, qui animæ est interfector. » Rursum S. Augustinus, lib. *De Mendacio*, cap. XVI, per os quod mentitur, non accipit os corporis, sed os cordis, puta signaculum mentis: « Cum os dicit, inquit, conceptaculum ipsum cordis significat, ubi placet et decernitur quidquid etiam per vocem, cum verum loquimur, enuntiatur, ut corde mentiatur, cui placet mendacium. » Probat id ex simili phrasi *Psal.* XIV, 3: « Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua; » et *Matth.* XV, 19: « De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemie: hæc sunt, quæ coinquant hominem. » Verum hic sensus symbolicus est, nam ad litteram os corporis hic intelligitur.

Symbolice os
conceptaculum
mentis.

12. NOLITE ZELARE MORTEM IN ERRORE VITÆ VESTRÆ, NEQUE ACQUIRATIS (græce ἐπιζητεῖτε, id est *atrahatis*) **PERDITIONEM IN OPERIBUS MANUUM VESTRARUM; — Sytus, ne invidetis mortem in seductione habitationis vestræ, et ne attrahamini jactura (perditione) operationum manuum vestrarum.** Lyranus putat hoc dici contra eos qui censent animam esse mortalem, ideoque in rebus adversis ex desperatione sibi necem consciscunt; verum nulla eorum hic facta est mentio; spectat ergo hæc gnome ad id quod præcessit: « Os quod mentitur, occidit animam, » *q. d.* Cum mendacium omnisque iniquitas occidat animam, nolite hæc ipsa zelare et ambire, *in errore*, id est per errorem et insipientiam prævæ vitæ vestræ, suis concupiscentiis, invidiis et passionibus erranter et stulte indulgenti, ideoque a lege, virtute, Deo et salute aberranti. *Errorrem ergo vitæ* vocat illum, quo quis, ut res, famam et opes vitæ suæ adaugeat, proximo detrahit, eumque calumniatur, ut ejus opes statumque invadat: error enim est, velle vitæ suæ commoda procurare per aliena damna; quia, ut hic ait Sapiens, per hoc non vitam, sed mortem sibi accersit.

Vers. 12

Verbis suis addit *opera manuum*, quia ex maledictis venit ad malefacta, et ex verbis prosilitur ad verbera acriora; nolite ergo zelare, id est vehementer appetere et studiose affectare, neque

accersere vobis perditionem per opera linguæ et manuum vestrarum. Tò zelare sumitur in actu exercito, non signato, nemo enim tam stolidus est, ut signate zelet mortem: nam, sicut ait Comicus: « Nolens beatus nemo est, nec miser volens, » miser autem est moriens: dicitur tamen eam zelare, qui zelat, id est avide ambit, calumnias, detractiones, cupiditates et scelera, quæ mortem animæ afferunt: sic gulosus et luxuriosus zelando, id est avide inhiando epulis, vinis et veneri, implicite ambit et zelat mortem præsentem et æternam, quia utramque epulæ, vina et veneres adducunt: sic de homine petulante, qui potentem, vel principem conviciis et injuriis lacessit, vulgo dicimus: Hic homo sibi verbera quærit, suam necem ambit. Sic peccator zelando suas cupiditates zelat et ambit gehennam, juxta illud, *Psalm. XLVIII, 5*: « Sicut oves in inferno positi sunt (Symmachus, *constituerunt seipsos*), mors depascet eos; » S. Augustinus, *pastor erit eis*. S. Hieronymus: « Merito, ait, pascuntur a morte, qui Christum noluerunt habere pastorem bonum. » Theodoretus: « Supplicia sibi asciverunt, et mortem magis voluerunt quam vitam. »

Impietas
mortem
ex infer-
no attra-
hit.

Tò *attractis* notat Deum elongasse a nobis mortem et perditionem, eamque quasi religasse in Orco et inferno, sed impios magna vi inde eam, solutis ejus vinculis, sibi attrahere, imo majori vi, quam sancti sibi e cælo quasi attrahant felicitatem et gloriam cœlestem, quæ ingens est impiorum amentia, imo furor. Græcum ἐπι-
αἰεσις verti potest, *sugatis et attrahatis lac, q. d.* Ne interitum velut lac sugatis, et attrahendo voluptatem maledicendi, vel inique agendi, absconsum in ea virus lethiferum peccati et mortis eliciatis: perinde ac insipientes infantes dulcedine lactis illecti, avide capessunt papillas matris clausis oculis, ore hiant, ut se alant et pascant, ac cum lacte sugunt, sibi que attrahunt morbos et vitia matris. Ita Gonsalvus Cervantes, qui decem alias τὸ ἐπιαίεσις significationes affert, et huic loco adaptat.

Vers. 13.

13. QUONIAM DEUS MORTEM NON FECIT, NEC LETATUR (Syrus, *nec vult*) IN PERDITIONE VIVORUM; — Arabicus, *neque percutit percussione vivos, q. d.* Ideo impii zelant et attrahunt sibi mortem, quia Deus eam primitus non fecit, sed potius vitam: quia creavit hominem ad vitam et immortalitatem; verum homo peccando, mortem sibi accersit: per peccatum enim Deum Deique justitiam offendit, quæ proinde justum mortis supplicium homini peccanti infixit: nam, ut ait Apostolus, *Rom. v, 12*: « Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. » Peccatum ergo a Deo quasi invito mortem extorsit: Deus enim sicut gaudet de hominum vita et felicitate, ita dolet de eorum morte et miseria; id significant ejus voces, *Isai. I, 24*: « Neque consolabor super hostibus meis, et

vindicabor de inimicis meis: » *heu* enim est vox et nota dolentis et gementis; et cum immissurus orbi scelerato diluvium, « tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terræ, » *Genes. vi, 6*; et Christus videns Jerusalem, prævidensque ejus excidium, flevit super eam, *Luc. xix, 41*. Quod ergo subinde Deus dicitur *gaudere de pœna impiorum*, intellige eum gaudere non de malo pœnæ, sed de bono *justitiæ* justæque vindictæ; unde ait ipse, *Ezech. v, 13*: « Complebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam in eis; et consolabor: » similia sunt, *Deuter. xxviii, 63*; *Isai. I, 24*, et alibi. Mortem intellige, tum corporis, tum animæ, quæ duplex est: *prima*, qua anima moritur Deo per peccatum; *secunda*, qua semper morietur, id est pœnas mortis sustinebit, et tamen nunquam erit mortua in gehenna.

Deus ergo non fecit mortem per se, sed per accidens, non volens, sed nolens: fecit enim eam non ut creaturam, v. g. hominem et angelum, sed ut creaturæ recalcitrantis supplicium: nam, ut ait S. Fulgentius, lib. I *ad Monimum*, cap. xix: « Illius rei Deus ultor est, cujus non est auctor; » igitur mortem non fecit: « Quia Deus corruptione carentem hominem creavit, et ad eternitatis suæ produxit imaginem, » ait S. Epiphanius, lib. II *Contra hæres.* cap. xix; et cap. xxii: « Bona igitur mors, cum plagarum instar ad coercedos pueros reperta sit; » et cap. xviii: « Artifices, ait, cupiunt facere opus immortale; ergo multo magis id cupiet Deus. » Dat exemplum Phidiæ: « Hic enim, ait, cum Olympici Jovis simulacrum finxisset ex ebore, oleum ad pedes ante statuum jussit effundi, quo immortalem illam, quantum posset, efficeret. » Et S. Augustinus in *Sentent. Sent. 303*: « Justum Dei judicium est, ut peccato suo quisque pereat, cum Deus peccatum non faciat, sicut mortem non fecit, et tamen quem morte dignum sensit, occidit; unde legitur *Eccli. xi, 14*: *Mors et vita a Deo est*; quæ duo inter se non esse contraria videt profecto, quisquis ab operibus divinis judicia divina discernit: quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud judicando plectere peccatorem. Deus quidem mundum fecit, et corpora prorsus omnia; sed ut corpus corruptibile aggravet animam, et caro concupiscat adversus spiritum, non est præcedens natura hominis instituti, sed consequens pœna peccati: » aliqui pro peccati legunt *damnati*. Quin et Faustus Rhegiensis, *De Gratia Dei*, cap. i, tom. IV *Biblioth. SS. Patrum*: « Deus, inquit, mortem non fecit; mors itaque peregrinum et adventitium malum, non est ordo nature, sed pœna sententiæ: » vide dicta *Genes.* cap. ii, vers. 17. Ita hanc gnomen quoque exponit S. Chrysostomus, lib. I *De Providentia*, tom. V, et S. Augustinus, *De Prædest. Sanctor.* cap. iv et v, et S. Thomas, part. I, *Quæst. XLIX*, art. 2, et II, *Quæst. XLIX*, art. 1, et *Quæst. CLXIV*, art. 1.

Deus
mortem
non fecit
per se.

Rursum deus mortem non fecit, quia non fecit peccatum, per quod solum mors introduci potuit: mors enim non est aliud quam peccati pœna, uti docet Concilium Tridentinum, sess. V; et Concilium Arausicum II, can. II: « Injustitiam, inquit, Deo dare convincitur, qui mortem, quæ est pœna peccati, sine peccato, quod est meritum mortis, ad nos transisse docet. » Unde S. Augustinus passim contra pelagianos ex morte omnium hominum, etiam infantium, probat peccatum originale ex Adamo transfusum in omnes posteros. Hinc

Symbolice mors est peccatum.

Symbolice S. Bonaventura, Dionysius et Holcot per *mortem* accipiunt peccatum: analogias utriusque per plures recenset hic Holcot. Denique S. Augustinus, in *Soliloq.* cap. XXIV, ex hac gnome sapienter et pie ita Deum precatur: « Quod salus nostra ex Deo est, audivimus, ait, de tua misericordia, Domine, quod tu mortem non facis, neque lætaris in perditione morientium; propter hoc, Domine, oramus te, ne permittas dominari, quod non fecisti, creaturæ tuæ, quam fecisti: si enim doles de perditione, quid te prohibet, Domine, qui omnia potes, ne semper læteris de nostra salvatione? » Dices: Deus creavit hominem constantem quatuor elementis: hæc autem inter se sunt contraria, et se mutuo agendo et reagendo faciunt et interimunt; ergo creavit in eo causas et principia mortis. Respondetur: Verum id est, si puram hominis naturam consideres; at Deus non creavit hominem in puris naturalibus, sed in creatione naturam ejus vestivit iustitia originali, quæ tum animæ, tum corporis actiones et motus ita inter se componebat et adæquabat, ut homo pacificus, lætus, sanus, sanctusque victurus fuisset per multa sæcula, scilicet donec Deus eum in cælum ad beatam plenamque immortalitatem transtulisset. Adde corruptionis originale causam in homine cæterisque corporibus, non Deo auctori naturæ, sed naturali rerum ipsorum conditioni et imperfectioni tribuendam esse, scilicet tum ipsis elementis, quæ contrarias habent naturas et qualitates, ideoque se mutuo interimunt, tum ipsi materiæ primæ, quæ novarum semper formarum est capax et avida.

Anagogice.

Anagogice S. Ambrosius, lib. *De Fide resurrectionis*: « Deus mortem non instituit, sed pro remedio dedit, » ut scilicet ipsa mederetur, daretque finem miseris, æque ac peccatis hujus vitæ, ac panderet introitum ad vitam beatam et æternam.

Vers. 14.

14. CREAVIT ENIM, UT ESSENT OMNIA. — S. Antonius Magnus, *epist.* 2, *vocavit ex nihilo, ut essent cuncta*, q. d. Deus creavit res ad esse, hoc est, ut essent, et in suo esse conservarentur; non autem ad non-esse, ut scilicet moriantur et pereant. Probat Deum non fecisse mortem, ex eo quod sit creator omnium: creatoris enim officium et opus est res ex nihilo educere, et ex

non-esse transferre ad esse: huic autem adversatur easdem transferre ex esse ad non-esse: ergo Deus non creavit mortem, mors enim transfert res ab esse ad non-esse, quia esse rerum perimit. Rursum creatio est rei positivæ, puta boni cujuscumque; mors autem non est quid positivum, sed privativum: est enim privatio vitæ, ideoque ipsa est malum, quod Deus per se et primitus non fecit; verum, quia creatura, puta homo abusus est suo esse, ac peccando Deum privavit honore et cultu sibi debito, hinc vicissim congrua talionis pœna Deus, ut justus iudex et scelerum vindex, privavit hominem suo esse, eumque morte mulctavit; mors ergo non est conditio naturæ, sed punitio culpæ. Porro S. Thomas, I *Quæst.*, disp. LXV, art. 2, ad 1: « In hoc ipso, ait, quod creatura aliqua habet esse, repræsentat divinum esse, et bonitatem ejus; et ideo per hoc quod Deus creavit omnia ut essent, non excluditur (sed potius includitur) quin creaverit omnia ad suam bonitatem » creaturis communicandam, manifestandam, amandam, et cum gratiarum actione venerandam.

ET SANABILES FECIT NATIONES ORBIS TERRARUM. — *Nationes sanabiles*, id est salubres, sanativas, quæ possent sanare, non sanari: hoc enim significat græcum *corripit*: sic sanare pro salvare sumitur *Psalm.* XI, vers. 5: « Sana (id est salva) animam meam, quia peccavi tibi, » *Job.* XXXIV, 17; *Prov.* XXVIII, 25; *Jerem.* XVII, 14, et alibi. Pro *nationes* græce est *γενεαι*, id est *generationes*, uti vertit S. Hieronymus in *Zachar.* cap. XII, hoc est vires genitales mundi, puta virtutes quas Deus plantis, herbis, animalibus, gemmis, etc., in earum creatione inseruit ad se propagandum, et generandum sibi simile. Item res ipsæ initio a Deo creatæ et genitæ, hæc enim vocantur *nationes*, id est res natæ et productæ, q. d. Deus fecit ut res primitus a se creatæ essent salutiferæ, non mortiferæ. Quæcumque in mundo a Deo creatæ sunt, ea sunt salutifera: sic Festus: « In pecoribus, inquit, bonus proventus, bona natio dicitur; » et Plinius, lib. XXII, cap. XXIV, et lib. XXIV, cap. VI, *nationes mellis et resina: vocat earumdem generationes et proventus*: alludit enim *natio ad nasci*, sicut *γενεαι* ad *γενεσθαι*, et *γεννησις* ad *γενεσθαι*. Simile est cap. ult. vers. 10. *Nationes* ergo orbis sunt omnia quæ nascuntur in orbe. Aut *nationes*, sive *generationes*, vocat natales, origines et ortus mundi, q. d. Deus primordia et natalitia mundi, puta opus creationis hexamerou, sive sex dierum, initio mundi fecit salutiferum, non lethiferum. Deus fecit ut, initio mundi, nil ei a se creato inesset noxii, sed omnia salubria; quia « vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona, » *Gen.* I, 31. Sic dicitur *Gen.* II, 4: « Istæ sunt generationes cæli et terræ, » id est, hi sunt natales et origines, quibus geniti, et in lucem a Deo per creationem educti sunt cæli et terra; hinc Vatablus hoc loco vertit, *initia*

Nationes vires genitales aut orta mundi.

mundi salutifera sunt; Syrus, in generatione mundi vita; Arabicus, et generationes mundi habentes salutem, supple, fecit Deus.

Rursum, S. Hieronymus per *nationes*, sive *generationes*, præcise intelligit primos homines a Deo genitos et in mundo natos, scilicet Adam et Evam, ex quibus generationes mundi, omnesque homines nascituri erant, quos Deus sanos creavit et immortales, ita ut mori non possent, quamdiu in Dei obedientia et justitia persistenter; adeoque ipsi hanc sanitatem et immortalitatem generatione suam posteros omnes transfudissent. Hoc verum, sed hoc loco duriusculum. Porro Lyranus sic explicat, *q. d.* Deus fecit primos homines sanabiles, id est medicabiles, sive remediabiles: quia scilicet contra mortem animæ per peccatum contractæ, suggessit eis remedium pœnitentiæ, quæ animam peccato mortuam, per gratiam ad vitam spiritualem resuscitat: contra infirmitates vero et mortem corporis suggessit eis, tum varia pharmaca, quæ infirmitates ejus sanarent, tum spem resurrectionis ad vitam æternam et beatam. Secus fuit in angelis, hos enim creavit Deus insanabiles; unde Lucifer et socii ejus in peccatum prolapsi pœnitere, sanari et salvari nequiverunt. « Creavit ergo homines, ait S. Bonaventura, in spiritali sanitate per innocentiam, ad sanitatem reducibiles per pœnitentiam: » sic et Hugo ac Dionysius; unde S. Chrysostomus, hom. 8 et 22 *ad Popul.*, quæ est de pœnitentia, et hom. 24 *in Matth.*, et hom. 24 *in Acta*, docet multa corporis vulnera esse insanabilia, nullum vero animæ; sed omnia facile, puta per contritionem et pœnitentiam sanari et curari posse. Verum hic sensus non est genuinus, sed symbolicus, aut potius accommodatius.

Medicamentum exterminii quod?

ET NON EST IN ILLIS MEDICAMENTUM EXTERMINII.—
Primo, exterminii, hoc est contra exterminium, puta contra mortem, ait Dionysius, *q. d.* Nullum est medicamentum, quod hominem liberet a morte, quam Deus ob peccatum illi infligit; nulla medicina, quæ hominem a morte in perpetuum præservet. *Secundo*, idem Dionysius et Lyranus, *q. d.* Homo per peccatum multas infirmitates et calamitates incurrit; ac non potest ab eis se eximere sese interimendo et occidendo, hoc enim a Deo vetitum est: verum hæc alineasunt et detorta. *Tertio*, S. Bonaventura, Glossa et Hugo per *exterminium* accipiunt peccatum, quod hominem a gratia, Deo, cælo et mundo, ac vita exterminat, *q. d.* In natura nationum, sive hominum, Deus non iniecit poculum, sive venenum peccati, quod est causa exterminii in præsentimorte: dicitur peccatum *exterminium*, quia ponit extra terminum gratiæ: sic et dicitur mors gehennalis, quia ponit extra terminum gloriæ: hæc illi; verum hoc mysticum est et symbolicum, non litterale et germanum. *Quarto* ergo et genuine, pro *medicamentum* græce est φάρμακον, quæ vox media est, et nunc in bonum capitur pro

medicamento, *q. d.* φέρων ἄλγεα, id est ferens medelam; nunc in malum pro veneno, *q. d.* φέρων ἄλγεα, id est offerens tristitiam; unde illud:

Pharmaca non vendas pharmacopola mihi.

Pharmacum ergo *exterminii*, græce δαίμων, id est *perditionis*, est pharmacum e vita exterminans, perdens, interimens, puta venenum mortiferum; unde Syrus vertit, *venenum mortis*; Arabicus, *venenum perditionis*. Sensus ergo est, *q. d.* Deus in genesi, sive in mundi natalibus vel originibus, omnia creavit salutaria, ac proinde nihil in ea est venenatum, nihil quod exterminet, occidat et perimat; unde Guarinus vertit, *in illis nationibus, sive initis mundi non est venenum perimens*; Jansenius, *non est in generationibus mundi creatum a Deo venenum exterminans, sive perdens*, hoc est, non est inter creaturas a Deo creatas, creata perditio corrumpens, aut corruptio vel malum perditionis; Vatablus, *initia mundi salutifera sunt, nec inest in eis medicamentum perniciosum*; S. Hieronymus in *Zachar.* cap. XII, *creavit ut essent omnia, et salutares generationes mundi, et non erat in eis venenum mortiferum.*

Quæritur hic an nulla fuerint venena a Deo creata in genesi mundi, v. g. venenatæ herbæ aut animalia? D. Augustinus, lib. I *De Genes.* contra manich. cap. XIII, censet in genesi non fuisse creatas herbas venenatas, sed post peccatum tantum, idque in pœnam peccati, atque hoc omne videtur hic dicere Sapiens; et favet Scriptura, *Genes.* I, 12, et cap. III, vers. 17 et 18. Huic affine est, quod docet S. Basilius, hom. 3 *Hexam.*, et Ambrosius, lib. III *Hexam.* IX, Damascenus, lib. II *De Fide*, cap. X, Beda et Rabanus in *Genes.*, primum rosam ante peccatum productam fuisse sine spinis, post peccatum vero spinis armatam. Verum contrarium, ut probabilius; passim sentiunt alii.

Dico ergo, *primo*: Probabilius est venenatas herbas et animalia, item rosam cum spinis initio mundi cum aliis herbis et animalibus a Deo creata esse: ita S. Augustinus, qui quod lib. I *De Genes.* contra manichæos dixerat, retractat lib. III *De Genes. ad litt.* cap. XVIII, Basilius, hom. 5 *Hexam.*, et Ambrosius, lib. III *Hexam.* cap. IX. Idem censent de herbis, excepta rosa, D. Thomas, I part., *Quæst.* LXIX, art. 2, ad 2, et ibi scholastici ac passim recentiores scribentes in Genesin, vel in opus sex dierum, uti Pererius, Molina, Valentia, etc. Probatur, *primo*, quia id plane videtur dici *Genes.* II, 2, et 3, ubi Deus dicitur creasse omnem herbam; ergo etiam venenatam. *Secundo*, quia animalia homini noxia tum creata sunt, scilicet cete et serpens; idem ergo de lupis, ursis et herbis venenatis dicendum. *Tertio*, quia hoc exigebat universi perfectio, ut omnes perfectæ rerum species tum crearentur: maxime quia quæ hominibus venenosa sunt, aliis animalibus sæpe non sunt. ut patet de cicuta; imo quæ uno tempore

An initio mundi fuerint res venenatæ?

Responsio deo fuis-
se.

homini sunt venenata, altero sunt eidem salutaria. Ita cicuta sturnis est pabulum, elleborus coturnacibus, mandragora somnum conciliat; opium, sive papaver, sedat dolores corporis, ait S. Basilius hom. 5 *Hexam.*, et ex eo S. Ambrosius, lib. III *Hexam.* cap. IX, et lib. VI, cap. VI; et quia illæ res, licet secundum se noxiæ sint, tamen in medicamentis cum aliis commixtæ, medicinæ sunt hominum et animalium; ac saltem earum scientia homini tum prodesse poterat. Rursum rosa tum nata est cum spinis, quia hæc est rosæ natura, hoc ejus bonum et perfectio.

Non tamen no-
cuisset
Adæ.

Dico, *secundo*: Hæc tamen venena et venenata ante peccatum hominum, homini non erant noxia, saltem in actu secundo, sive potentia propinqua: ut enim Sapiens hic dicit, et cap. sequent. vers. 23, Deus creavit hominem immortalem; licet ergo venena in se homini noxiæ essent, tamen partim, quia homo dominium habebat omnium animalium; partim per scientiam, qua norat omnia venena, et per prudentiam ac dexteritatem, qua facile omnia cavere poterat, præsertim per assistentiam et protectionem Dei, homini innocentiam servanti, uti nec gladius, nec ignis, nec saxa, ita nec venenatæ herbæ aut animalia, ideoque nihil nocere poterat. Unde cum serpente innoxie et intrepide loquebatur Eva: Deus enim cohibebat serpentem, ne Evam tangeret et morderet, eique venenum mortiferum infunderet; atque Adam omnibus animalibus, etiam ursis, lupis et pardis, eorum nomina imposuit. At postquam homo peccavit in Deum, sublata illa singulari Dei protectione, omnia libera relicta sunt, et naturæ suæ reddita, ut in hominem tanquam in hostem insurgerent, eique insidiarentur, et nocere conarentur, ac si ex eo tempore bellum indictum fuerit, et publicatum inter animalia noxia et res alias veneficas, et hominem, contra quem armavit se orbis terrarum, atque hoc est quod post peccatum Deus dicitur posuisse inimicitias inter mulierem et serpentem.

Quo sensu Deus omnia fecit bona?

Respondetur ergo hic *primo*, non negari venena simplicia, sed tantum pharmaca (ut habent Græca) venenata esse composita a Deo: quia hæc inventa sunt a diabolo et pravis hominibus: rursum Deus nulli naturæ vel creaturæ particulari indidit venenum, aut quid noxium, quod illam interimeret et mortem afferret. Respondetur *secundo* et melius, nullum, neque simplex, neque compositum fuisse venenum, quod homini vel propinaret, vel incauto objecerit Deus; quin vero diligentissime cavit (ut jam dixi) ne quid tale homini obveniret, ac consequenter, ut nihil in actu secundo homini esset pharmacum mortis; atque hoc proprie intendit hic Sapiens: tantum enim vult probare mortem non Deo procurante, sed a peccato in orbem invectam. Sic *Genes.* I, 31, omnia dicitur fecisse Deus bona, in se scilicet, et respectu totius universi; non autem respectu aliqujus particularis, cui mala et contraria esse pos-

sunt, ut patet experientia. Sic *Genes.* III, maledicta dicitur terra, et spinas productura, quia terra eadem, quæ ante fuerat a Deo benedicta, felix et fertilis, homini ex paradiso expulso, et ad eam excolendam damnato, cœpit esse maledicta et molesta: imo terra nativa bonitate et fertilitate ob peccatum hominis privata est, et degener facta scatens sentibus et spinis.

NEC INFERORUM REGNUM IN TERRA. — Pro *regnum* græce est βασιλειον, id est *regia, palatium, aula regis*; item signum regale, regium insigne, diadema. Græca ergo ad verbum habent, *neque regia, vel regium insigne Orci super terram*: Orcus a poetis fingitur rex inferorum; unde Syrus, *neque inferno est regnum super terram, q. d.* Deus non fecit ut inferi et dæmones haberent in terram et in homines potestatem, sed id fecit culpa hominum et injustitia; quia credendo tentationibus diaboli ultro ei consensere, et ejus potestati se subjecere. Rursum *inferorum*, id est mortis et interitus *regnum*, sive mortis palatium et arx regia, primitus non erat in terra, sed ex inferis ad nos evocata est arte diaboli, impellentis Adamum in peccatum: hujus enim pœna est mors, q. d. Mortis regnum et regia non erat in terra, sed in imis terræ visceribus apud inferos, « ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, » ut ait Job, cap. X, vers. 22. Igitur Adamo et hominibus in statu innocentiae constitutis dominabantur gratia, vita, cœlum et cœlites, puta angeli ac Deus ipse; at postquam peccarunt, eisdem dominati sunt peccatum, mors, infernus, dæmones et Lucifer; unde omnes, qui ante Christum moriebantur, etiam justis, descende-
bant ad inferos. Hinc S. Joannes, *Apocal.* cap. VI, vers. 8, invitatur ut videat: « Et ecce, ait, equus pallidus: et qui sedebat super eum, nomen illi Mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame et morte, et bestiis terræ. »

Nota, pro *inferorum* græce est ᾗδης; ᾗδης autem est Orcus, Pluto, Tartarus, inferi: dictus ᾗδης quasi ἄωδης, ab ἄ privativo, et ἴδω, id est *videre*, q. d. Locus privatus visu, id est obscurus, profundus, tenebrosus, solis expers, qui ab Hebræis vocatur כַּחַל tsal maveth, id est *umbra mortis*, Isai. IX, 2. Unde Plutarchus, tract. in illud λάβε εὐώσας, id est *latenter vive*: « Qui solem, inquit, Apollinem esse credunt ex majorum et priscorum mysteriis, Delium et Pithium eundem cognominant. Cæterum qui diversæ partis est dominus, sive Deus is est, sive dæmon, Haden, id est *Orcum*, appellant (quod mortui in locum *tenebrosum* et *obscurum* demigremus) ac densæ noctis somnique inertis regem. »

Ἄδης ergo est inferorum rex, et quasi deus, qui reipsa non est alius quam Lucifer, cujus regia est in gehenna: hunc post peccatum Adæ in homines exercuisse potestatem ostendit nomen Or-

Orcus quis?

cus, quod Festus ab *urgendo* derivat, eo quod omnes homines ad mortem urgeat: idem vocatur *Pluto* a divitiis, quod dives sit tum opum, tum animarum peccantium et damnatarum: *πλούτης*; enim sunt *divitiæ*, puta aurum, argentum, gemmæ, quæ in imis terræ visceribus sunt reconditæ; hinc poetæ Jovem cœli, Neptunum maris, Plutonem inferni deum constituunt, eique uxorem dant Proserpinam, de quo Statius ita canit:

Sorte sedens media, regni infelicis in arce
Dux Erebi, populos posebat crimina vitæ.

Idem dicitur *Tartarus*, et in plurali *Tartara*, a *ταράσσειν*, id est *turbare*, quod omnia turbet, ac sursum deorsumque misceat, aut a *ταφραζέω*, id est a *tremore frigoris*, quod sit locus profundissimus et frigidissimus: unde Virgilius, V *Aneid.*, vocat *intima lethi tartara*; alibi *tristia, funesta, nigra, opaca, profunda tartara*. Hinc idem VI *Aneid.* ita canit:

At lava malorum
Exercet pœnas, et ad impia Tartara mittit.

Et rursum:

Bis patet in præceptis tantum, tenditque sub umbras,
Quantas ad æthereum cœli suspectus Olympum.

Ergo Orcus, Pluto et inferus, puta Lucifer, regnum mortis, quod habebat in gehenna, post peccatum Adæ extendit super terram in omnes homines ex Adam nascentes, quos telo mortis transfigit: nam, ut dicit cap. sequent. vers. 23: «Deus creavit hominem inexterminabilem, etc.; invidia autem diaboli mors introivit in orbem.»

Salomon
non est
auctor
Sapientie,
cur?

Alludit ad poetas (unde colligas auctorem hujus libri non esse Salomonem, utpote qui Orpheo, Homero, Hesiodo, omnibusque poetis et philosophis longe fuit anterior et antiquior) qui *Aden*, sive Orcum, et Plutonem, asserunt esse inferorum regem, in tenebrosa et horrida regione sub terra dominantem, qui animas defunctorum omnium inevitabilibus vinculis constringat, habeatque pro stemmate regali claves, eo quod infernus ingredientibus adamantinis quasi claustris obseretur, ac nulli in illum ingresso detur egressus, de quo plura Natalis Comes, lib. X *Mythol.* cap. IX. Sic auctor lib. *Judith* cap. XVI, vers. 8, alludit ad fabulam Titanum, id est gigantum eum Jove pugnantium: «Nec filii Titan, inquit, percusserunt eum,» scilicet Holophernem.

Mystice.

Mystice Glossa interlinearis, cujus auctor est Anselmus Laodunensis: «Nihil, ait, homini nocuisset diabolus, nisi acquievisset homo;» et Holcot: «Homines, ait, in terra existentibus non ita dominantur demones, ut eos invitos ad malum impellant;» Rabanus quoque et Hugo: «In natura, inquit, non est conditum a Deo peccatum, propter quod in hominibus inferi, id est demones regnent.» Rursum, Lyranus et Dionysius: In præsentia vita, inquit, non est lex in-

fernalis,» ut scilicet lapsi nequeant pœnitere, resurgere, justificari et salvari, uti nequeunt damnati in inferno. Denique alii, q. d. Infernus, sive gehenna, ac impiorum in eo ardor et cruciatus, non est per se primitus institutus a Deo, sed post, et propter peccata hominum, ad ea puniendâ; aut q. d. Peccatum, ob quod infernus et dæmon dominantur homini, non est a Deo, sed a libera et mala hominis voluntate; aut q. d. Dæmon non ita pleno jure dominatur peccatoribus in terra, quia ab ejus manibus et tyrannide liberari possint, si pœnitere velint.

15. JUSTITIA ENIM (Græca habent *δίκη*, id est *au-* Vers. 1:
tem) PERPETUA EST, ET IMMORTALIS.—Addunt aliqui codices, ut Complutenses, *injustitia autem mortis acquisitio*: quæ verba non sunt authentica textus, sed ejus per antithesin exaggeratio et explicatio: nam ea non habent codices Vaticani, Græci, et cæteri melioris notæ. Probat mortem non esse factam a Deo, ac consequenter nec medicamentum externum, ex eo quod Deus homini primitus indiderit justitiam, quæ est pharmacum immortalitatis: justitia enim ex Dei decreto, dono et præmio est immortalis, facitque hominem immortalem: quare quamdiu Adam in justitia originali perstitit, mori non potuit; et si semper in ea perstitisset, nunquam mori potuisset. *Justitiam* hic non specialem, uti videtur velle S. Augustinus, lib. XIV *De Trinit.* cap. IX, sed generalem et originalem intellige, quæ erat chorus sive complexio omnium virtutum: hæc enim Adæ dabat vitam et immortalitatem; qua eversa peccatum eidem et posteris omnibus infixit debitum mortalitatis, ipsamque mortem. Justitia ergo velut sol dat lucem, vitam, lætitiâ, felicitatem, felicemque æternitatem. Quis ergo ea non amet et ambiat? Ipsa est *δικαιοσύνη*: facit ergo *athanasios*, gloriosos et immortales. Porro Cantacuzenus *justitiam* non hominum, sed Dei intelligit, q. d. Justitia, id est justa, benefica et suavis Dei optimi providentia et beneficentia, quantum est ex se, esse quod semel creaturis dedit, non revocat, sed stabilit, facitque ut sit perpetuum; et noster a Castro: «Justitia, ait, quam servat Deus, dum tribuit rebus juxta insitam naturam quod illis proprium est, ad earum perpetuitatem, facit illas esse perpetuas;» et Didymus in *epist.* II S. Joannis, cap. II (exstat tom. V *Biblioth. SS. Patrum*): «Dei, ait, cum sanctis voluntas permanens virtus est, de qua scriptum est, *Sapient. I, 15: Justitia est immortalis.*» Verum prior sensus est genuinus.

Quærit S. Augustinus, lib. XIV *De Trinitate*, cap. IX, an virtutes hujus vitæ maneat in altera, puta in cœlo? «quibusdam enim, ait, visum est desituras; et de tribus quidem prudentia, fortitudine, temperantia, cum hoc dicitur, nonnihil dici videtur; justitia vero immortalis est, et magis tunc perficietur in nobis, quam esse cessabit.» Citat deinde Ciceronem, qui in *Hortensio* asserit omnes desituras, etiam justitiam; ac rationem

Virtutes
quatuor
cardina-
les manebant in
cælo.

affert : « Nec enim, ait, fortitudine egeremus, nullo proposito aut labore et periculo; nec justitia, cum esset nihil quod appeteretur alieni; nec temperantia, quæ regeret eas quæ nullæ essent libidines; nec prudentia quidem egeremus, nullo delectu proposito bonorum et malorum. Una igitur essemus beati cognitione naturæ, et scientia, qua sola etiam deorum est vita laudanda. Ex quo intelligi potest cætera necessitatis esse, unum hoc voluntatis. » Verum corrigit hoc Ciceronis dictum S. Augustinus, ac docet certum esse justitiam mansuram, idemque de cæteris probabiliter esse censendum. Sic enim ait : « Cui (Deo) regenti esse subditum, si justitia est, immortalis omnino est justitia, nec in illa esse beatitudine desinet, sed talis ac tanta erit, ut perfectior et major esse non possit. Fortassis et aliæ tres virtutes, prudentia sine ullo jam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum, erunt in illa felicitate, ut prudentiæ sit nullum bonum Deo præponere, vel æquare; fortitudinis, ei firmissime coherere; temperantiæ, nullo defectu noxio delectari. » S. Augustinum sequitur S. Thomas, I II, *Quæst.* XVIII, art. 1, ubi resolute docet omnes quatuor virtutes cardinales mansuras in cælo, velut ornamenta animæ rationalis, ac velut lætæ, quam anima cum concupiscentiis in hac vita generose obiit, puta victoriæ ejus, præmia et trophæa.

Vers. 16. 16. IMPII AUTEM MANIBUS ET VERBIS ACCERSIERUNT ILLAM : ET ESTIMANTES ILLAM AMICAM, DEFLUXERUNT, ET SPONSIONES POSUERUNT AD ILLAM : QUONIAM DIGNI SUNT QUI SINT EX PARTE ILLIUS. — Impii, græce ἀσεβεις, id est irreligiosi, nefarii, scelesti, qui Numen non cognoscunt, vel non timent, non venerantur, non colunt, ideoque in omnia scelera se effundunt. *Illam*, scilicet mortem, græce enim est αὐτῆς masculinum, quod non potest referre δίκαιοσύνην, id est justitiam, nec ἀδικίαν, id est injustitiam, quam nonnulli addunt vers. 13, ut vult S. Bonaventura, cum utraque sit feminini generis, sed masculinum θάνατος, id est mortem, « Estimantes illam amicam, » non in actu signato, sed exercito, quasi dicat : Perinde se gerentes erga mortem, uti se gerit amicus ad amicum, dum quæ grata et annexa sunt morti, quæque mortem procurant, puta concupiscentias et scelera sua, adamarunt. Simili schemate dixit vers. 12 : « Nolite zelare mortem. » Pro *defllexerunt*, græce est ἐπίπεσαν, id est *contabuerunt*. « Sponsiones, » id est fœdus inierunt cum morte : alludit ad illud *Isai.* XXVIII, 15 : « Dixistis enim : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum; » vide ibi dicta. « Quoniam digni sunt, » nonnulli codices addunt *morte*, sed *morte* delent Romani et Græci, satis enim illa intelligitur ex eo quod sequitur : « Qui sint ex parte illius, » scilicet mortis, cum qua fœdus inierunt.

Mortis causa.

Dixit Deum non fecisse mortem, sed creasse

hominem justum, sanum, sanctum, immortalem : jam veram mortis causam assignat, primorum parentum cæterorumque impiorum vesaniam, qui mortiferas suas cupiditates adeo ardentem adamarunt, ut mortem, quam in eis repositam sciebant, non exhorruerint; sed ultro illam sibi manibus iniqua agendo, cædesque et rapinas exercendo, ac verbis murmurando, blasphemias in Deum, contumelias in proximis jactando (uti faciunt tyranni, et insolentes principes ac judices, quos maxime hic taxat, ut patet ex versu 1), accersierint, quasi illam sibi amicam estimarint, cum ipsa revera esset eis hostis acerrimus; hinc defllexerunt ad suas voluptates, ac ad mortem et interitum in iis repositum, ibique contabuerunt, id est tabem et corruptionem, tam animæ quam corpori induxerunt; quare ita se reipsa gesserunt cum morte, ac si cum illa amicitiam et fœdus inissent, idque stolidè, sed jure, digne et merito, quoniam digni sunt, qui partem et societatem habebant cum morte, ejusque ærumnarum et dolorum sint participes, eo quod cum ipsa sponte fœdus inierint. Mortem intellige, primo corporis, ut patet ex versu 14; deinde animæ per peccatum et damnationem in gehenna.

Nota, singula verba habent emphasisim, notantque in impiis singularem æstum vel furorem cupiditatis, qua cæci, velut effrænes et amore insanientes equi, sese præcipitant in mortem præsentem et æternam. Ait ergo : « Manibus et verbis accersierunt illam, » scilicet mortem, hoc est omni conatu et studio, quod vulgo dicitur, *velis remisque*, vel *manibus pedibusque* : solent enim ardentem amantes manuum jactatione, extensione et gesticulatione advocare remotos et procul disitos. Rursum primi parentes manus extendendo ad pomum vetitum, verbaque miscendo cum serpente, mortem sibi et posteris accersiverunt. Glossa explicat, *factis et dictis*; S. Bonaventura, *manibus defensionis, et dictis gloriationis* : suas enim cupiditates et scelera manibus propugnant, eademque verbis magnificant et celebrant. Id fecit Eva, cum pomum vetitum porrexit Adæ, eumque ad comedendum allexit; quod ille fecit, etiamsi sciret sibi dictum a Deo : « In quocumque die comederis, morte morieris, » *Gen.* II, 17. Huic proverbio antistropha sunt illa veterum : « Mala ad se trahentes velut Cæcias nubem. His qui quærent bona vix accedunt, mala vero etiam non quærentibus. » Apologus exstat apud Æsopum de bajulo sub onere gemente, ideoque invocante mortem. Stitit se illa; tum bajulus : « Te, inquit, invocavi non ut occidas, sed ut onus mecum in humeros leves. »

ET ESTIMANTES ILLAM AMICAM, — non directe, sed indirecte et concomitanter : Adam enim, et quisvis peccator, estimat amicam non ipsam mortem, sed suam gulam et voluptatem, quam ardentem et perditæ adamat, etiamsi sciat illam sibi a Deo vetitam sub pœna mortis; dum ergo eam

Impiorum feror et cæcitas in cupiditatibus.

Mors vobis imptariis amicam, quomodo?

cæcus et amore ebrius haurit, mortem ipsam haurit. Rursum proprie mortem amicam æstimant voluptuarii, quia toti suis cupidinibus hujus vitæ inhiantes, tandem æstimant omnia in morte finire, omniaque cum corpore inferire, ut dicet initio cap. seq., ideoque libere omnibus voluptatibus in vita indulgent, ac in omnia vitia defluunt. Aliam expositionem addit noster a Castro, q. d. Arbitrati non sibi nocituram accersitam mortem, propter illam serpentis promissionem: « Nequaquam moriemini, » aliter accidisse experti sunt, quam putarent: nam continuo mortis stimulo puncti tabescere, atque in modum labentis undæ ad mortem defluere ac properare cœperunt, atque sic tandem perierunt.

Impios
deserere
quid?

DEFLUXERUNT, — Græce *ἐπίπεσον*, id est instar ceræ paulatim *liquati sunt*, colliquati sunt, perierunt, consumpti et in tabem resoluti sunt; Arabicus; *liquefacti sunt*; Syrus, *corrupti sunt*. « Defluerunt » ergo, id est instar ceræ colliquati, a soliditate justitiæ originalis, sanctitatis, gratiæ, lætitiæ et immortalitatis, ad fluxam voluptatem, intemperantiam, peccatum, mœrorem, mortem et gehennam se transtulerunt; fluere cœperunt in mortem, primo culpæ, ait S. Bonaventura, deinde pœnæ et gehennæ, puta in omnes ærumnas hujus vitæ et futuræ, quas sibi omnibusque suis posteris accersiverunt.

Sponsio-
nes im-
piorum
ad mor-
tem,
quam?

SPONSIONES POSUERUNT AD ILLAM, — id est ad illius comitem, imo matrem, puta ad voluptatem vetitam a Deo sub pœna mortis: illi enim tanto ardore copulati sunt, ac si cum ea fœdus arctissimum sanxissent: ideoque dicuntur pariter cum morte, quæ voluptati inseparabiliter annexa est, fœdus sanxisse; unde Arabicus vertit, *et posuerunt cum ea pactum*; Syrus, *juraverunt et fœdus constituerunt cum ea*. Rursum proprie cum ipsa morte quasi fœdus inierunt, dum ita secure libidini et tyrannidi se totos tradiderunt, perinde ac si non essent morituri, aut potius ac si non nisi post multa sæcula essent morituri, et in ipsa morte amice et pacifice conquieturi, nullum post eam expectantes iudicium, nullam vitam, nullum supplicium, eo quod æstimarent omnia in morte consummari, nec aliam superesse vitam; quare læte se morituros putarunt, juxta illud, *Job. XXI, 13*: « Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt; » sic Augustus Cæsar optabat sibi *εὐθανάτιον*, id est *facilem hilaremque mortem*, illaque ipsi obtigit, teste Suetonio. Fœdus ergo impiorum cum morte est, quasi ei dixerint: Ne noceas nobis, o mors, nos vicissim non nocebimus tibi, sed erimus amici; verum errarunt: nam, ut eis minatur Deus, *Isai. cap. XXVIII, vers. 48*: « Delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit: flagellum cum transierit, eritis ei in conculcationem. »

QUONIAM DIGNI SUNT QUI SINT EX PARTE ILLIUS, — qui scilicet *mortis sint sors*, ut vertit Syrus, pars

et hæreditas, qui ut unici filii ex asse sint possessio mortis, eaque tam activa, ut scilicet ipsi possideant non vitam, sed mortem, quam passiva, quos nimirum ipsa mors hæreditet, ac ut hæreditatem suam possideat, puta in quos ipsa desæviat exerceatque suum imperium, ac mori cogat, ait Anastasius Nicenus, Quæst. XVI in *S. Scripturam*. Notat S. Bonaventura hic gradus iniquitatis, per quos impii descendunt in profundum malorum, ipsumque gehennæ barathrum: « Nam *primus* gradus, ait, est impietas in corde per consensum internum mentis; *secundus*, eadem est impietas in manu per consummationem operis, dum scelus quod mente designarunt, opere perpetrant; *tertius*, eadem est in ore per verbum defensionis et gloriationis, dum scelus excusant, imo de eo gloriantur; *quartus*, dum impii cum impietate pangunt *amicitiam* et fœdus, per spem impunitatis; *quintus*, dum toti in illam defluunt per frequentem peccati iterationem, peccandi consuetudinem et mentis obdurationem; *sextus*, dum ruunt in ipsam mortem, tum impœnitentiæ finalis, tum gehennæ. »

Sex gra-
dus pec-
cati

Symbolice, vita impiorum non est vita, sed continua mors; unde recte cum ea *amicitiam* et fœdus iniisse dicuntur, tum quia vita eorum plena est intemperantiis, excessibus, iris, rixis, invidiis, cæterisque animi passionibus et perturbationibus, quæ homini mille afflictiones et dolores mortis afferunt; tum quia vivunt in perpetuis erapulis, luxuriis, odiis, inimicitiiis, contumeliis, rapinis, cæterisque peccatis, quæ mortem animæ conciliant; tum quia horum scelerum pœnas, puta luem veneream, catarrhos, nauseam, fastidia, febres, dolores capitis, stomachi, aliosque plurimos, item paupertatem, infamiam, persecutiones, omneque genus malorum sibi accersunt; unde S. Gregorius de vita hominum quorumlibet post peccatum, sic ait hom. 37 in *Evang.*: « Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita: ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis? » Vide ebrios, qui quotidie potant et se inebriant, advertes eos nunquam fere mentis esse compotes, nec ratione uti, sed vivere ut bruta ratione carentia, imo brutis esse deteriores et miseriores, nam noctem vertunt in diem, noctem potando traducunt in ebrietate, ac proinde rationis usu se privant: per diem dormiunt, ut erapulam digerant; unde tam die, quam noctu rationis usu ut bruta carent. Vide et contemplare invidos, superbos, ambiciosos, qui nil nisi vindictam, honores, prælaturas somniant, quot curis, æmulationibus, invidiis, suspitionibus, mortificationibus, doloribus, angoribus cruciantur? An non vita eorum mors est potius quam vita, imo agonia mortis perpetua? atque hanc ipsi ultro sibi accersunt, amicam æstimant, et cum ea fœdus inviolabile pangunt. O stolidos, o miseros, o vecordes!

Vita im-
pii est
mors.

CAPUT SECUNDUM

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit impiorum qui sapientiæ, virtutisque et veræ vitæ expertes, cum insipientia, vitiis et morte fœdus inierunt, sensa et mores describere, scilicet quod sentiant omnia cum morte finire, ideoque voluptati, dum vita suppetit, indulgendum; et justum quemlibet eis adversantem, ac in primis Christum esse occidendum et crucifigendum. Inde, vers. 22, ostendit eorum cæcitatem, quod ignorent futura præmia justis, et supplicia injustis a Deo præparata: Deum enim creasse hominem immortalem, mortem vero invidia diaboli per peccatum in orbem invecam, quam ejus sectatores impii experiuntur, acresque ejus aculeos gementes sentiunt.

1. Dixerunt enim cogitantes apud se non recte: Exiguum, et cum tædio est tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis: 2. quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tanquam non fuimus: quoniam fumus flatus est in naribus nostris: et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum: 3. qua extincta, cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tanquam mollis aer, et transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est a radiis solis, et a calore illius aggravata: 4. et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum. 5. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri: quoniam consignata est, et nemo revertitur. 6. Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter. 7. Vino pretioso et unguentis nos impleamus: et non prætereat nos flos temporis. 8. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. 9. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors. 10. Opprimamus pauperem justum, et non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis. 11. Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ: quod enim infirmum est, inutile invenitur. 12. Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et impropereat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. 13. Promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat. 14. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. 15. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus. 16. Tanquam nugaces aestimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur patrem se habere Deum. 17. Videamus ergo si sermones illius veri sint, et tentemus quæ ventura sunt illi, et sciemus quæ erunt novissima illius. 18. Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum. 19. Contumelia et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius. 20. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius. 21. Hæc cogitaverunt, et erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum. 22. Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. 23. Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. 24. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum: 25. imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.

Vers. 1. 1. DIXERUNT ENIM COGITANTES APUD SE NON RECTE, hic dari rationem præcedentium, cur scilicet — sed prave, insipienter et impie; τὸ enim notat impii mortem accersierint, cum eaque fœdus

inierint, ideoque digni sint, qui in mortis sorte et societate statuuntur. Ratio eorum hæc est : vita nostra, omniaque ejus bona et mala in morte finiuntur, ac post mortem nihil erit, quod nos exhilaret vel affligat; ergo dum vivimus, vivamus læte, omnique cupiditati indulgeamus, ideoque aliorum opes et bona diripiamus, ut iis epulemur et voluptuemur. Radix hujus eorum paralogismi est, cupiditas et voluptas, cui toti inhiant : hanc enim ut impune sectentur et expleant, sibi persuadent animam esse mortalem, ac proinde post mortem nullam timendam esse numinis vindictam et pœnam. Hujus erroris et hæresis auctor fuit Cain, parricida Abelis fratris sui, qui negavit numen numinisque vindictam, ideoque fratrem occidit, teste Josepho, I *Antiq.* cap. III, ac Philone, lib. *Quod deterius potiori insidietur*, et S. Ambrosius, lib. *De Cain et Abel*, cap. IX : hunc secuti sunt posteri ejus omnes, ob quos Deus orbem totum mersit diluvio. Post diluvium perfidiam hanc et scelus renovavit Nemerod, tyrannus, auctor turris babilonicæ, quasi per eam in cœlum conscensurus, Deoque bellum indicturus, *Genes.* XI; deinde Samarite, scilicet Assyrii, qui a Salmanasar ex Assyria traducti sunt in Samariam, hi enim censebant omnia cum morte interire, nec ullam fore resurrectionem, teste Epiphonio, *hæresi* 9; Philastrio, *hæresi* 7, et aliis; denique Sadoc, ejusque asseclæ sadducei, qui vixit sub Juda Machabæo, teste Josepho, lib. XIII *Antiq.* cap. IX. Eandem hæresim ex gentilibus docuerunt Democritus, teste Plutarcho, lib. IV *De Placitis philos.* cap. VII; et post eum Epicurus, ejusque sectatores epicurei, quorum hoc axioma :

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas,

teste Plutarcho *ibidem*. Horum sensa et voces recenset Seneca, *epist.* 123 : « Inde, inquit, ad hæc pervenitur verba : Virtus, et philosophia, et justitia, verborum inaniam crepitus est; una felicitas est, bonæ vitæ, facere omnia libere (alii codices legunt, *facere, esse, bibere*), frui patrimonio; hoc est vivere, hoc est se mortalem esse meminisse. Flunt dies, et irreparabilis vita decurrit : dubitamus? Quid juvat sapere; et ætati, non semper voluptates recepturæ, interim, dum potest, dum poscit, ingerere frugalitatem? ultro mortem præcurrere, et, quidquid illa ablatura est, jam sibi interdicere? »

Verum hæc eorum ratio est irrationalis et stolidi : hic eorum syllogismus est paralogismus, nam *primo*, falsissimum est animam rationalem cum corpore mori, cum ipsa ad imaginem Dei creata, ab eo participet immortalitatem. *Secundo*, esto anima foret mortalis, ac vita omnis finienda esset in morte, tamen illam virtuti, non voluptati, totam impendere oporteret : voluptas enim est bonum bestiarum, virtus vero, sive vivere juxta doctrinam rationis, est bonum hominum,

uti loco jam citato docet Seneca. Adde virtutem unicam veramque esse hominis voluptatem, sed spiritualem, quæ hominem Deo gratum, lætum, sanum, sanctumque efficit; cum voluptas omnis carnalis hominem bestialem, Deo et angelis invisum, tristem, morbidum et sceleratum efficiat : unde prudenter ille juvenis in *Vitis Patrum*, dæmoni, qui falso suggerebat ipsum esse a Deo reprobatum, ut eum ad vitam in omni carnis voluptate transigendam impelleret, sapienter respondit : « Si in futura vita mihi non detur servire placereque Deo, serviam saltem placeboque in hac præsentis : quid enim sanctius, quid melius, quid jucundius, quam placere Deo? servire enim Deo regnare est. Fruar ergo Deo meo in hac vita, si non liceat in altera. »

EXIGUUM, ET CUM TÆDIO EST TEMPUS VITÆ NOSTRÆ. — Græce, *exigua et molesta est vita nostra*; nam pro *cum tædio* græce est *λυπηρός*, id est *tristis*, *anxia*, *gravis*, *molesta*, *acerba*, *misera*, cui opponitur *εὐπρόσ*, id est *læta*, *jucunda*, *suavis*, *delectabilis*. Sententia hæc expositione non eget, quia clare eam nobis exponit, imo oculis eam cernendam proponit quotidiana cujuslibet experientia : vita enim nostra mille affert labores, mille ærumnas, mille tædia et fastidia. Numera labores et dolores, quos subis uno die, ac invenies plures esse, quam sint horæ vel actiones, adeoque quamlibet actionem iisdem undique esse inspersam et refertam. Hoc est quod ait Jacob Pharaoni, quot annorum esset interroganti, *Genes.* XLVII, 9 : « Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali, » id est *miseri*; et David, *Psal.* XXXVIII, 6 : « Mensurabiles (hebraice *מִשְׁפָּחֹת* *tespachot*; Septuaginta, *μετρίαιτες*, id est *palmares*, hoc est exiguis instar palmi, qui est mensura continens tantum, quantum extensione digitorum manus comprehendi potest, quæ vulgo *spithama* dicitur, unde Symmachus vertit, *σπυθαμάς*) posuisti dies meos, et substantia mea tanquam nihilum ante te. » Consule Job, cap. XIV, vers. 1 et seq.

Vidit idipsum Seneca qui, *epist.* 100 : « Hoc, Vita æ- ait, quod inter primum diem et ultimum jacet, rumana. varium et incertum est. Si molestias æstimas, etiam puero longum; si velocitatem, etiam seni angustum. Nil non lubricum et fallax, et omni tempestate mobilis. Jactantur cuncta, et in contrarium transeunt, et in tanta volutatione rerum humanarum nil cuiquam nisi mors certum. » Et paulo post : « Propone profundi temporis vastitatem, et universum complectere, deinde hoc, quod ætatem vocamus humanam, compara; universe videbis quam exiguum sit, quod optamus, quod extendimus : ex hoc quantum lacrymæ, quantum sollicitudines occupant, quantum mors antequam veniat optata, quantum valetudo, quantum timor, quantum teneri, aut rudes, aut inutiles anni. Dimidium ex hoc edormitur. Adjice labores, pericula, et intelliges etiam in lon-

Cupidi-
tas ma-
ter a-
theismi.

Ratio a-
liorum
stolida.

gissima vita, minimum esse quod vivitur. » Et Menander : « Congenita sunt dolor et vita, illeque consensescit vitæ. » Zeno imperator : « Ludibrium Dei est homo. » Alius : « Quid est homo? mancipium mortis, viator transiens. » Aristoteles : « Quid est homo? imbecillitatis exemplum, temporis spoliū, fortunæ lusus, inconstantiaē imago, invidiae et calamitatis trutina : reliquū vero pituita et bilis. » Ita refert Stobæus, *serm.* 89, qui totus est de hac re.

Impiū
nullum
refrige-
rium.

ET NON EST REFRIGERIUM IN FINE HOMINIS. — S. Bonaventura, Lyranus, Hugo et Dionysius exponunt, *q. d.* Impii post hanc vitam pergunt, non ad refrigerium cœli, sed ad supplicium gehennæ; verum græce est : *ὄχι ἔστιν ἰασις ἐν τῷ θανάτῳ ἀνθρώπου*, id est, non est medicatio, vel curatio in obitu hominis; Vatablus, nec est remedium contra obitum, *q. d.* Non est medicina, nec remedium ad evadendam mortem, juxta illud : « Contra vim mortis non est medicamen in hortis. » Vere Seneca in *Consolat. ad Marciam*, cap. XI : « Quid, ait, est homo? quodlibet quassum vas, et quodlibet fragile; jactatu, non tempestate magna ut dissiperis, est opus : ubicumque arietaveris, solveris. Quid est homo? imbecillum corpus et fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum : cum bene lacertos exercuit, cujuslibet feræ pabulum, cujuslibet victima; ex infirmis fluidisque contextum, et lineamentis exterioribus nitidum; frigoris, æstus et laboris impatiens; ipso rursus situ et otio iturum in tabem, alimenta metuens sua, quorum modo inopia, modo copia rumpitur. » Et paucis interjectis : « Odor illi saporque, et lassitudo, et vigilia, et humor, et cibus, et sine quibus vivere non potest, mortifera sunt. Quocumque se movet, infirmitatis suæ statim consciū, non omne cœlum ferens, aquarum novitatibus, statuque non familiaris auræ, et tenuissimis causis atque offensionibus morbidum, putre, causerium, fletu vitam auspiciatum : cum interim quantos tumultus hoc tam contemptum animal movet! in quantas cogitationes oblitum suæ conditionis venit! immortalia, æterna volutat animo, et in nepotes pronepotesque disponit : cum interim longa conantem eum mors opprimit; et hoc, quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum. »

Mystice. Mystice : « Non est refrigerium homini in fine, » quia cum febrī quadam hectica, ex cruda illa comestione pomi vetili, semper æstuemus, non est refrigerium, id est, non est remedium vel pharmacum, quo ardor excitatæ febris restinguatur; ac proinde non est remedium contra obitum hominis : febris hæc est insita homini elementorum contrariorum commixtio, quæ eum lacessendo assidue corrumpunt et interimunt : item febris hæc est concupiscentia, quæ hominem ad excessum gulæ et luxuriæ impellit, quo plerique occiduntur.

ET NON EST QUI AGNITUS SIT REVERSUS AB INFERIS. — Clarius, non est qui post mortem iterum vitæ sit restitutus, qui scilicet ostenderit se vivere, et aliam post mortem superesse vitam, in qua liceat miserias hujus vitæ effugere, et in voluptates commutare, *q. d.* Incerta et fabulosa sunt, quæ a poetis cæterisque de inferis eorumque pœnis, ac rebus aliis post hanc vitam narrantur : hæc enim omnia sunt aniles fabulæ, et terribilissima puerorum : talis est descensus Æneæ ad inferos, indeque reditus duce Sibylla, quam describit Virgilius, VI *Æneid.*, et ille Thespesii Solensis apud Plutarchum, lib. *De Sera Numinis vindicta*. Tacite indicant impii animam cum corpore interire, ideoque illi dandas suas cupiditates in hac vita, ut læta vivat, cum post hanc vitam nil amplius illi sit exspectandum : ita nimirum, sicut animæ immortalitas impellit hominem ad metum cultumque numinis per modestam puramque vitam, sic mortalitas animæ, homini persuasa, inducit eum ad negandum numen omnemque religionem, ut homo libere vivat, sequaturque suas libidines. Porro hæc impiorum gnome falsa est : quia multi redierunt ab inferis, qui suscitati sunt ad vitam ab Elia, Eliseo, aliisque prophetis, apostolis et sanctis; vera tamen est hoc sensu, quod illo ipsorum ævo pauci, et forte nulli a morte et inferis ad vitam redierint. Simili modo ait Homerus, *Iliad.* IX :

Obnoxii prædæ sunt boves, et pingua pecora,
Et tripodes acquiri possunt, et equorum flavicoma capita.
At hominis anima, ut redeat neque per prædam,
Nec aliter capi potest, ubi semel emigraverit e vallo dentium.

Et Philetas :

Iter feci ad inferos,
Per quod nullus retrorsum viator rediit.

Et Virgilius, VI *Æneid.* :

Facilis descensus averni;
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Nota, animæ beatorum in cœlis sæpius in terram redierunt et apparuerunt mortalibus, ut cum B. Virgo apparuit Joanni patricio et Liberio pontifici, jussitque basilicam sibi in Esquilis exstrui eo loco qui nive tectus erat die 5 augusti : unde *Festum B. Mariæ ad nives*. Cum eadem apparuit B. Joanni Damasceno, eique manum, quam Leo Isaurus præscindi jusserat, rogata restituit, in brachio relicta ex vulnere lineola, ut in ejus *Vita* narrat Joannes patriarcha Hierosolymitanus. Cum SS. Philippus et Joannes apparuerunt Theodosio Imperatori, teste Theodoro, lib. V *Histor.* cap. xxxiv, SS. Petrus et Paulus Constantino Imperatori remedium lepræ suggerentes baptismum, teste VII Synodo, act. II. Animæ etiam e limbo redierunt, ut anima Mosis apparens cum Elia in

Sanctorum
conlo ap-
paren-
tium
exempl.

E limbo

transfiguratione Christi; anima Samuelis appa-
rens Sauli, eique mortem prædicens, I *Reg.* xxviii;
S. Jeremias et Onias apparuerunt Judæ Macha-
bæo, victoriam contra Nicanorem prænuntiantes,
II *Mach.* xv. Animæ quoque e purgatorio redie-
runt, nam Paschasius, apostolicæ curiæ diaco-
nus, post mortem in Angulanis thermis, a Ger-
mano Capuano inventus est luere delictorum pœ-
nas, uti narrat S. Gregorius, IV *Dialog.* cap. xl.
Justus quidam ob retentas pecunias grave sup-
plicium pertulit: qui tandem Commodo fratri
apparens se ab illo sanctis sacrificiis liberatum
esse exposuit, teste S. Gregorio, IV *Dial.* cap. xxxv.
Fuit et presbyter, qui Centumcellis in balneis
frequentissime apparuit, qui sibi operam gratui-
tam, si quando lavaret, præstabat. Pro quo ubi,
quemadmodum rogarat, Deo sacrificia obtulisset,
spiritum fuisse cognovit, cui divina miseratione
hoc modo pro peccatis satisfacere et juvari con-
tigit, ut ibidem narrat S. Gregorius.

Erurga-
torio.

Ex infer-
no ra-
rius.

Animæ vero ex inferno subinde, sed rarius re-
deunt et apparent, idque non tam per seipsas,
quam per dæmones: ipsæ enim ad carcerem
ignemque gehennæ damnatæ, inde exire non
sunt; unde earum loco apparent dæmones,
qui in hoc aere usque ad diem iudicii ad homi-
num tentationem et exercitationem agere a Deo
permittuntur, ut inferni pœnas hominibus repræ-
sentent, earumque metu homines a vitiis coer-
ceant, et ad Deum colendum cogant: sic visus
est sancto cuidam eremitæ Theodoricus Italiæ rex
arianus, inter Joannem pontificem et Symma-
chum patricium vinctis deduci manibus, et de-
trudi in ollam Vulcani, uti narrat S. Gregorius,
lib. IV *Dialog.* cap. xxx. Visa est monialis in Ec-
clesia S. Laurentii Romæ ante altare per medium
secari, teste S. Gregorio, eodem lib. cap. li:
idem, cap. xxxvi, narrat Petrum quemdam de-
functum vidisse tormenta damnatorum in igne
gehennæ, cumque et ipse in eundem projicien-
dus foret, angelum vetuisse, dixisseque: « Re-
gredere, et qualiter tibi posthac vivendum sit
cautissime attende. » Similia narrat ibidem de
Stephano quodam, alioque milite. Curma quidam
municipii Tulliensis, cum aliquot dies quasi
mortuus jacuisset, rediens ad se mirabilia de mor-
tuoꝝ pœnis et præmiis narrans, eadem certis
argumentis confirmavit, uti refert S. Augustinus,
lib. *De Cura pro mortuis*, cap. xi, ubi et plura si-
milium apparitionum exempla recenset. Sic Josa-
phat, conversus a Barlaam, in raptu vidit infero-
rum supplicia, eoque visu tentationem carnis su-
peravit, uti narrat Damascenus in *Histor.* cap. xxx.
Vide nostrum Petrum Thyræum, lib. I *De Spirituum*
apparit. cap. xi, Alexandrum ab Alexandro,
lib. V *Genial.* cap. xxiii, et lib. II, cap. ix, Marsi-
lium Ficinum, lib. XVI *De Immortalitate animæ*.
Trajani imperatoris animam a pœnis inferni libe-
ratam precibus S. Gregorii ex Joanne diacono
censent Ciacconus et alii, verum Baronius, Bel-

larminus et alii emunctioris naris censent hanc
meram esse fabulam. Sed esto nemo ab inferis
rediisset, non ideo negandi sunt inferi, anima-
rumque vita et cruciatus in inferno: nam idip-
sum S. Scriptura clare docet et comminatur; unde
impiis responderi posset id quod Abraham res-
pondit diviti epuloni, poscenti Lazarum mitti ad
fratres suos, qui illis sua et inferorum supplicia
denuntiaret: « Habent Moysen et prophetas: au-
diant illos: nam si Moysen et prophetas non au-
diunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, cre-
dent, » *Luc.* xvi, 31.

2. QUIA EX NIHILO NATI SUMUS, ET POST HOC ERIMUS *Vers. 3*
TANQUAM NON FUERIMUS (id est ac si non fuissetis,
ut vertit Syrus; Clarius, quasi non fuerimus): QUO-
NIAM FUNUS FLATUS EST IN NARIBUS NOSTRIS: ET SERMO
SCINTILLA AD COMMOVENDUM COR NOSTRUM. — Pro
ex nihilo græce est ἀποκεδίας, id est ultro, temere,
fortuito, ex tempore, subito, ex improvidia, sine
Dei consilio, cura, imperio et providentia nati,
et in orbem lucemque effusi sumus; Syrus, ex-
templo facti sumus; Regia, per nos nati sumus, si-
cut culices, pulices, fungus, etc., per se nascun-
tur ex terra sine satione. Probant impii non esse
inferos, nec vitam apud eos, q. d. Casus nos genuit,
casus nos velut fungos et culices interimet
et annihilabit; ergo non sunt inferi, nec infero-
rum pœnæ, a certa justaque Dei providentia im-
piis decretæ: Deus enim uti nos non creavit, sic
nec curat, gubernat, judicat, præmiat aut punit
quemque pro meritis, vel demeritis. Sic Democri-
tus, Chrysippus, Epicurus docuere orbes et
homines in eo factos natosque esse ex fortuito
atomorum concursu, similive casu, non certa Dei
provisione et creatione. Sic Aristoteles, II *Polit.*
cap. vi, ex vulgi sententia loquens, ait veteres legi-
slatores, quos carpit, ex pravo semine, vel ex
terra esse natos. Similia habet Diodorus Siculus,
lib. I, cap. i et ii. Sic et Ovidius ac poetæ fabu-
lantur homines ortos esse ex lapidibus a Deuca-
lione projectis. Verum hos omnes refutat historia
creationis hominum et mundi in Genesi a Mose
descripta, imo ratio naturalis, quæ docet homi-
nem, anima rationali constantem, esse nobilissi-
mum perfectissimumque animal, ac proinde non
fortunæ, sed Dei sapientissimi et potentissimi esse
opus, uti ostendit Philo, lib. *De Creatione mundi*,
Eusebius, lib. VII *De Præpar.* cap. vii, Justinus,
in *Paræn.*, Lactantius, lib. II, cap. xii. Vide Pere-
rium in *Physica*, lib. VIII, cap. xvi, et Conimbri-
censes, lib. III *De Calo*, Quæst. VI, art. 3.

Tropologice B. Petrus Damiani, *epist.* 4, *Impius*
cap. iv, ostendit impium, etiam dum existit, *magis*
videri potius non esse, quam esse, *non est*
pertinere ad nihilum, quam ad ens, eo quod *quam*
longissime ab eo, qui vere est, et per quem omnia *est, cur?*
sunt, puta a Deo, recedat et distet. Magis enim
distat peccator a Deo, quam non ens ab ente:
hujus enim finita, illius infinita est intercapedo
et distantia. Accedit S. Gregorius, qui de homine

in peccatum prolapso ita loquitur, lib. XI *Moral.* cap. xxvi, ad illa S. Job, cap. xiv : « *Qui quasi flos egreditur, et coneritur, etc.* Quasi flos etenim egreditur, quia nitet in carne; sed coneritur, quia redigitur in putredinem : quid enim sunt nati homines in mundo, nisi quidam flores in campo? Tendamus oculos cordis in hanc latitudinem mundi præsentis, et ecce quasi tot floribus, quot hominibus plenus est. Vita itaque in carne, flos in fœno est; unde bene per Psalmistam dicitur, *Psalm. cii, 15: Homo sicut fœnum dies ejus: et sicut flos agri, ita florebit.* Isaias quoque ait, cap. xl, vers. 6 : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus sicut flos agri.* Homo etenim more floris procedit ex occulto, et subito apparet in publico: qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Carnis nos viriditas ostendit, sed ariditas pulveris ab aspectibus retrahit. Quasi flos apparuimus, qui non eramus: quasi flos arescimus, qui temporaliter apparebamus. Et quia per momenta homo quotidie compellitur ad mortem, recte adjungit : *Et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.* Hoc est quod lugubri voce canit David, *Psalm. lxxxix, 9: « Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni: et amplius eorum labor et dolor. Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur; »* Hebræa, *quia tonsio est velox, et evolabimus; Arias, ressecatur cito, et avolabimus; Vatablus, velociter transit, et avolamus.* Unde S. Ambrosius, *epist. 42, « tantis malis, asserit, hanc vitam esse repletam, et comparatione ejus mors remedium esse putetur, non pœna: nam et ideo, inquit, Deus illam brevem effecit, ut molestiæ ejus, quia prosperitate non poterant, temporis brevitate finirentur. »* Huc facit illud Petronii de larva argentea :

Heu, heu nos miseros, quam totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.

QUONIAM FUMUS FLATUS EST IN NARIBUS NOSTRIS.— Ita legendum cum Romanis : perperam aliqui legunt, *fumus et flatus*; minus recte quoque alii, ut Franciscus Lucas et Complutenses, legunt, *afflatus*, licet hoc quasi idem sit quod *flatus*; pejus alii pro *in naribus* legunt, *in auribus*; unde Herodotus censuit animam habitare in auribus, eo quod bonis auditis corpus recreetur, malis vero auditis ad iram stimuletur; Syrus, *quia tanquam fumus est spiritus in naribus nostris; Arabicus, quia flatus fumus in auribus nostris.*

Sensus est, quasi dicas : Anima et vita nostra non est aliud quam flatus, id est anhelitus, quo per nares aerem attrahimus et respiramus; hic autem anhelitus, mox ut fit, subsidit et deficit, ac instar fumi dissipatur, et tenues vanescit in auras : in easdem ergo abiit nostra anima in morte, ac proinde post ea nulla nobis superest vita. Sic Heraclitus censuit animam non esse aliud, quam humorum respirationem, sive vaporem et

exhalationem, teste Aristotele, lib. I *De Anima*, textu 32 : quin et rude vulgus anhelitum vocat *animam*, nec aliam animam novit. Porro quia communiter respiramus per nares, hinc flatum vel anhelitum narium *animam* appellat. Quo pariter alludens Isaias, cap. ii, vers. 22 : « Cavete, ait, ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est. » Verum errant impii : anima enim nostra est spiritualis, imo purus merusque spiritus instar angeli, ac proinde nequit esse flatus vel anhelitus, utpote qui corporeus est, sed ipsa anhelitum hunc operatur, ut calorem cordis in qua habitat, refrigeret. Porro apte anhelitus comparatur fumo : sicut enim ignis causat fumum, sic calor naturalis causat anhelitum et respirationem; hinc vita nostra, quæ respiratione fovetur, vocatur, *Jacob. iv, 15, « vapor ad modicum parens; »* hinc et Psaltes, *Psalm. ci, 4: « Defecerunt, inquit, sicut fumus dies mei. »*

ET SERMO SCINTILLA AD COMMOVENDUM COR NOSTRUM.— Ita legendum cum Romanis et Græcis, non *scintilla*, uti legunt aliqui, vide Franciscum Lucam, *notat. 200* : Græca enim habent : *δ λέγος σκινδία*, id est *sermo scintilla*; licet Budæus in *Pandect.*, et Petrus Nannius hic præferant aliam lectionem, quæ rarior invenitur, scilicet *δ λέγος σκινδία*, id est *exigua scintilla*, q. d. Flatus sive anhelitus, quo respiramus et vivimus, est quasi scintilla quædam, id est exiguus calor et vapor, qui tamdiu durat, quamdiu durat motus cordis, vel motus, quo movetur et vivit cor nostrum.

Vita enim consistit in calore naturali motuque cordis, qui anhelitum velut sui scintillam emittit in altum : imo stoici censuerunt animam non esse aliud quam calidum spiritum, vel, ut Heraclitus, calidam exhalationem, quam asserebant semper fluere ex corde, velut ex caloris naturalis officina, in qua proinde generentur spiritus vitales, per quos fit motus, omnisque sensuum actio : ita Plutarchus, lib. IV *De Placit. philosoph.* cap. iii. Hic sensus commodus est et facilis. Verum codices plures et melioris notæ legunt, non *δ λέγος*, sed *δ λέγος*, id est *sermo scintilla*. Porro *λέγος* verti potest *ratio*, q. d. Ratio et mens, qua homo præ cæteris animalibus pollet, est quasi scintilla quæ movet cor et voluntatem ad omnia quæ agit : ita Osorius; verum melius Noster et alii *λέγος* vertunt, *sermo*. Significant ergo impii vitam nostram non esse aliud quam vivacem ignem in corde existentem, qui ad motionem, vel, ut græce est, *ἐν κινήσει*, id est *in motione* cordis nostri, emittit de se *scintillas*, scilicet sermonem et verba quæ loquimur, ac *fumum*, scilicet respirationem et anhelitum, sicut ignis, cum movetur, scintillas ejaculatur et fumum.

Rursum, sicut deficiente igne deficit scintilla, abique in favillam et cinerem, sic deficiente loquela, et consequenter anima, corpus abit in cineres : quid brevius, quid inanius, quid vanius, quid fugacius vita? Adhæc, sermo movet cor,

Mors est
remedium
malorum.

Anima
spiritualis.

Vita consistit in
calore naturali
motuque
cordis.

quia illud nunc commovet ad iram, si asper sit; nunc ad lenitatem, si blandus sit; nunc ad amorem, nunc ad odium, etc., idque leviter, subito et varie, sicut præcipitanter et tumultuarie scintillæ excitantur et evolant e fornace: ita Janse-
nius, a Castro et alii; unde Syrus vertit, *et sermo tanquam scintilla minima e flamma exsiliens, movet cor nostrum*; Arabicus, *et sermo scintilla in vapore (evaporatione) cordis nostri*. Addit noster Lorianus quod formatur sermo scintillæ similis, dum movetur cor nostrum: et sicut spiritus, qui est in naribus, et quo spiramus, est tanquam fumus, qui evanescit: ita spiritus idem, qui est instrumentum quo loquimur, et cujus virtute movetur cor, est veluti scintilla, quæ extinguatur: linguam Jacobus, cap. III, vers. 5, propter sermonem vocat *parvum ignem*. Item dici posset, quod, quemadmodum candela, quando extinguatur, mittit in fine scintillam, sic accidit homini morienti in extremo spiritu. Verum hic sensus obscurior et alienior videtur.

Lingua
parvus
ignis
cur?

Alii, ut Dionysius, per sermonem accipiunt calorem naturalem; Hugo, animam, quæ sermonis est effectrix, sed obscurius et alienius. Accedit Cervantes: *Sermo scintilla*, ait, est anima, quæ declaratur sermone, hæc enim vegetat corpus et flatum e naribus, quasi fumum e fornace, exhalat et efflat, cordis ac pulmonum, quasi folium, motu; est quasi scintilla fragilis, et cito deficiens, anhelo semper spiritu ex periclitatione; unde timor et trepidatio, et creber anhelitus. Verum et hoc improprie dicitur. Porro S. Bonaventura et noster Salmeron, tom. XI, tract. II, censent in voce sermo alludi ad opinionem Diogenis, qui censuit animam esse aerem: in aere enim, et per verberationem aeris, in ore fit sermo; in voce scintilla, alludi ad opinionem Democriti, dicentis animam esse ignem; in voce *ad commovendum cor*, ad opinionem Melissi, vel, ut alii, Thaletis, qui dixit animam esse vim moventem corpus. Verum hoc quoque obscurum est, anceps et dubium, nec impiis tantæ doctrinæ subtilitas in mentem venisse videtur. Denique cum S. Bernardo, tract. *De interiore domo*, cap. LVIII, per sermonem accipias fabulosum, puta fabulam: « Sicut fabula, ait, sic est vita mea; timeo ego ne egomet sic fabulando fabula efficiar, si sine bonis operibus inveniar; » qui enim multum utuntur ore sermocinando, parum utuntur manu laborando, anima enim eorum tota est in ore et lingua; hinc loquaces et garruli solent esse desides et otiosi; unde Apostolus, II *Thess.* III, 11: « Audivimus, ait, inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes, » in scrutandis et narrantis aliorum dictis et factis.

Sensus ergo primo loco assignatus, est planus et genuinus, ubi nota sermonem apte comparari scintillæ, halitum fumo, cor igni, sive fornaci, primo, quia sicut fornax ejuculatur fumum et scintillas, sic cor ejuculatur halitum et sermo-

Analo-
gie ser-
monis et
scintil-
læ; for-
naci; et
cordis.

nem. *Secundo*, sicut fornax tumultuarie et vage evomit fumum et scintillas, eodem modo et cor evomit verba. *Tertio*, sicut fornax illa effundit per motu ignis et lignorum, sic et cor effundit sermonem ex motu affectus amoris, iræ vel odii, quo agitatur; unde si moveatur amore, verba promit amica et blanda; si ira, iracunda et minacia; si odio, tetrica et funesta; si timore, timida et anxia, etc. *Quarto*, sicut fumus et scintillæ certi sunt indices, æque ac effectus ignis, sic et halitus ac verba certa sunt indicia et effectus vitæ, æque ac effectus dominantis in corde. *Quinto*, sicut cessante fumo et scintilla cessat ardor fornacis, sic cessante respiratione et loquela cessat vita, vitalisque affectus in corde; hinc *silere* in Scriptura est mori, ipsaque *mors* vocatur *דומה דמה*, id est *silentium*: quare quantum minuitur vis respirandi et loquendi, tantum decrescit et minuitur vita, unde senes et moribundi graciliter, tenuiter et submisso loquuntur, ut vix intelligi queant, juxta illud *Eccle.* XII, 4: « Et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis. » Adde *sexto*, scintilla, licet splendeat et cum stridore emicet, omniumque oculos ad se convertat, illico tamen dissipatur: sic sermo, licet elegans et magnificus sit, ut omnes ad se rapiat, tamen illico abit ac dissipatur. Hinc contra præfidentes, suique nimium amantes profertur hic apologus: Cadens scintilla, flammæ vi in sublime levata, sibi placebat impensius, ac mox inter sidera se relatum iri existimabat; verum ut ad mediam camini gulam ascendit, extincta et cinis facta decidit. Igitur sicut cito evanescit fumus et scintilla, sic et halitus, sermo et vita. Si ergo quis quærat, quid est vita hominis? quid est homo? respondeas: Homo est sermo, homo est halitus, homo est fumus, homo est scintilla: ita Joannes Baptista rogatus: Tu quis es? respondit: « Ego sum vox clamantis in deserto, » *Isaï.* XL, 3: vide ibi dicta. Rursum *septimo*, sicut parva sæpe scintilla neglecta, magnum excitat incendium: sic sermo exiguus, v. g. convicium in aliquem jactum, magnas sæpe suscitât lites, rixas et cædes; unde S. Jacobus, cap. III, vers. 6: « Lingua, ait, ignis est, universitas iniquitatis, etc., et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a gehenna. »

Porro flatui, sive respirationi, recte annectitur sermo, velut effectus suæ causæ: sicut enim flatu in tibiis et organis suavem efficit melodiam, sic anhelitus in ore ad dentes, labra et palatum, lingua percussus, efficit sermonem et vocem articulatam; unde S. Gregorius Nyssenensis, lib. *De Opificio hominis*, cap. IX: « Mens, ait, humana velut industrius artifex animata organa pulsât, » etc.; et Theodoretus, lib. III *De Providentia*, agens de organo humanæ vocis, ait: « Organo musico, quod æneis fistulis constat, et folium flatu, vel aura inspiratum, artificisque digitis motum soni consonam vocem edit, plane id simillimum est; unde arsam accipiens ars tibias

Apolo-
gus: scin-
tilla in
super-
bos.

Causa
sermo-
nis.

fecit, lyras citharasque composuit. » Porro, sicut folles in organo flatum, qui melodiam efficit, producunt, sic quoque pulmones faciunt anhelitum, qui sermonem efformat; unde pulmones velut folles organi flantes, a Galeno, lib. IX *De Usu partium*, aeris promptuaria appellantur: iidem velut folles vitalem ignem, id est calorem naturalem, acuunt et accendunt. Unde Nyssenus, lib. *De Opific. hom.* cap. xxx, cum dixisset, « cor esse a quo spiritus ignei per corpus diffunduntur, atque id sine intermissione moveri, ac proinde esse igni natura simile, » subjungit: « Instar follium, quibus in officinis suis utuntur fabri, aera semper attrahit e vicino pulmone, aeris receptaculo; et quod igneum est in ipso efflat. »

Vers. 3. 3. *QUA EXSTINCTA CINIS ERIT* (græce ἀπὸ τῆς ἀσπίδος, id est *evadet*) CORPUS NOSTRUM. — Ita legendum cum Romanis et Græcis; perperam ergo nonnulli, ut Complutensis et Regia, pro qua legunt *quia*: vide Franciscum Lucam, *notat.* 201, ubi notat alios legere, *quia exstinctus cinis erit corpus nostrum*; aut *post corpus nostrum*; aut, *exstinctum*; vel, *exstincta cinis erit corpus nostrum*; alii apud Budæum in *Pandect.* legunt, *quia exstinctus cinis erit corpus nostrum*; ipse vero Budæus legendum censet, *qua exstincta*, puta scintilla. Sensus est, *q. d.* Cum scintilla sermonis nostri in morte exstinguetur, ut amplius loqui non possimus, tunc corpus resolvetur in cineres: sicut enim dum ignis scintillæ deficiunt, deficit pariter ignis, abique in cineres, sic pariter ubi desierit in nobis sermo, et motus cordis, qui eum efficit, ut amplius loqui non possimus, tunc caro nostra diffluet, redibitque in pulverem, ex quo primitus a Deo producta est. Rursum, sicut fieri nequit ut ignis exstinctus ex cinere excitetur, sic exstincta in corde vitali scintilla, hoc est calore naturali, ille ipse redire, ac per eum corpus reviviscere nequit, inquit Cantacuzenus: nihil enim tam mortuum quam cinis.

Animam esse ignem qui putariat? Nota, multi philosophi censuerunt animam esse ignem, vel igneum quid, teste Lactantio, lib. II *Instit.* cap. xiii, et Nysseno, lib. *De Anima*, cap. i, et Cicerone, *Tuscul.* I; unde et nonnulli hebræum וָאֵשׁ *isch*, id est *vir*, derivant ab וָאֵשׁ *esch*, id est *igne*. Significant ergo impii extinctionem vitalis ignis, quo vivens hominis corpus, instar facis accensæ resplendet, ut testantur lumina ex oculis emicantia, scintillæ ex ore salientes, fumus efflatus e naribus, unde totus homo, qui quasi flos enitet, ac *ῥῶ*; dicitur græce, hoc est *lux ignis*, per mortem talis efficitur, ut cadaver ejus sit quasi cinis ex busto relictus.

Hinc dicunt impii animam cum corpore, dum homo moritur, in cinerem abire, in eum enim ignis abire: rursum in fine mundi omnia corpora exurentur igne conflagrationis, ibuntque in cinerem. Audi S. Clementem, lib. V *Constitut. Apost.* cap. viii, quod est de resurrectione: « Quod si Græci, ait, derident nos credentes nostris Scrip-

turis, saltem fidem habeant vati suæ Sybillæ, quæ ad verbum inquit:

Atque ubi cuncta cinis fuerint, tenuisque favilla,
Atque idem Deus exstinguet, quem incenderat ignem,
Ossaque restituet rursum, cineresque sepultos,
Et genus omne hominum (ut fuerant) Deus ipse reponet.

Denique Romani aliique populi, teste Alexandro ab Alexandro, lib. III *Genial.* cap. vii, corpora defunctorum cremabant vertebantque in cineres, ne fœda tabe diffluerent et putrescerent: alioquin corpus per se non abiret in cinerem, sed in pulverem; per *cinerem* ergo hic *pulverem* quoque intellige: Hebræis enim vicina sunt אָפֶר *epher* et אָפֶר *aphar*, id est *cinis* et *pulvis*.

ET SPIRITUS DIFFUNDETUR TANQUAM MOLLIS AER. — Spiritus, id est flatus et halitus, quo respiramus, vegetamur, calescimus, loquimur, de quo dixit vers. præced., qui ut ex aere fit, sic in aerem abire, dum homo moritur. Philosophi per spiritum intelligunt animam hominis, quam censent esse corpus quoddam tenue et subtile, quale est spiritus et ventus; hinc Democritus censuit animam, uti et cætera omnia, ex fortuito atomorum concursu conflata, qui cum perenni motu agitentur, etiam corpus agitent et commoveant; stoici dixerunt animam esse spiritum calidum; alii per plures, animam esse aerem censuerunt. Hinc illud Lucretii, lib. V:

Aurarumque leves animæ, calidique vapores.

Et Varro in *Cosmotor.*: « Detis habenas animæ levi, dum ventus nos flamine sudo suavem ad patriam perducit. » Heraclitus animam putavit esse igneum quid, alii esse lumen quoddam, Diogenes esse aerem, Thales humorem, Critias sanguinem, Empedocles harmoniam quamdam et temperaturam elementorum; Hippocrates dixit animam esse spiritum tenue per corpus omne dispersum, qui cum ætate et corpore crescat et decrescat, augeatur et minuatur, consumatur et intereat. Ita Plutarchus *De Placit. Philosoph.* lib. IV, cap. ii et iii. Vide S. Justinum in *Parænesi*, S. Nemesium, lib. *De Natura hominis*, cap. ii, et Abulensem, *Paradox.* V, cap. li. Verum errant: anima enim rationalis non est corporea, sed purus spiritus, instar angeli a Deo ad sui similitudinem creatus. Spiritus ergo hic non anima, sed anhelitus intelligitur, qui corporeus est, puta aer, quem respirando attrahimus, qui in morte dispergitur.

Videntur ergo impii partim ex sententia philosophorum, partim ex sermone et sensu vulgi censere animam non esse aliud quam spiritum, sive flatum, quo respiramus, et quem in morte exspiramus, qui tum instar aeris et vaporis evanescit; ac proinde post mortem non superesse animam, quæ cognitionis, sensus, dolorum et suppliciorum sit capax; eo quod, sicut in morte corpus abiret in cineres, sic spiritus et anima abeat

Varia philosophorum de anima sententia.

et diffuat in auram et aerem ex quo venit : sic Comicus *animam* vocat halitum, dicens : « An anima fœtet uxori tuæ ? »

Qua in re graviter errant, *primo*, quia ne in brutis quidem anima est halitus, sed nobilior et spiritualius quid, quo imaginantur, recordantur, concupiscunt res sibi commodas et secundas; *secundo*, quia in homine manifestum est ex ejus operibus animam esse quid sublime, cœleste et angelicum, instructum potentiis et dotibus divinis, scilicet *intellectu*, quo cognoscit non solum corporalia, sed et angelos ac Deum ipsum; *memoria*, qua eadem licet absentia et diu præterita reminiscatur; *voluntate*, qua eadem amat et cæteris potentiis, sensibus, membrisque omnibus, vel politice, vel despotice imperat.

Audi Lactantium, lib. *De Opific. Dei*, cap. xvii :

« Quid autem sit anima, nondum inter philosophos convenit, nec unquam fortasse conveniet : etenim alii sanguinem esse dixerunt, alii ignem, alii ventum, unde anima vel animus nomen accepit, quod græce *ventus* ἀνεμος; dicitur; nec illorum tamen quisquam dixisse aliquid videtur. »

Anima ab ἀνεμος id est ventus.

Et pluribus interjectis : « Unde apparet animam nescio quid esse Deo simile. At illi qui ventum putant esse hoc falluntur, quod ex aere spiritum ducentes, vivere videamur. Varro itaque definit: *Anima est aer conceptus ore, defervesfactus in pulmone, tepesfactus in corde, diffusus in corpus*. Hæc apertissime falsa sunt : neque enim tam obscuram nobis hujusmodi rerum dico esse rationem, ut ne hoc quidem intelligamus, quid verum esse non possit. » Et post nonnulla : « Anima ergo non est *aer ore conceptus*, quia multo prius gignitur anima, quam concipi aer ore possit : non enim post partum insinuat in corpus, ut quibusdam philosophis videtur, sed post conceptum protinus, cum fœtum in utero necessitas divina formavit, quia adeo vivit intra viscera genitricis, ut et incremento augeatur, et crebris pulsibus gestiat emicare. » Audi et S. Isidorum, lib. XI *Orig.* cap. i : « Anima a ventis nomen accepit, eo quod ventus sit; unde et *ventus* græce ἀνεμος; dicitur, quod ore trahentes aerem vivere videamur; sed apertissime falsum est, quia multo prius gignitur anima, quam concipiatur aer, quia jam in genitricis utero vivit; non est ergo aer anima, quod quidam putaverunt, qui non potuerunt incorpoream ejus cogitare naturam. »

TANQUAM MOLLIS AER. — Græce χαλκός, id est mollis, latus, fluxus, solutus, remissus, cedens, inanis, fungosus, vagus, fugax : alludit ad etymon aeris, nam ut ait Plato in *Cratylo* : « Aer unde dicitur? an quoniam ἀήρ, id est tollit sursum ea, quæ sunt in terra? an quoniam ἀέρι βῆ, id est semper fluit? an quoniam ex seipso semper fluente existit spiritus sive flatus? sic æther dicitur, quasi ἀέρι βῆ, id est semper currens circa aerem. » Aliis nebula a calore solis aggratur, id est *degravatur*, aer enim ventum exspirat, et vento

Aristoty. mon.

perflatur : rursus respiratio in homine fit per aerem, inspiratione et expiratione attractum. Halitus ergo noster est quasi mollis fluxusque aer; hinc epitheton aeris est quod sit fusus et extenuatus; id est sparsus, extensus et tenuis; unde Cicero, lib. II *De Nat. deor.* : « Exin mari finitimus aer, ait, die et nocte distinguitur, isque tum fusus et extenuatus sublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur. »

ET TRANSIBIT VITA NOSTRA TANQUAM VESTIGIUM (græce ἵχνη, id est *vestigia*) NUBIS. — Vestigium proprie est similitudo pedis, puta a pede impressa arenæ vel luto, inde tamen transfertur ad quodlibet signum : *vestigium* ergo *nubis* sunt reliquæ, signa et effectus nubis, quales sunt stillæ, pluvia, nigredo vel fuscedo in aere apprensens, ac præsertim nebula, ut sequitur, quam nubes post se relinquere solet, unde explicans subdit :

Vestigium nubis quid?

ET SICUT NEBULA DISSOLVETUR, QUÆ FUGATA EST A RADII SOLIS. — Nubes enim crassior, vel a vento, vel raptu cœlorum, vel a sole dissipata, desinit in nebulam subtiliorem, quæ proinde statim a radiis solis disjicitur, ideoque nube jam prorsus dissipata serenitatis est index : atque cum ex se sit frigida, aerem, in quem disjicitur, infrigidat; qua de causa aurora solet esse frigida, quia oriens sol nebulas, vaporesque frigidis noctu collectos per aerem dispergens, eum frigidorem efficit; hinc poetæ dicunt auroram esse matrem ventorum. Paulo aliter Hugo et Holcot : « *Vestigium nubis*, inquiunt, est exigua nubis particula, quanta est extrema pars pedis, cujus solent in terra vestigia impressa relinqui : » sic enim III *Reg.* xviii, 44, orante Elia, « nubecula parva, quasi vestigium hominis, » Hebræa, sicut *planta pedis*, ascendebat de mari. Comparant impii vitam suam brevem et fugacem, *primo*, fumo, vers. 2; *secundo*, scintillæ extinctæ et cineri, ibid.; *tertio*, molli aeri, vers. 3; *quarto*, nubi et nebulae, ibid.; *quinto*, umbræ, vers. 5.

Symbolice, S. Bonaventura in *fumo* censet notari offuscationem intellectus; in *vento* sive *flatu*, irascibilis perturbationem; in *scintilla*, concupiscibilis inflammationem; in *aere*, intentionis vacuitatem; in *cinere*, operum infructuositatem; in *nube densiore*, oppositionem contra gratiam; in *nebula leviore*, mentis elationem; in *umbra*, exteriorem simulationem.

Symbolice.

ET A CALORE ILLIUS AGGRAVATA. — Cantacuzenus aliam a præcedenti hic ponit similitudinem, *q. d.* Vita nostra mutatur et moritur, sicut mutatur nebula, cum in hieme radios solis, sed debiliores sentiens, contra eorum calorem per antiperistasin se constringit, aggratur et condensat, ut nebula esse desinat et transeat in rorem vel nubem crassiorem. Melius alii passim censent eandem esse similitudinem, *q. d.* Vita nostra disjicitur, sicut a calore solis aggratur, id est *degravatur*, premitur, opprimitur et dissipatur,

Nubis origo, et vitæ fugacitas.

ut vel per aerem dispergatur, vel in stillas et pluviam resolvatur. Porro apte vita nostra comparatur nubi et nebulae, quae non est aliud, quam vapor humidus calore solis e terra extractus, rarefactus, et in altum elevatus, qui raritate sua per aerem expansus, sua magnitudine videtur solem obumbrare, itaque oculos hominum fallit; sed tandem vi solis aut ventorum dispellitur, in nihilum abit et evanescit: simili enim modo dissipatur et evanescit vita nostra, omnesque ejus pompae, opes et voluptates, juxta illud, *Job. cap. vii, 9*: « Sicut consumitur nubes, et pertransi- vit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet; » et *Ose. xiii, 3*: « Erunt quasi nubes matutina, et sicut ros matutinus praeteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumarario. » Hinc

Symbolice, nubes terreni principis, cur?

Hercules est sol Antaeum, id est vaporem, disjiciens.

Symbolice, nubes sunt gubernatores et principes, qui a rege ex humili terrae loco in altum elevantur: hi enim mox ab aemulis aliove casu vel a morte deieciuntur; hinc hebraice *נְסִימ* *nesim*, id est *elevati*, vocantur tam vapores et nubes, quam principes. Ratio analogiae, inquit Cervantes, est, quia, ut vapores illi de terra elevantur a sole, et ab eodem plerumque dispelluntur, ita terreni principes de terrae pulvere, ac ab extremis terrae suscitantur a rege, qui est veluti iubar, ex quo illi divitiarum, honorum, nobilium stemmatum splendorum mutuuntur, et ab eodem deieciuntur ac disperguntur: sic mundus suos elevat, ut deprimat. Quare Hercules graece dictus *ἠρακλῆς*, hoc est *aeris gloria et illuminatio*, qui ex Macrobio, I *Saturn. cap. xxiv*, sol est, Antaeum gigantem illum terrae filium procero corpore, hoc est *vaporem*, elevare in sublime dictus est, ut inter radiorum suorum brachia constrictum interimeret. Probat id Macrobius ex nomine: nam Hercules, sive *ἠρακλῆς*, idem est quod *ἦρας*, id est *aeris*, *λαίης*, id est *laus vel gloria*: quae est autem aeris gloria, nisi solis illuminatio? ait Macrobius, lib. I *Satur. cap. xxiv*: male enim alii notant cap. *xx*. Idem dictus est duodecim labores confecisse, quia sol annuo cursu duodecim signa zodiaci lustrat et conficit. Ad *nesim* et *nubes* hasce facit, quod ait Salomon, *Proverb. xxv, 14*: « Nubes, et ventus, et pluviae non sequentes, vir gloriosus et promissa non complens. »

Vers. 4.

4. ET NOMEN NOSTRUM OBLIVIONEM ACCIPIET PER TEMPUS (graecae, *in tempore*, id est progressu, lapsuque temporis, sive labentibus annis, aut suo tempore, eoque brevi affuturo, scilicet in morte et post mortem, tempus enim omnia obliterat et abolet; unde) NEMO MEMORIAM HABEBIT OPERUM NOSTRORUM. — Quare non est quod aucupentur famam et gloriam, quae nobiscum fere interibit, nec quod studeamus augendae et exaltandae familiae, utpote quae nostri cito obliviscitur; nec quod posteritati consulamus, utpote cujus nulum habebimus sensum; nec quod virtutibus vitaeque austeram incumbamus, utpote cujus nulla

erit merces, imo nec memoria. Utere ergo et fruiere praesentibus, frustra futura expectaturus. Haec impii.

5. UMBRA ENIM TRANSITUS EST TEMPUS NOSTRUM. — Vers. 5.

Syrus, *umbra quae transit est incolatus noster*; Arabicus, *quia tempus nostrum est umbra adveniens*, q. d. Tempus vitae nostrae transit ut umbra, quae cum sole vel alio corpore, cujus est umbra, transiente pari passu pergit et pertransit: sic Pindarus dixit, non *umbra*, sed « *umbræ somnium est homo*, » quod perurgens Plutarchus *Consol. ad Apol.* « Quid, inquit, umbra debilius? ut hujus somnium ne alius quidem explicare dilucide queat: totum umbræ robur corporis objectus est, ita vita tota ex alio pendens quasi illius umbra existit. »

Vita est umbra.

Audi Philonem, lib. *De Josepho*: « Sicut in somniorum visionibus videntes non videmus; audientes, gustantes aut tangentes, nec audimus, nec gustamus, nec tangimus; loquentes non loquimur, deambulantes non deambulamus, sed cum videamur uti motibus et habitibus, nullo prorsus utimur, mente inaniter sine ullis veris objectis pingente sibi simulacra rerum non existentium tanquam existentium: Eodem modo etiam in hoc mundo corruptibili vigilantium imaginationes somniis sunt simillimae: veniunt, abeunt, occurrunt, refugiant; et, priusquam comprehendantur, avolant. » Idem ibidem: « Cuncta, inquit, quae sub mundo sunt, umbris, spectrisque sunt similia; et sicut cum pompae traducuntur, prima quaeque conspectum praeter-eunt; item in torrentibus fallente visum celeritate, undae praeterfluunt: sic vitae totius negotia currentia praeterlabentiaque, videntur manere, cum ne momentum quidem maneant, nunquam non subterfluentia. » Et S. Chrysostomus, hom. *21 ad Theod. Monach.* « Omnia umbra, somnia, cursus. Cursor est vita. Ut si quispiam rupis excelsae verticem tenens, pelagus omne prospiciat, multosque inde navigantium crebris fluctibus freti unda submergi, alios in praerupti montis saxo collidi, nonnullos ad alia littora contendendo properare, alios tabulae unius auxilio ex fragmentis navis inventae a morte defendi, aliquando pro gubernaculo atque remigiis manibus tantummodo suis uti, alios autem videat turbidos fluctus, multifor- mi genere cadavera ferre. Ita est qui militat Deo, cum se a tempestatibus atque turbinibus vitae istius separarit; consistit in arduo semper ac tuto securus loco: quid enim celsius potest esse, quid tutius, quam unam tandem nos sollicitudinem gerere; quomodo Deo placere possimus? Vidisti naufragia hujusmodi; pelagus undasque declina, et excelsum in hujusmodi pelago quare navigantem, et excelsum locum occupa, a periculo captivitatis immunem. » Idem dixere poetae. Sophocles hominem vocat *simulacrum et umbram*. Horatius:

Gnomæ.

Pulvis et umbra sumas;

plures umbræ et vitæ analogias recensui *Eccle. vii, 1*.

ET NON EST REVERSIO FINIS NOSTRI. — Græce ἀναποδυσμός, id est *repedatio*, regressus, reditus, reversio: ποδῆς enim sunt *pedes*; Complutenses vertunt, *impedimentum*, cui enim pedes sunt impediti, huic non licet regredi, nec progredi, *q. d.* Nullus est, qui possit impedire et arcere finem, sive mortem nobis imminentem; verum ἐμπυδισμός; proprie significat *impedimentum*, non ἀναποδυσμός, uti hic est. Pro *finis* græce est τέλος, id est *obitus*, mors et finis vitæ. Sensus est, *q. d.* Ubi mortui fuerimus, non licebit nobis repedare, sive pedem revocare, ac a morte et interitu regredi ad vitam: ita Vatablus. Idem dixerunt vers. 1: « Et non est refrigerium in fine: » inculcant enim hominis animæque interitum, ut hujus vitæ voluptatibus libere, sine metu Numinis et vindictæ, indulgeant. Syrus vertit, *et non est sanitas in exitu nostro*; Arabicus, *non est morti nostræ mora, vel remora et impedimentum*.

Mortis
onsig-
natio,
quid?
QUONIAM CONSIGNATA EST, ET NEMO REVERTITUR. — « Consignata est, » scilicet *reversio*, ne fiat fieri possit; aut clarius « *finis*. » *Finis* est tam femini quam masculini generis; unde Virgilius, *II Æneid.* :

Hæc finis Priami fatorum,
Hic exitus illum Sorte tulit.

Livius: « Et quænam finis futura tantis cladibus esset: » Cicero, lib. II *De Legib.*: « Neque necesse est edisseri a nobis, quæ finis funestæ familiæ. » Hinc Complutenses et S. Paulinus, epist. 31 *ad Alath.* legunt masculine, *non est reversio finis nostri, quia consignatus est*, scilicet finis et dies obitus nostri, idque S. Paulinus refert ad solatium desperatorum; Syrus, *quia determinatum est, et non est qui revertatur*; Arabicus, *quoniam præceptum (moriendi cuique) signatum est, et nemo avertet illud*. Sensus est, *q. d.* Finis et mors nostra certo definita, et inevitabilis est, nec ab ea ad vitam reverti licet: solent enim, quæ certa sunt obsignari: sigillum enim rei sigillatæ dat certitudinem, imo subinde perpetuitatem et æternitatem: sic enim, *Apocal. xx, 3*, diabolus in inferno *obsignatus*, id est in longissimum tempus conclusus dicitur: « Misit eum, inquit, in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni. » Porro sigillum, quo obsignata est mors ejusque, diesque et hora moriendi, est partim nature defectus, indeque naturalis necessitas moriendi, partim Dei decretum, quo cuique homini, tam diem nascendi, quam moriendi præfinivit, juxta illud, *Job xiv, 5*: « Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt: » utrumque gentiles vocaverunt *fatum*, utroque velut duabus feris et claustris adamantinis, obsignata et obserata est mors ejusque, ejusque fores ocluse, ut ex ea ad vitam hanc resurgere sit impossibile. Minus recte Cantacuzenus *consignationem* hanc accipit

illam, quæ fit per lapidem vel tumulum sepulcralem, quo mortui corpus concluditur, juxta illud, *Psalm. XLVIII, 2*: « Sepulera eorum domus illorum in æternum: » sic fere et Hugo ac Lyranus.

6. VENITE ERGO, ET FRUAMUR BONIS QUÆ SUNT, — Vers. 6. *q. d.* Post mortem nulla erit vita, nulla voluptas, nullus dolor; ergo fruamur bonis, id est voluptatibus præsentis vitæ, quia post eam nulla erunt: hæc Epicuri et epicureorum est ratio et paralogismus. Longe secius, imo contrarium, ex vanitate et brevitate vitæ concludit Apostolus, *I Corinth. vii, 29*: « Tempus, ait, breve est: reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint, et qui flet tanquam non flentes, et qui gaudent tanquam non gaudentes; etc.: præterit enim figura hujus mundi. » Imo vitæ brevitatis, acer est stimulus fidelibus ad omnem virtutem, etiam heroicam, eo quod credant et sperent per illam tam brevem et modicam assequi gloriam sempiternam, cum vice versa infidelibus sit stimulus ad omnem voluptatem, eo quod post hanc vitam non credant, nec sperent aliam.

VENITE ERGO. — Invitant impii se invicem ad convivandum et comptandum, etc., quia nullius reisine socio jucunda est possessio, ait S. Bonaventura: idem locum habet in virtute, religione et gloria cœlesti.

ET FRUAMUR BONIS QUÆ SUNT, — quia nulla credimus, nec speramus futura, ergo fruamur præsentibus.

ET UTAMUR CREATURA (legit Interpres *κτίσει*, id est *creatura*; jam legunt *κτίσει*, id est *possessione*; id est rebus possessis, sive bonis, quæ possidemus) TANQUAM IN JUVENTUTE CELERITER. — Tò tanquam accipi potest, *primo*, ut nota veritatis, juxta illud, *Joan. i, 14*: « Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti, » id est gloriam, quæ decebat eum, qui vere erat unigenitus. Sic sensus erit: Fruamur voluptatibus creatis ad nostrum usum gustumque, dum et quamdiu juvenes sumus, quantum et quamdiu permittit juvenus, in qua re ipsa degimus, cum adhuc viget et nos recreare potest tam juvenus quam voluptas; senes enim utramque fastidiunt, uti ait Berzellai ad Davidem, *II Reg. xix, 35*. Causam dant per *celeriter*, *q. d.* Brevi cum juvenute voluptas gustusque voluptatis transibit et avolabit, ergo utamur ea celeriter, græce *εὐσπείτως*, id est *festine*, studiosè, diligenter, alacriter, serio, attente, accurate, ut nullas recreandi occasiones præterlabi sinamus, nec ulla temporis momenta, utpote adeo fluxi et brevis; hinc Vatablus vertit, *rebus creatis simul ac juvenute utamur*; alius, *creatura quasi adolescentia utamur*; Vaticani, *utamur creatura tanquam juvenute*, id est hilariter et valenter, uti juvenes solent propter corpus vegetum, et animi alacritatem: juvenus enim vegeta et hilaris apta est captandæ cuilibet voluptati ejusque avida.

Tacite ergo significant impii brevitatem et vanitatem.

Impii insipientia.

nitatem tam juventutis suæ, quam voluptatis creatæ, quod scilicet utraque illico abeat et pertranseat, ac proinde indicant suam insipientiam, quod res quarum esse non consistit, sed situm est in transitu, adeoque potius non est, quam est, ambient; res vero consistentes, solidas, durantes, æternas non curent et negligent: ideo enim bona hujus vitæ sibi celeriter arripienda dicunt, quod fugacia sint, avolantia et extemplo non futura; igitur voluptatis umbras duntaxat, et inania deliciarum simulacra captant: nam res ipsa nullibi reperitur. Adeo enim fluxa et lubrica sunt bona, quibus mortales tam avidè inhiant, ut antequam manibus apprehendantur et teneantur, elabuntur et effluant, imo antequam homo ea vix primis labris degustarit, vix oculis, vix auribus acceperit, evanescent; itaque non modo gustum gustantis, sed et oculos attentissime contemplantis celerrimeque intuentis aspectum, ac aures avidissime auscultantis prætervolent, et velut ludiones deludant. Si ad honorem respicias, quod idolum mortales maxime colunt, teneri manibus non potest, quin effugiat; unde Regius Psaltes illum alterum superexaltatum et elevatum super cedros Libani, *Psal. xxxvi, 35*: et transivit, et ecce non erat: vidit hominem, cum in honore esset, comparatum jumentis, et similem factum illis, *Psal. xlviii, 21*. Vidit Daniel læenam grandibus alis, aspexit donec evulsæ sunt alæ, et super pedes stetit; et cap. *iv, 17, 22*; arborem, cum in summa viriditate et proceritate esset, excisam: regem detracto diademate et purpura, de regno ad pastum inter bestias abjectum, etc. Quid moror? Si ad vitam spectes, ea nihil citius evanescit: vestigio nubis aut fumi et undarum comparatur, ut verum sit illud *Job. cap. xv, 32*: « Antequam dies ejus impleantur, peribit. » Ita noster Martialis de Roa, lib. II *Singul. cap. i*. Totum ergo malum hominis, est frui utendis, et uti fruendis: hoc faciunt impii, qui rebus caducis fruuntur, veris et solidis utuntur, ut se caducis pascant et expleant. *Frui* est potiri fine, quasi summo bono, in quo beate conquiescat; uti est adhibere media ad finem jam dictum assequendum. Audi S. Augustinum, lib. VIII *Quæst.*, *Quæst. xxx*: « Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur fruendis uti velle atque utendis frui; et rursus omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, et utendis uti; fruendum est autem honestis, utendum vero utilibus; » idem, lib. XI *De Civit. cap. xxv*: « Temporalibus, inquit, magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis; non sicut perversi qui frui volunt nummo, uti autem Deo: quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. »

Honorum vanitas.

Frui et uti, quid?

Secundo. Secundo, noster a Castro tanquam accipit proprie ut notam similitudinis; unde *tanquam in juventute* refert ad *creatura*, quasi ejus juven-

tus et flos captandus sit, *q. d.* « Utamur creatura uti in juventute, » videlicet *est*, vel tanquam in adolescentia existente, ne sinamus præterire creaturam dum viget, floret, dum in sua est adolescentia, antequam senio confecta marcescat, quin ea fruamur. Adverbium autem *προεδαίως*, idem est quod *graviter*, studiosè, nempe ut in eam perfruitionem toto studio ac cupiditate incumbatur. Et hic sensus potior est, tum quia impii, non tantum adolescentiam suam, sed et vitam universam, senio quoque misere confectam, voluptati capiendæ dicavere, antequam morte repellantur; tum quia ex sequentibus constabit, impios sese excitare ac invitare, ut omni studio et cupiditate præripiant creaturam omnem, dum viget floretque, ne per negligentiam quidpiam voluptatis, quod capi possit, eorum aviditatem effugiat, prætereat, aut insciis elabatur.

Tertio aliter *tanquam in juventute* explicat Cervantes, refertque ad senes, qui volunt videri juvenes, ac ut juvenes luxuriari; hinc annos vitæ suæ juveniles simulant miseri, atque canos, monumenta cineris, in quem paulatim abeunt, plumbeis instrumentis, obscurisque pigmentis infuscant, quasi præsagientes carituros se æternitate vitæ felicitis et atra inferorum caligine involvendos, qui quamvis annosi et decrepiti senes, nunquam senescunt, sed semper pueriliter imo puellariter, vivunt, atque puellascunt in dies. Quas tres explicationes capit græca sententia; hanc tertiam, ut planiorem, reliquis antepono, *q. d.* Ne sinamus nos senescere voluptatum medicamine. juxta illud Ovidii in *Fastis*:

Nequitia est, quæ te non sinit esse senem:

hæc ipse. Verum hic sensus subtilior est, quam solidior, ac alienior est, quam germanior: hæc enim vel utrorumque, vel juvenum potius, quam senum sunt verba; unde subdunt: « Non prætereat nos flos temporis. » Melius alii exponunt, quasi dicant impii: Sic nos exhibeamus, ut maneamus semper hilares sicut juvenes: non dedamus nos morori et vitæ severæ, ne cito fiamus senes, imo ut nunquam senescamus, sed potius ante senium molestum et tetricum, vita ejusque jucunditate defungamur.

Insipiens est hæc impiorum illatio; unde idipsum illi sero agnoscentes, tandem dicent illud cap. *iv, vers. 6*: « Ergo erravimus a via veritatis: » sapiens enim est illa Apostoli collectio, *Galat. vi, 10*: « Dum tempus habemus, operemur bonum; » et illa Davidis, *Psal. xxxvi, 1*: « Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem: quoniam tanquam fenum velociter arescent. » Unde S. Augustinus in *Psal. lxx*: « Cum dixisses, ait: *Manducemus et bibamus*, adjunxisti, *Isai. xxii, 13*: *Cras enim moriemur*: audi contra a me: Imo jejunemus et oremus, cras enim moriemur. » Hinc sapiens ille, rogatus cur adeo parce et sobrie viveret, res-

pondit : « Morituro hoc sufficit : » viatori enim medicum viaticum sufficit, si via sit modica.

Vers. 7.

7. VINO PRETIOSO ET UNGUENTIS NOS IMPLEAMUS. — *Vino* interius bibendo, *unguentis* exterius unguendo : rursus utriusque interius, solebant enim deliciarum causa, vino miscere unguenta quædam sapida et odorata, itaque illa cum vino ebibere, ut alibi ostendi. Sic erit hendiadys : « *Vino et unguentis*, » id est vino unguentoso, juxta illud Virgilii, II *Georg.* :

Pateris libamus et auro,

id est pateris aureis. Porro solebant veteres in conviviis prius aqua calida ablui, deinde unguentis inuncti cœnare, tum deliciarum, tum fragrantia, tum sanitatis causa, uti docent Athenæus, lib. V, Plutarchus, lib. III *Sympos.*, Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.*, cæterique, qui de priscis convivorum ritibus scripsere. *Vinum* autem *pretiosum* est vinum *Cos*, quod scilicet egregie est coloratum, odoratum, sapidum.

Flos temporis, quid? Primo.

ET NON PRÆTEREAT NOS FLOS TEMPORIS. — *Primo*, « flos temporis, » inquit Holcot, est flos juventutis, q. d. Utamur flore juventutis ad omnes voluptates, quas ipsa concupiscit : in adolescentia enim est longe vividior aviditas voluptatis, quam in ætate virili vel senili ; unde Guarinus vertit, *neque florem vitæ prætereamus*. Verum græce est ἀέρος ἀίψος, id est *flos aeris* ; unde

Secundo.

Secundo, Cervantes sic exponit, quasi dicat : Loti inunctique in mollibus culcitris accubamus mensæ, ut caveamus ne lædi possimus flore aeris, vel aura delicata perflante penetrari, et contrahere catarrhum aliumve morbum, utpote poris corporis per lotionem et unctionem jam aperti ; verum græce et latine est, *et non prætereat*, non autem, *et non penetret nos flos aeris*.

Tertio.

Tertio ergo et genuine, flos ἀέρος, id est *aeris*, vel, ut alii per metathesin legunt, ἔπος, id est *veris*, est verum tempus, quod est quasi flos omnium anni temporum : illo enim cuncta vivunt et florent, ac grato halitu et odore, quem expirant, aerem imbuunt, per eumque nares totumque torpus recreant et restaurant ; unde aer vernus saluberrimus æque ac jucundissimus est, juxta illud :

Nunc formosissimus annus ;

et illud :

Omne ver anni decus et venustas ;

et Ovidius, I *Metamorph.* :

Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Malcebant zephyri natos sine semine flores ;

idem, I *Fastorum* :

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmitè gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbor,
Prodit et in summum seminis herba solum.
Tunc blandi soles, ignolaque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe lingit opus.
Tunc patitur cultus ager, et renovatur aratro :
Hæc anni novitas jure vocanda fuit.

Denique Plinius, lib. XXI, cap. I : « In hortis, inquit, coronamenta seri jussit Cato, inenarrabili florum maxime subtilitate ; quando nulli potest facilius esse loqui, quam rerum natura pingere, lascivienti præsertim, et in magno gaudio fertilitatis tam varie ludenti. » Porro, veri apte respondet juventus : ipsa enim est quasi ver ætatum ; unde Ovidius, X *Metam.* :

Citraque juventam,

Ætatis breve ver, et primos carpere flores.

Quarto, plenius, generalius, magisque adæquate ad Vulgatam, *flos aeris* est flos temporis et vitæ, quo aere et aura hac fruimur ; unde Vatablus vertit, *nec florem auræ prætereamus* ; hinc noster a Castro per *florem temporis* aut vitæ accipit quidquid in tempore deliciosum floridumque reperitur, ne scilicet ulla occasio labi sinatur, nulla opportunitas prætereatur, in qua voluptate frui concedatur. *Flos temporis* ergo est communis voluptas cujuslibet temporis, in hieme ignes, in vere flores, in æstate viridaria, in autumnæ fructus, etc., ut *flos temporis* dicatur quidquid jucundum ac delectabile singula ferunt tempora, ad quorum voluptates sese impii hortantur. Tales autem, ait Bonaventura : « Nihil curant de fructu animæ cœlestis, sed de flore veris præsentis. » Porro, vide hic insipientiam impiorum, qui res vanissimas et celerrime evanescentes, puta flores, ambiunt, fructus vero solidos respiciunt : quare eos merito S. Augustinus in titulo *Psal. LXXI*, vocat « *ziphæos*, id est *florentes*, qui florent in sæculo, et arescunt in judicio, et post ariditatem in ignem æternum mittentur. » De quibus *Isai. XL*, 6, dicitur : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri, » Septuaginta et D. Petrus, I *Epist.* I, 24, et *omnis gloria ejus tanquam flos fœni*. S. Augustinus in id *Psal. CII* : *Homo tanquam flos agri sic efflorescit* : « Totus, inquit, splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, flos fœni est : et sicut vix annua est pulchritudo agri, et perexiguo tempore transeunt flores, qui sunt pulchritudo herbarum, sic et humana prosperitas : » sed de hoc mox plura.

8. CORONEMUS NOS ROSIS ANTEQUAM MARCESCANT. Vers. 8.

— Græce, *coronemur calycibus rosarum* : rosæ enim plane apertæ illico flaccescunt et marcescunt : calyculi vero, sive bacca clausæ rosarum dum sensim sese aperiunt, et folia explicant, diutius durant ; et quia conclusi stipatique sunt, hinc densiorem suaviolemque odorem expirant ; sed et iidem mox marcescunt : rosa enim, quia excitatissimi est odoris, hinc citissime marcescit, ait Plutarchus, lib. II *Sympos.* Quæst. I ; et Plinius, lib. XXI, cap. I : « Flores, ait, odoresque in diem gignit (terra) magna, ut palam est, admonitione hominum, quæ spectatissime floreat, celerrime marcescere : » idem, cap. XI : « Novissima, inquit, rosa, eadem prima deficit inter flores. » Porro rosæ et coronæ ex rosis a temperantibus

Rosa pri-
ma defi-
cit inter
flores.

Rosa re-

sistit
ebrietati,
cur?

adhibentur conviviis, tum odoris causa, tum ut sua frigiditate resistent ebrietati, præsertim dum suo halitu suavi poros aperiunt, per quos vapores vini exspirent, ne cerebrum gravent: audi Athenæum, lib. V: « Vinciebant primum capita fasciis ac vittis ex lino et lana; tum ornatus causa frondes additæ floresque: nam adversus incommodum vini præsidio sunt exhalationes florum: si calidi sint, molliter poros aperiendo efficiunt ut perspiret vinum; si leviter frigidi, vapores medicri suo contactu repellunt. »

Rosarum
virtus.

Hinc corona rosea sacra erat Musis, teste Plutarcho, lib. II *Sympos.* Quæst. I: idem, lib. III, docet rosas mirifice cor cerebrumque recreare, habereque vim astringendi, ac ea quæ caput gravant, odore suo reprimendi; hinc Ovidius, V *Fastor.*:

Tempora sutilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet injecta splendida mensa rosa;

et paulo post:

Annuit, et motis flores cecidere capillis:
Decidere in mensas ut rosa missa solet.

Et Horatius:

Non desint epulis rosæ,
Non vivax apium, non breve liliū.

Rosa re-
gina flo-
rum.

Est enim rosa regina florum; unde Leucippe apud Achillem Tatium, lib. II: « Si regem, inquit, floribus constituere Jupiter voluisset, non alium certe quam rosam tali honore dignatus fuisset: » hæc est terræ ornamentum, plantarum splendor, oculus florum, prati purpura, pulchritudo coruscans; hæc amorem spirat, decorem conciliat, speciosis foliis luxuriat, tremulisque delectat, ejus frondes zephyri afflatu rident; atque adeo usque eo verum est, rosis tribui regnum florum, ut corona e rosis præter cætera designet potentiam, regnum, imperium: hinc et Virgilius rosam auroræ comparat, imo æquat:

Ambigeres, inquit, raperetne rosis aurora ruborem,
An daret, et flores tingeret orta dies.
Ros unus, color unus, et unum mane duorum,
Sideris et floris est domina una Venus.
Forsan et unus odor; sed celsior ille per auras
Diffatur, spirat proximus ille magis.

Denique Dracontius *De Opif. sex dier.* omnes flores vocat *roseos*, et ex rosa Deum opificem ita celebrat:

Qui roseis stillare nemus vel floribus agros
Imperat, autumni qui dulcia poma saporat.

Impii vero non hoc fine, sed alio aiunt: « Coronemus nos rosis, » scilicet ut pleno earum odore et colore nares oculosque pascant et impleant incitentque ad omnem voluptatem, præsertim veneream; hinc subdunt: « Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra: »

rosæ enim amorem gratiamque conciliant, quæ de causa olim Veneri dicabantur; unde ex Pausania in *Eliacis Natalis Comes*, lib. IV *Mythol.* cap. XIII: « Venus, ait, rosea corona solebat insigniri, » et Valerius scribens Ruffino ne uxorem ducat, *epist.* 44, tom. IX *Operum D. Hieronymi*: « Placet, ait, delectatio, sed pungit dilectum; flos Veneris rosa est, quia sub ejus purpura multi latent aculei. » Quocirca aliqui, inter quos est Josephus Stephanus, lib. *De Rosario B. Virg.*, cap. III, sic exponunt: Coronemus nos rosarum calyculis, seu vasculis, hoc est, virginum amplexu foveamur, antequam decorem ætatis floremque deponant: nam pudoris ac virginitatis symbolum rosam esse, præter profanos qui id insinuant, affirmat S. Hieronymus, in *epist.* 8 *ad Demetriadem*, cap. I, et *Joel.* III, in illa verba: « Et fons de domo Domini, » in verbis extremis.

Rosa vi-
gilitati
symbo-
lum.

Verum, hic sensus symbolicus est, non litteralis: « Rosæ, ait Fulgentius, lib. II *Mythol.*, in *Vener.*, et rubent, et pungunt, ut etiam libido: rubet enim verecundiæ opprobrium, pungit etiam peccati aculeo; et sicut rosa delectat quidem, sed celeri motu temporis tollitur, ita et libido libet momentaliter, et fugit perenniter. »

Hinc et Cleopatra, in luxuriosissimo suo convivio, in rosas expendit talentum, hoc est, sex milia coronatorum Francicorum, cum per omnia discumbentium triclinia foliorum passim acervi, cubiti mensura pavimenti undequaque exstarent. Hinc Martianus Capella, lib. I, Veneri plectit coronam e rosis: « Huic, inquit, rosis decussatim vinculatis sertata contextio. » Et solent meretrices amasios data vel injecta rosa ad se pellicere. Lucretius, lib. II, De Idæa matre, denso rosarum jactu ab omnibus petita, ita canit:

Ninguntque rosarum
Floribus, umbrantes matrem comitantque catervas.

Scriptis Anacreon vetus poeta græcus encomium rosæ, in quo ita canit:

Cum vere patre florum,
Socianda laus rosarum.
Rosa flos odorque divum,
Hominum rosa est voluptas:
Decus illa gratiarum,
Florete amoris hora.

Porro Tertullianus, lib. *De Coron. milit.*, cap. IX, et ex eo Martinus de Roa, lib. II *Singul.* cap. I, negant apud Hebræos fuisse usum coronarum in festis et conviviis, eo quod illarum non meminerit Scriptura: verum contrarium insinuat Clemens Alexandrinus, lib. II, cap. VIII, idque patet ex hoc loco: impii enim Hebræi hic dicunt: « Coronemus nos rosis. » Sic iidem hedera coronabantur in honorem Bacchi, ut patet II *Machab.* VI, 7; nec id mirum, cum illi ipsi declinantes in idola ritusque gentilium, Venerem ejusque amasium Adonidem adorarent, et sacro planctu

An He-
bræi
interu-
tur co-
ronis?

coluerint, ut patet *Ezech.* VIII, 14. Quod ergo ait Tertullianus Hebræis non fuisse in usu convivales rosarum florumque coronas, intellige ex more proprio, non ab ethnicis sumpto.

Rosa est
voluptas
spiuosa.

Moraliter, rosa symbolum est voluptatis evanidæ, et spinosæ, id est multis amaritudinum dolorumque spinis commixtæ: impii ergo florem, imo floris inchoationem duntaxat, puta calyculos rosarum captant, at pii fructum flori anteferunt, juxta illud Sapientiæ, *Eccli.* XXIV, 23: « Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; et flores mei fructus et honestatis: » nullius enim arboris fructus melior, quam vitis, hæc enim profert uvas et vna; hinc S. Ludovicus rex Franciæ vetuit gestari rosas feria sexta, in honorem coronæ spineæ Christi Domini. Unde Basilius, hom. XI *Hexam.*: « Transitoria, inquit, ac brevis momenti vernorum florum gratia, adhuc desiderantes destituit; » et S. Ambrosius, lib. III *Hexam.* cap. XI: « Irrutiles, inquit, homo, licet splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis, aut fulgore virtutis, semper tibi spina proxima est, semper inferiora tua respice, super spinas germinas, nec prolixa manet gratia; brevi unusquisque decurso ætatis flore marcescit. » Et huc id Virgili de rosa pertinet:

Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum,
Quas pubescentes juncta senecta premit.
Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit animum.

Et Hieronymus Angerianus in *Epigram.*:

Pulchra brevi durat rosa tempore, forma brevique
Tempore: sic formæ par, rosa, tempus habes.

Et Horatius, lib. II *Carm.* ode 3:

Hæc vina et unguenta, et nimium breves
Flores amaranæ ferre jube rosæ.

Quocirca Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. VIII, asserit usum florum esse noxium, et celeriter præterire supplicio affectum; additque hinc probari vitæ eorum brevitatem, quod ambo flaccescunt, nempe flos et pulchritudo. Ea re Artemidorus monet, etsi coronæ e rosis per quietem visæ omnibus bonæ sint, id est fastæ, hinc tamen ægrotantes excipi: « Hos enim, inquit, occidunt, » id est morituros prædicunt, quod facile marcescant. Ipsa rosa non tantum Locrensis, sed quælibet, cum sit specimen omnium florum, tamen eodem prope momento quo nascitur, senescit. Virgilius de hoc flore:

Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
Et dum nascuntur consenuisse rosas.

Hoc ipsum Latinus Callimachus:

Vidi ego odorati victima rosaria Pæsti,
Sub malulino cocta jacere Noto.

Hanc ob causam Ansonius in *Epigram.* virginem admonens mortalitatis, ait:

Collige, virgo, rosas, dum flos novus et nova pubes,
Et memor esto ævum sic præparare tuum.

Scite a Domitiano dictum est, nec gratius esse quidquam decore, nec brevius. Hinc est, quod Paulus nominans coronas hæcæ floreas, eas vocat *corruptibiles* I *Corinth.* XIII: « Qui in agone, inquit, contendit, ab omnibus se abstinet. Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. » Denique Staius, lib. III *Sylvar.*, omnem florum hilaritatem funere terminari asserit, dum ita canit:

Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentesque rosæ primos moriuntur ad austros,
Aut ubi verna novis exspirat purpura pratis,
Illa sagittiferi circum volitastis amores
Funera, maternoque rogos unxistis amomo.

Quæ omnia confirmant id quod ab Isidoro traditur, nempe *flores* dici quasi *fluores*, quod cito decidant, et cito solvantur: ita ipse lib. XVII *Orig.* cap. VI. Sic et græcè *ῥόδον*, id est *rosa*, dicitur a *ῥοῖ*, id est *fluxu*, q. d. fluens odor, eo quod odoris prodiga, ut ait Plutarchus, lib. III *Sympos.* Quest. I, *ῥόδον πρὸς τῆς ἰδέου; ἀρίστο*, id est *ingentem odoris fluxum emittit*: hoc ergo suo fluxu ipsa effluit, diffluit, marcescit, sicut planta nimie fluxu humoris, homo sanguinis, diffluit et emoritur. Ita Clemens Alexandrinus, II *Pædag.* cap. VIII. Nuper Leo XI pontifex Florentinus ex familia Medicea in insignibus gestabat rosam, cum hoc lemmate: *Sic florui*. Verus sibi fuit vates, nam paucis diebus in pontificatus culmine stetit et floruit, et illico instar rosæ defloruit, moriensque orbi sui desiderium, velut odorem suavem aspiravit. Denique Clemens Alexandrinus loco jam citato docet christianos non debere coronari rosis, quia Christus coronatus fuit spinis: idem fusi inculcat Tertullianus, lib. II *De Corona militis*, ubi et docet christianos, ut Christum sequerentur, exhoruisse coronas e rosis et floribus: idem fuit sensus S. Ludovici, uti paulo ante dixi. Sic et Godefridus Bullonius expugnans Hierosolymam anno Domini 1099, ipso die Parasceves, quo Christus in eadem passus fuerat, dum a proceribus communi consensu crearetur et inauguraretur primus e christianis Hierosolymorum rex, aurea regum corona noluit coronari, eo quod in eadem urbe, eodem die, Christus spineam tulisset; imo nec rex Hierosolymæ, aut Judææ, sed protector S. Sepulcri nuncupari voluit, eo quod Christi crucifixi titulus proprius fuerit: *Rex Judæorum*: ita refert Guilielmus Tyrius in historia *Belli Sacri*, Joannes Molanus doctor Lovanus in *Milit. Sacra*, et alii. Disce, o christiane, sub capite coronato, non debere membra esse delicata, nec sub Christo sentibus confixo, decere te rosis deliciis que coronari.

Flores
quasi
fluores.

Rosæ ety-
mon.

Christia-
norm
est coro-
na spi-
nea, non
rosæ.

Luxuria
quid?

NULLUM PRATUM SIT, QUOD NON PERTRANSEAT LUXURIA NOSTRA. — Hæc sententia non est in Græco, sed in Romanis, ac cæteris Latinis: prata amœna herbis, floribus, nemoribus apta sunt voluptati; unde Horatius:

Non desint epulis rosæ,
Neu vivax apium, neu breve lilium.

Sensus ergo est, q. d. Ubique luxuriemur, ubique voluptuemur, ubique in pratis, florum odore, herbarum virore, fontium rivulorumque crystallino decore, nemorum arborumque umbra nos oblectemus, ibique gulæ, ventri et veneri indulgeamus: *luxuria* enim hic non solam libidinem, sed quemvis luxum epularum, deliciarum et voluptatum significat. Hoc est, quod Judæis fornicantibus, puta corporaliter, tum potius spiritaliter, puta idololatrantibus, impropere Jeremias, cap. II, vers. 20: « Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris, meretrix. » Hic impij indicant radicem sui mali et malitiæ, scilicet impotentem veneris et voluptatis aviditatem et cupidinem usque ad luxuriam: *luxuria* enim copiam, redundantiam et effusionem significat; unde Cicero, act. I in *Verrem*: « Quas res, inquit, luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, » etc. « *Luxuria*, inquit Festus, est morum solutio; » et Ovidius, lib. I *De Arte*:

Mens erit apta capi tunc cum lætissima rerum
Ut seges in pingui luxuriabit humo,

et lib. II:

Luxuriant animi rebus plerumque secundis.

Sic vocatur lætitia *luxuriosa*, id est nimia et profusa. Vites quoque, segetes et arbores *luxuriantur*, cum nimis redundant ramis et germinibus.

Vers. 9.

9. NEMO NOSTRUM EXSORS SIT LUXURIE NOSTRÆ. — Græce, *nemo nostrum expers sit ἀπεργίας*, id est insolentia, luxuria, magnanimitatis, superbia; Vatablus, *petulantia*; Complutenses, *strenuitatis*; alii, *ferocia nostræ*, q. d. Quisque nostrum exprimat suam cupiditatem, petulantiam, insolentiam, strenuitatem, superbiam; quisque se virum ostendat in suis libidinibus et passionibus; valenter et potenter indulgeamus nostræ lubentia nostroque animo, ut quidquid illi lubet et libet, idem liceat, ac licenter, petulanter et strenue id ipsum expleamus: nam ut ait Eustathius in *Iliad.* II: « Infusio et diffusio facilis in id quod lubet, et quo quis gloriatur, insolescat. » Notant animum suum effrenem ad omnes cupiditates explendas, qui duos maxime affectus et passiones continet, scilicet amorem ardoremque voluptatis, ac superbiam, iram et insolentiam ad prosternendum illos qui fruendæ voluptati obsistunt: amor enim rei cupit acuit iram in eos qui obijciunt, ac ferociam in eos quos spoliare quis vult, ut habeat

unde suo ventri et veneri, aut pompæ et fastui satisfaciat: quare cupido sæva est, et quo magis gliscit cupido, eo magis ei quasi pari passu crescit ira et sævitia.

UBIQUE RELINQUAMUS SIGNA LÆTITIÆ. — *Signa* hæc sunt flores, odores, epularum reliquiæ, rami, frondes, cantus, tripudia, etc.: pro *signa* græce est σήματα, quod et *signa* et *collationem* significat, qua scilicet convivæ conferunt in commune pecunias, vel cibos ad instruendum lautum epulum, q. d. Ubique epulemur, ubique epuli nostri pars exsistat, quisque locus de nostro epulo ac lætitia participet, ut omnia nostris deliciis, et gaudiis compleamus: adeo enim effusi simus in voluptates, ut iis non tantum ventrem et nosipos, sed et alios quosque, quin et prata et locum quemlibet implere satagamus.

Signa lætitiæ. quoniam?

QUONIAM HEC EST PARS NOSTRA, ET HEC EST SORS. — Vatablus, *hic est fructus noster*, q. d. Post mortem non exspectamus aliam hæreditatem, aliam vitam, aliam voluptatem, sed omnis illa hæc vita terminabitur; ergo dum vivimus, illi indulgeamus: hæc est enim nostra portio, hæc nostra sors, hæc nostra hæreditas. Secus plane dicunt pii, qui continentia vacantes, post mortem exspectant gaudia cœlestia, ideoque canunt cum Psalte, *Psalm.* xv, 5: « Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. »

10. OPPRIMAMUS PAUPEREM JUSTUM, ET NON PAR- Vers. 10.

CANUS VIDUÆ, NEC VETERANI REVEREAMUR CANOS MULTI TEMPORIS. — Voluptatis comes, imo filia, est sævitia et tyrannus; hinc voluptas est crudelis, qui enim suas opes decoxerunt, easque in gulam et libidines exhausserunt, velut lupi famelici, imo fame rabidi, sæviunt in pauperes, viduas et senes, ut eorum velut infirmorum et impotentium bona invadant et diripiant. Hinc aliqui vertunt, *tyrannidem exerceamus in pauperem*, vel per *tyrannidem subjiciamus nobis inopem*, nec *parcamus viduæ*, neque *canitiem senis longævam revereamur*; Jansenius, *nec senis canos annosos revereamur*: græcum enim καταδυναστεύω significat per *tyrannidem* aliquem opprimere, sibi que subjicere. Vide hic ut rosæ in spinas transeant, ac gula in crudelitatem: audi S. Augustinum in *Psalm.* LII, in explicatione tituli, ubi ait: « Post illam de scriptam latius luxuriam, *coronemus nos rosis*, etc., quid sequitur? *Occidamus justum*, etc. Lenes jam dudum loquebantur: *Coronemus nos rosis*. Quid blandius? quid delicatius? de hac lenitate sperares cruces et gladios? Noli mirari, lenes sunt et radices spinarum: si quis eas contractet, non pungitur; sed quo pungeris, inde nascitur. »

Voluptas est crudelis, cur?

Idem fuit sensus et syllogismus Epicuri et epicureorum, quem graphice depingit et refellit Lactantius, lib. III, cap. XVII: « Verum ille, inquit, impunitatem vitii suis spondit; fuit enim turpissimæ voluptatis assertor, cujus capiendæ causa nasci hominem putavit. Quis, cum hoc af-

firmari audiat, vitii et sceleribus absteineat? Nam si peritura sint animæ, appetamus divitias, ut omnes suavitates capere possimus. Quæ si nobis desunt, ab iis qui habent auferamus clam, dolo, vi. Voluptatibus igitur quomodo possumus serviamus. Brevi enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere nobis sine voluptate patiamur, ne quia ipsi quandoque perituri sumus, idipsum quod viximus pereat. Hoc ille licet non dicat verbo, re tamen ipsa docet. » Rationem claram subjicit: « Nam cum disputat omnia sapientem sui causa facere, ad utilitatem suam refert omnia, quæ agit. Itaque qui audit hæc flagitia, nec boni quidquam faciendum putabit, quoniam benefacere ad utilitatem spectat alienam; nec a scelere abstinendum, quia maleficio præda conjuncta est. Archipirata quisquam, vel latronum ductor, si suos ad grassandum cohortetur, quo alio sermone uti potest, quam ut eadem dicat, quæ dicit Epicurus? Deos nihil curare, non ira, non gratia tangi; inferorum pœnas non esse metuendas, quod animæ post mortem occidant, nec ulli omnino sint inferi; voluptatem esse maximum bonum; nullam esse humanam societatem, sibi quemque consulere; neminem esse, qui alterum diligat, nisi sui causa. »

Vers. 11. 11. SIT AUTEM FORTITUDO NOSTRA LEX JUSTITIE.

— Ita Romana et Græca; perperam ergo Complutenses et alii legunt *lex justitiæ*, q. d. Fortitudo nostra nobis sit lex et norma, non justitiæ, sed injustitiæ, ut scilicet juxta eam non justa, sed injusta perpetremus, spoliando et opprimendo pauperes, viduas et senes. Verum legendum est *lex justitiæ*, uti dicit Arabicus, *sit autem fortitudo nostra velox ad justitiam*: sensus est, q. d. Nobis justum et legitimum habeatur, et quasi lex justitiæ, non quod ipsa justitia et recta ratio dicat, non quod senes canitie venerabiles dicunt, sed quod vis et fortitudo nostra efficere et rapere potest; quod vulgo dicitur: justitia ipsi est gladius, jus suum portat in armis, uti Callicles ait apud Platonem in *Gorgia*. Hoc est axioma tyrannorum, imo leonum et ferarum, qui non aliam habent justitiam, quam ungues, dentes, vim et rapinam, ac proinde injustitia ipsis est pro justitia, et norma vitæ, juxta illud Juvenalis, *Satyr. 6*:

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas;

alis fuit Nemrod validus venator, non tam ferarum, quam hominum, *Gen. x, 8*. Causam subdunt:

QUOD ENIM INFIRMUM EST, INUTILE INVENITUR. — Arabicus, *quoniam virtus infirma apparet inutilis*: pro *invenitur* græce est ἀνευρεται, id est *arguitur, convincitur*, dum infirmitas omnium patet injuriis, q. d. Qui viribus prævalet, hic validus, potens et dives est; qui infirmus et impotens potentiori resistere nequit, sed succumbit, hic ad nihil utilis est, nisi ut alterius sit spoliolum et

præda, uti sunt pauperes, viduæ, senes, idque naturæ videtur conforme: nam quod validius est naturaliter dominatur invalido, uti in bestiis est videre; hinc pisces majores devorant minores, lupi rapiunt oves, leones lupos, tigrides venantur quævis animalia. Ergo et id in hominibus habeat locum oportet, ut opes infirmorum cedant validis et potentibus: hoc est principium tyrannorum et atheorum, quod hoc sæculo renovavit Machiavellus, qui religionem, virtutem, justitiam censuit subservire debere potentiæ et libidini dominandi, ut iis utaris quantum juvant ad ditiones tuas propagandas, non utaris quantum id impediunt. Hinc olim christianis objecere pagani, quod ipsi utpote humiles, mansueti, tolerantes, quieti, inertes essent et inutiles ad rempublicam armis propugnandam, teste Tertulliano, *Apolog. pro christianis*.

Verum hoc principium non humanum est, sed ferinum; non christianum, sed atheum; non divinum, sed diabolicum. Feræ aguntur suo appetitu ferino, at homo agitur ratione et humana æquitate, quæ ei a Deo data est velut lux et dux vitæ; illam ergo sequatur oportet. Hoc est quod deplorat Habacuc, cap. i, vers. 3 et 4: « Factum est, ait, judicium et contradictio potentior, quia impius prævalet adversus justum: » vide Job, cap. xx et xxxi.

12. CIRCUMVENIAMUS ERGO JUSTUM, QUONIAM INU-

Vers. 12.

TILIS EST NOBIS, ET CONTRARIUS EST OPERIBUS NOSTRIS, ET IMPROPERAT NOBIS PECCATA LEGIS, ET DIFFAMAT IN NOS PECCATA DISCIPLINE NOSTRÆ. — Arabicus *in justum accipit in genere neutro*, unde vertit, *condamnamus, fingamus, fabricemus justum*, q. d. Lex justitiæ veræ nobis nostræque cupiditati adversatur, formemus ergo aliam legem justitiæ, conformem non rectæ rationi, sed concupiscentiæ nostræ, ut justum sit quicquid nobis libet; verum Hebræa, Septuaginta, Vulgata, Chaldaeus, Syrus, cæterique omnes accipiunt *justum* in genere masculino, idque exigunt sequentia. Ex antecedentibus ergo et subsequentibus liquet primo

Primo.

hanc esse vocem impiorum contra quemlibet insigniter justum et pium, qui eorum impietatem verbis et vita redarguat, quem proinde ipsi ut sibi invisum, persequantur ad necem, uti factum est omni ævo: sic enim Cain persecutus est justum Abel, Sodomitæ Lot, Esau Jacobum, fratres Josephum, Pharaon Mosen et Hebræos, Saul Davidem, Jezabel Eliam, Manasses Isaiam, etc. Qui enim plene et perfecte est justus, non sibi soli est justus, sed et toti reipublicæ; ac proinde justitiæ est *hyperapistes*, id est acer propugnator, propagator et vindex, quem proinde impii pessime oderunt, et ad necem persequuntur. Ita censent Hugo, Lyranus, Osorius, Jansenius hic, ac S. Chrysostomus, homil. 5 *De Verbis Isai. vidi Dominum*, et S. Ambrosius, lib. II *De Offic. cap. vi et vii*. Hinc Simeon Metaphrastes in Vita S. Auxentii, in ipso impletum ait illud Sap. II, 12:

« Exterminemus justum, quoniam inutilis est nobis. »

Secundo
prophe-
tia de
Christi
cruce.
Probatur
primo.

Verum, secundo, hic esse prophetiam de Christo, ejusque passione, quem impii pontifices et Judæi, utpote scelorum suorum castigatorem, persecuti sunt usque ad crucem, liquet primo, ex ipsis verbis quæ hic plane sunt eadem cum iis, quibus Judæi Christum in cruce pendentem subsannaverunt, ut patet utraque conferenti, præsertim illa, *Matth. xxvii, 43*: « Confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum: dixit enim: Quia filius Dei sum, » quibus respondit hic illa vers. 13: « Filium Dei se nominat, » et illa vers. 16: « Glorietur patrem se habere Deum, » et illa vers. 18: « Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum: » rursum illa vers. 20: « Morte turpissima (puta crucis) condemnemus eum; » quæ omnia proprie soli Christo competunt. Adde, Christus per antonomasiam vocatur *Justus*, quia justissimus, imo non tantum caput, sed et pater auctorque omnium justorum, ut patet *Jerem. xxiii, 6*; *Isai. cap. li, 5*; *xlii, 2* et *10*; *xlv, 8*; *lxii, 2*, et *Zachar. ix, 9*. Secundo, idem docent passim Patres, S. Augustinus, *XVII De Civit. cap. xx* et lib. *XII Contra Faustum cap. xlii*, asserit hoc loco passionem Christi aptissime prophetari: sic et S. Cyrillus in *Isai. cap. lix*, S. Cyprianus, tract. *De Sion et Sina*, S. Ambrosius, *II Offic. cap. vi* et *vii*; Auctor *Imperf. in S. Matthæum*, hom. 43, Clemens Alexandrinus, *V Strom. cap. vi*, Tertullianus, lib. *III Contra Marcion. cap. xxii*, et S. Athanasius in *Synopsi. Lactantius*, lib. *IV, cap. xvi*, ex hoc loco convincit Judæos, ac demonstrat Christum ab eis occisum fuisse justum et filium Dei: « Salomon, inquit, in libris Sapientiæ his verbis usus est cap. xi, vers. 12: *Circumveniamus Justum, quoniam insuavis est nobis, et exprobrat nobis peccata legis; promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat*, etc. Nonne ita descripsit n. farium illud consilium ab impiis initum contra Deum, ut plane interfuisse videatur. Atqui a Salomone, qui hæc cecinit, usque ad tempus quo gesta res est, mille ac decem anni fuerunt. Nihil nos affingimus, nihil addimus. » Causam dat S. Chrysostomus, puta Auctor *imperfecti* apud S. Chrysostomum, hom. in *Matth. cap. 1*: « Ex superbie vitio nascitur, inquit, ne quis velit ante se meliorem habere, sicut Judæi Christum: non enim nescientes filium Dei esse occiderunt, sed habere eum talem non sustinentes, sicut et prophetat de illis Salomon: *Venite, circumveniamus*, » etc. Sensus est ergo, q. d. Impii persequuntur justos insignes, a quibus eorum impietas culpatur et arguitur, sed maxime impii Judæi persequuntur Christum, qui est Justus justorum, et Sanctus sanctorum, utpote qui acerrime eorum, et præsertim pontificum et scribarum vitia taxavit, ut passim ea taxat in Evangeliiis.

Chr. si
præcedo-
Simili modo Moyses prophetat de Christo, *Deut. xxxiii, 48*, dicens ex ore Dei: « Prophetam susci-

tabo eis de medio fratrum suorum similem tui, » *prophetam*, id est prophetas varios, sed unum ex eis eximium, et cæterorum principem, puta Messiam, sive Christum, hic enim similis fuit Moysi, imo longe eo superior: ita S. Ambrosius in tit. *Psal. xxxv*: « Dominus, ait exprobrat Judæis: Ego propter vos pauper, ego pro vobis dolens, et vos mihi manus impias intulistis, dicentes, *Sapient. xi, 12*, et *Jerem. xi, 19*: *Tollamus Justum, quia inutilis est nobis; injiciamus lignum in panem ejus*. Bene panem dixit, pro carne ejus: ille alimentum detulit, isti pro beneficio retulere supplicium; non mirum ergo si esuriunt, qui sibi vitæ æternæ alimoniam denegarunt. » Porro aludit Auctor Sapientiæ ad illud, *Isai. cap. iii, 10*, ubi Septuaginta pro יכרר *imru*, id est, *dicite Justo quoniam bene*, legentes יכרר *isru*, id est *ligate*, sic vertunt, *consiliati sunt consilium malum contra semetipsos dicentes: Ligemus Justum, quoniam inutilis* (S. Hieronymus ibidem vertit, *injucundus*: utrumque enim significat יכרר) *est nobis. Ita fructus operum suorum comedent*: quæ verba plane competunt Judæis, capientibus et ligantibus Christum orantem in horto; hinc et S. Justinus, *Dialog. contra Tryph. legit, vinciamus justum, quoniam inutilis est nobis*; Syrus, *retardemus, vel impediamus justum*; Tertullianus, lib. *III Contra Marcion. cap. xxi*, *auferamus justum*, scilicet Christum; Clemens Alexandrinus, lib. *V Strom.*, *tollamus justum a nobis*. Græce est ἐπιδημιον, id est *insidiemur justo*, per insidias eum capiamus, ligemus, necemus, opprimamus. Sic Judæi insidiosas quæstiones proposuerunt Christo, ut eum caperent in sermone, sicut eum quæsierunt ab eo, *Matth. xxii, 43* et *46*: « Licetne censum dare Cæsari, an non? » Rursum per insidiosam predicationem Judæ eum comprehenderunt in horto. *Justum* vocant, non tam ex suo sensu, quam ex communi æstimatione et nuncupatione vulgi.

Porro impius persequendo pium magis sibi nocet, quam pio: nam, ut ait S. Augustinus in *Psal. xxxvi*: « Tuum corpus premit adversitas, illius animum putrefacit iniquitas: nam quid quid in te profert, in illum redit, ejus enim purgatio te facit purgatum, illum reum; cui ergo plus nocet? » Imo impius persecutione sua pio prodest, non obest. Audi S. Augustinum in *Psal. cxxviii*: « Exercuerunt me, non oppreserunt. Valuerunt mihi sicut ignis ad aurum, non sicut ignis ad fenum: ignis enim accedens ad aurum sordem tollit, accedeas ad fenum, in cinerem vertit. » Transiit flamma et remanet aurum purum; transit persecutio ut somnium, et manet anima patientiæ merito nitida et splendida: scriptum est enim, *Psal. lxxii, 20*: « Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges, » et *Isai. xlii, 7*: « Et erit sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel, » id est contra Ecclesiam ejusque fideles,

fiat
prodit

Persecu-
tio nocet
persecu-
tori pio:
dicit jus-
to.

quæ dicitur *Ariet*, id est *leo Dei* a fortitudine.

QUONIAM INUTILIS EST NOBIS. — Est miosis, *inutilis* enim, id est noxius, græce *δυσχερστες*, id est *primo*, inutilis; *secundo*, difficilis, incommodus, morosus, intractabilis, qui nescit se nobis accommodare, et ad vitia nostra connivere, eaque dissimulare; unde Syrus, *quoniam non est benignus nobis*. Talis Judæis videbatur Christus, utpote qui eorum avaritiam, rapinas, libidines, superstitiones assidue verbo et vita castigabat. Alludunt ad nomen Christi per antiphrasin, *q. d. χερστες*; non est *χερστες*, id est *comis*, benignus, humanus, facilis ad gratificandum, commodus, clemens, sed *ἀχερστες*, id est *inutilis*, imo *δυσχερστες*, id est *difficilis*, offensus, durus, inflexilis, rebellis, perniciosus, abhorrens a nostra conversatione et vita, imo eam assidue culpans et mordens; ergo tollamus eum e medio. Verum ex parte dicunt, quia Christus scribis et pharisæis, utpote sceleratis, impœnitentibus et in malo obstinatis, perpetuus erat hostis, censor et reprehensor, idque ex officio: ad hoc enim a Patre missus erat ad Judæos, ut eos a patriarchis degenerantes ad vitam fidem et probitatem reduceret. Cæteris vero probis, imo peccatoribus suam fidem et pœnitentiam non aspernantibus, erat dulcissimus et clementissimus, uti fuit S. Magdalene, S. Paulo, S. Matthæo, Zachæo, S. Petro et aliis plurimis, adeo ut scribæ hoc calumniæ loco objecerint Christo, quod cum meretricibus et peccatoribus versaretur; unde ipse eos ad se blande invitans, *Matth. xi, 28*: « Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. » Sic Christum ab humanitate et suavitate laudant Isaias, cap. *xliv*, vers. 2, et cap. *lxi*, vers. 1: Zacharias, cap. *ix*, vers. 9, et cæteri prophetæ, æque ac apostoli, ut S. Petrus, *Actor. x, 38*: « Qui, inquit, pertransiit beneficiendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. » Dei enim est benefacere omnibus et suam bonitatem omnibus communicare, imo effundere. Sic Christus ægros sanabat, mortuos suscitabat, demones pellebat, turbas pascibat, procellas sedabat, imo corpus, vitam, animam, deitatem suam dedit pro nobis, iisque inimicis et peccatoribus, ac in dies eadem dat cuilibet in Eucharistia: idem in dies sua gratia peccatores prævenit vocatque ad salutem; quid ergo Christo utilius, suavius, benignius? hinc hebraice dicitur *Messias*, græce *χρηστες*, latine *Christus*, id est *unctus*, scilicet a Deo in regem, prophetam, legislatorem, redemptorem et pontificem novæ legis; a gentilibus vocabatur *χρηστες*; per *χ*, id est *utilis*, suavis, benignus, beneficus; unde christiani vocabantur *christiani*, id est *blandi*, suaves, commodi; quia sicut in Christo nihil fuit, quod non esset utile,

suave, commodum hominum salutem, sic et in christianis esse debet: de quo plura alibi dixi. Vere S. Thomas canit de Christo:

Se nascens dedit socium,
Convalescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

Et S. Bernardus: « Jesus mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. *Gustate ergo et videte, quoniam suavis est Dominus.* » Psalm. *xxxiii, 9*.

ET CONTRARIUS EST (SYRUS, *adversatur, obstat*) OPERIBUS NOSTRIS. — Nostra enim opera sunt impia, injusta, scelerata, noxia; ipsius justus vero, ac præsertim Christi, opera sunt pia, justa, sancta, salutaria. Ecce hic explicantur cur Christus eis videatur *δυσχερστες*, id est *inutilis*, molestus et perniciosus, quod scilicet taxaret improbos scribarum mores, eisque *χρ*, id est fulmen æternæ damnationis intentaret, ut patet *Matth. xxiii, 13-29*. Sic hodie viri religiosi, quod improborum mores vel verbo vel exemplo castigant, eis sunt odio; unde Apostolus, *I Timoth. iii, 12*: « Omnes ait, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur: » causam unam inter varias dat S. Augustinus in *Psalm. cxvii*: « Si mortuus est diabolus, inquit, mortuæ sunt persecutiones; si autem ille adversarius noster vivit, unde non tentationes suggerit? unde non sævit? non minas aut scandala procurat? »

ET IMPROPERAT NOBIS PECCATA LEGIS, — puta peccata contra legem, a Deo per Moysen datam, a nobis commissa.

ET DIFFAMAT IN NOS PECCATA DISCIPLINE NOSTRÆ. — Græce *ἐπισημαίνει*, id est *cum infamia nostra proprolat*, evulgat, celebrat; unde S. Augustinus, *XVII De Civit. xx*, legit *infamat*, exprobrat, occlamat nobis peccata, quæ contra disciplinam legemque nobis a Deo datam committimus, ac præsertim, quod eam prava interpretatione per pharisaicas traditiones corrumpamus, ut quod filios doceamus non honorare nec alere parentes, sed suas opes offerre templo ad sacerdotum lucrum; quod doceamus inimicos esse odio habendos; quod peccantes excusemus, dum nobis dant munera, etc.: quæ Christus recenset et carpit, *Matth. v, 20*; quodque calices et paropsides mundemus, cum intus pleni simus rapina et immunditia, *Matth. xxiii, 25*. Rursum Joannes, cap. *vii*, vers. 19: « Nonne, ait, Moyses dedit vobis legem: et nemo ex vobis facit legem? » Vide Lucam cap. *xi*, vers. 39 et seq.; unde vers. 45, ait illi quidam ex legisperitis: « Magister, hæc dicens, contumeliam nobis facis. » Porro, id juste et sancte fecit Christus: ipsius enim, velut legati ad hoc a Deo, erat publica scribarum et pharisæorum scelera libere carpere, ne populus ea ut licita et sancta aestimaret, ac sequeretur et imitaretur, etiamsi sciret se illos per hoc concitaturum ad nequam crucemque sibi inferendam, uti reipsa contigit. Idem

Christus
impœnitentibus
hostis,
pœnitentibus vero
benignus.

Vitia
legispe-
nitentium
publica
Christus
carpit,
cur?

fecere Isaias, Jeremias cæterique prophetæ ad unum omnes, utpote Christi prodromi et anti-typi.

Causa odii impiorum uo pios. Hæc ergo est vera causa odii impiorum in pios, quod eorum impietas horum pietate coarguatur et infametur. Hanc causam assignat et exaggerat Lactantius, lib. V *Instit.* cap. IX : « Hujus tanti, inquit, et tam pertinacis odii quam potissimum causam esse dicamus ? utrumne

Veritas odium parit,

ut ait poeta, quasi divino spiritu instinctus ? an erubescunt coram justis et bonis esse nequam ? an potius utrumque ? nam et veritas ideo semper invisita est, quod is, qui peccat, vult habere liberum peccandi locum, nec aliter se putat malefactorum voluptate securius perfrui posse, quam si nemo sit, cui delicta non placeant. Ergo tanquam scelerum et malitiæ suæ testes exstirpare funditus nituntur et tollere, gravesque sibi putant, tanquam vita eorum coarguatur. » Subdit deinde impiorum ratiocinium : « Cur enim sint aliqui intempestive boni, qui corruptis moribus publicis, convicium bene vivendo faciunt ? cur non omnes sint æque mali, rapaces, impudici, adulteri, perjuri, cupidi, fraudulentis ? quin potius auferantur, quibus coram male vivere pudet, qui peccantium frontem, etsi non verbis, quia tacent, tamen ipso vitæ genere dissimili feriunt et verberant ? castigare enim videtur quicumque dissentit. Nec est magnopere mirandum si adversus homines ista fiunt, cum adversus ipsum Deum propter eandem causam insurrexerit etiam populus in spe constitutus, nec Dei necius ; sequiturque justos eadem necessitas, quæ ipsum justitiæ violavit auctorem. »

Vers. 13. 13. PROMITTIT SE SCIENTIAM (Vatablus, *notionem*) DEI HABERE. — Græce ἐπαγγέλλεται, id est *annuntiat*, prædicat, evulgat publice et solemniter, velut cum quid per præconem edicitur, et promulgatur : Christus enim fuit præco evangelii, qui illud e caelo in terram detulit. S. Bonaventura ex Glossa explicat, q. d. *Firmiter asseverat se scire omnia, tanquam Deum* ; verum sensus genuinus est, q. d. Christus publice et passim prædicat et præconizat se Deum, veramque Dei fidem ac religionem, id est modum recte pieque Deum colendi, illique serviendi et placendi nosse, docere et prædicare, ac proinde improbat nostros judaicos ritus et traditiones, quasi parergos et Deo ingratos. Hoc est quod ait Christus, *Joan.* VII, 28 : « A me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis : ego scio eum : quia ab ipso sum, et ipse me misit ; » et *ibid.* vers. 16 : « Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me ; » et *Matth.* XI, 17 : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare ; » et *Joan.* XVII, 3 : « Hæc est autem vita æterna. Ut cognoscant te solum Deum verum, et quem mi-

sisti Jesum Christum ; » et *ibid.* cap. VIII, 24 : « Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. »

ET FILIUM DEI SE NOMINAT. — Græce, παῖδα κυρίου, id est *puerum Domini* : puerum, id est filium vel servum ; hic autem filium accipi patet ex eo quod sequitur vers. 16 : « Et gloriatur se patrem habere Deum : » tota enim contentio Christi cum Judæis fuit, quod ipse se diceret verum Dei filium, idque miraculis et Scripturis probaret ; ipsi vero id ipsum denegarent, ut patet *Joan.* cap. V et sequent., ubi continua est Christi cum scribis hæc de re disputatio. Hinc liquet hæc, licet ad quemlibet justum pertineant, qui filius est Dei adoptivus per gratiam, tamen proprie spectare ad Christum, qui filius est Dei naturalis per essentiam. Porro hæc fuit potissima causa odii impiorum Judæorum in Christum, quod diceret se Dei filium, tum quia ipsi erant superbi, ideoque indigne ferebant Christum se scribis et pontificibus, imo et Mosi anteferre, uti superior dixi ex S. Chrysostomo ; tum quia eo gravior eis accidebat reprehensio Christi, quo a grandiore persona, puta a filio Dei, proficiscebatur ; tum quia ex hoc, quod ipse erat filius Dei, sequebatur ejus adversarios Judæos esse filios diaboli, juxta illud Christi, *Joan.* VIII, 44 : « Vos ex patre diabolo estis ; » atque hæc etiamnum est causa pertinacis odii Judæorum omnium in Christum, quod scilicet audire et concoquere nequeant se esse filios et hæredes eorum, qui suum Messiam filium Dei occiderunt : hanc enim infamiam tanti sacrilegii, imo deicidii sibi aspergi, ferre nequeunt.

14. FACTUS EST NOBIS IN TRADUCTIONEM COGITATIONUM NOSTRARUM. — Græce, εἰς ἐπιγύω, id est *in redargutionem et reprehensionem*, q. d. Christus traducit, id est in publicum ducit, propalat et omnibus carpendas proponit nostras cogitationes, id est nostras intentiones, nostra studia, nostros conatus ; unde alii vertunt, *hic cogitationum nostrarum judex existit* ; S. Bonaventura, *cogitationes nostras in lucem traducit* ; alius, *factus est nobis ad redarguendas cogitationes nostras* : Christus enim cognoscebat, et revelabat arguebatque pravos scribarum cogitationes, etiam secretas de ipso redarguendo, capiendo, occidendo, ut patet *Matth.* IX, 4 : « Ut quid cogitatis, inquit, mala in cordibus vestris ? » et *Luc.* VI, 7 : « Observabant autem scribæ, et pharisæi si in sabbato curaret : ut invenirent unde accusarent eum. Ipse vero sciebat cogitationes eorum, » etc. Atque ex hac revelatione secretarum cogitationum ostendebat Judæis se esse Deum, Deique filium : nam, ut ait Tertullianus, *Apolog.* cap. XX : « Testimonium divinitatis est veritas divinationis. »

15. GRAVIS (ONEROSUS, MOLESTUS, INTOLERABILIS) EST NOBIS ETIAM AD VIDENDUM. — Græce βραχέμενος, id est *visus*, q. d. Adeo justus, præsertim Christus, nobis est exosus, ut non solum ejus concio et reprehensio, sed et sola præsentia

Causa potissima odii judæorum in Christum.

Vers. 14.

Vers. 15.

nobis sit gravis et molesta, ut eum intueri et videre sine tædio et offensa nequeamus : odium enim et invidia faciunt, ut eum, quem quis odit, aspiciere non sustineat : nimirum, *Joan.* III, 20 : « Qui male agit, odit lucem. » Tenebris adversatur clara lux solis, ideoque cæcipientes offendit : « oculis ægris odiosa lux, » ait S. Augustinus, lib. VII *Confess.* cap. VI : sic « non rectis oculis Saul aspiciebat David, » I *Reg.* XVIII, 9 : ita Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. V : « Quomodo prophetis, inquit, manus intulerunt, nisi per impatientiam audiendi ; Domino autem ipsi, per impatientiam etiam videndi ; » unde ibidem docet « omne peccatum impatientiæ esse ascribendum. » Et S. Chrysostomus, hom. 5 *De Verb. Isai.* *Vidi Dominum* : « Neminem, inquit, mortalium sic aversantur, oderuntque hi qui peccant, atque eum qui parat redarguere ; captantque occasiones ut elabantur, cupientes effugere reprehensionem : objurgator enim non solum cum promit vocem, verum etiam cum videtur, gravis est peccatori : *Gravis est, inquit, nobis, etiam aspectus ;* » cui lectioni Vatablus adhesit legens, *aspectus quoque nostro gravis est* ; hinc illæ voces, *Joan.* XIX, 15 : « Tolle, tolle, crucifige eum. » Accedit, quod Christi modestia, castitas, sanctitas verberabat oculos immodestos, incestos, impuros Judæorum ; denique fulgor divinitatis ex vultu Christi emicabat, ait S. Hieronymus, qui percellerat impiorum aspectum ; pios vero rapiebat in sui amorem, reverentiam et admirationem. Sic Nero Thrasææ senatoris optimi venerabilem speciem ferre non poterat, ideo eum necavit, ait Tacitus, lib. XVI *Annal.* : nam, ut sapienter ait S. Chrysostomus, homil. 3 *ad Popul. Antioch.* : « Sanctorum non tantum verba, sed etiam aspectus spirituali gratia pleni sunt, ut vel suo aspectu solo aliorum iram extinguere valeant, et emollire corda. »

Odi in
Christum
causa
duodecim.

Nota, impii hic congerunt duodecim rationes, ob quas se odisse Christum et persequi asseverant ; prima est, vers. 12, quoniam ipsis inutilis, id est molestus et noxius. Secunda, quia contrarius est operibus ipsorum. Tertia, quod impropere eis peccata in legem admissa. Quarta, vers. 13, quod se dicat esse filium Dei, ac divinam scientiam doctrinamque docere, quasi major sit Mose, ejusque lege et religione aliam sanctiorem afferat. Quinta, vers. 14, quod secretas eorum cogitationes iniquas propalet et carpat. Sexta, vers. 15, quod ejus presentia, gravitas, modestia, sanctitas ipsorum oculos offendat. Septima, quod dissimilis aliis sit vita ipsius. Octava, quod immutata sint viæ, id est actiones ejus. Nona, vers. 16, quod ab eo habeantur velut viles, fabulosi et nugaces. Decima, quod absteineat se a viis eorum, quasi immunditiis. Undecima, quod præferat novissima justorum. Duodecima, quod gloriatur se patrem habere Deum. Hæc sunt duodecim capita accusationis, quam impii intentant justo, præser-

tim Christo, quibus se mutuo ad necem illi inferendam exhortantur et exacuunt : improbi enim pravos quosque diligunt, laudant, et ad scelera excitant, quia similes sibi animos et mores habent ; et dum improbitas plures sibi sectatores numerat, auctoritatem inde sumit, atque infamiam sibi congenitam quodammodo eluit ac purgat. Unde sequitur :

QUONIAM DISSIMILIS EST ALIIS VITA ILLIUS. — Christus enim prædicabat beatos pauperes, humiles, mites, lugentes, patientes persecutionem, cum Judæi cæterique mundani beatos prædicent divites, arrogantes, imperiosos, gaudentes et dominantes cæteris : Christus prædicabat mortificationem carnis, refrænationem concupiscentiæ, castitatem, abstinenciam, crucem, amorem inimicorum, odium animæ, quæ Judæis videbantur paradoxa, utpote qui carnales, non nisi carnes, opes et dapes, æque ac honores atque vindictam de inimicis quærebant. Hæc ergo est radix totius odii et invidiæ impiorum in justum, præsertim Christum, scilicet dissonantia morum et vitæ : nam, ut docet Aristoteles cæterique ethici, sicut amoris et amicitia causa est morum similitudo et consonantia, sic odii causa est morum dissimilitudo et dissonantia ; hinc Seneca, *epist.* 7 : « Qui vivit, inquit, in multitudine, vel similis multis, vel iis exosus est ; » et Pythagoræ præceptum fuit : « Per viam publicam ne incesseris, » id est vulgi mores ne sequaris, esto ea de causa in ejus odium incurras : « argumentum enim recti est, malis displicere, » ait Seneca.

Radix
odii morum
dissonantia.

Hanc odii radicem assignat Christus dicens et prædicans apostolis, *Joan.* XV, 19 : « Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret : quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus ; » ideoque « si me persecuti sunt, inquit, et vos persequentur. » « Magnum piorum hominum solatium, ait quidam doctor, video in hac esse ratione constitutum : de medio enim electos mundo, et a perditorum universitate discretos, morum dissimilitudo invisos reddit : hoc etenim oderunt illi, quod esse nolunt ; atque ex ejus rei, quam vehementer improbant, odio fremunt premuntque persequendo. Habere iniquitas non potest cum justitia pacem, temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia, non amat superbia mansuetudinem, non petulantia verecundiam, non avaritia largitatem. Si caput ipsum ob hanc morum adversitatem persecutus est mundus, profecto et pios omnes, qui eodem spiritu vivunt, persequetur. » Ferre ergo Christum impii Judæi minime potuerunt, quod affectus dissimilis studia vitæ contraria faciebat, alteraque vita alterius erat manifesta damnatio, ideoque fratribus quoque suis, cum in eum nec ipsi crederent, aiebat, *Joan.* VII, 7 : « Non potest mundus odisse vos, » cultores videlicet suos atque amatores ; « me autem odit : quia ego tes-

timonium perhibeo de illo quod opera ejus mala sunt. » Inde est quod boni improbis semper fuere graves : hoc est quod S. Prosper canit, *epigr.* 32 :

Impia pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dissimiles animos.
Ridens nolentes opibus presentibus uti,
Sperantesque sibi credita posse dari.

Ut igitur pax esse inter Christum et Belial non potest, ita nec civitates illæ duæ, quarum est altera piorum, altera impiorum, vera jungi concordia possunt : sanctæ civitatis Christus est conditor, civitatis impiæ diabolus fundator et rector est : illam constituit amor Dei usque ad contemptum sui : hanc e diverso amor sui usque ad contemptum Dei, sibi enim placens ac tumens, et omnia quæ prosecutione digna sint, in se una posita existimans, loquitur apud Prophetam et dicit, *Isai.* XLVII, 8 : « Ego sum, et non est præter me amplius : non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem. » Utitur illa mundo, ut fruatur Deo : hæc contra Deo utitur, ut mundo perfruatur ; peregrinatur illa hic, et manentem fixamque in terris non habens civitatem, futuram inquiri, quemadmodum sanctissimi cujusdam civis ea declarat oratio, qua dicit, *Psal.* XXVIII, 13 : « Advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei : » hæc vero mundi hujus inescata deliciis, in terrena felicitate ac quiescit. Eo fit, ut quidquid huic adversum senserit, remove conetur, et propter hanc suam cupiditatem, etiam odio prosequatur et persequatur veritatem. « Omnia, inquit ille, mandata tua veritas : idcirco iniqui persecuti sunt me, adjuva me, » *Psal.* CXVIII, 86.

Dissimilitudo
morum
dissimilitudinem
amicitiam et
pignit
bellum.

Porro, odium hoc cum tantum sit, necesse est ut illico in bellum et persecutionem erumpat : ut enim ignis et aqua simul esse, nisi pugnent inter se, non possunt, ita necesse est, ut duæ illæ civitates assidua inter se adversitate conflant ; alque ut in eodem homine contra spiritum caro, et contra carnem spiritus concupiscit, ita in eadem republica cum bonis mali pacem habere non possunt. Oderunt igitur boni non homines, sed hominum vitia, et si qua unquam ab illis movetur persecutio, ea non ex odio, sed ex charitate proficisci credenda est, qua vel malis consulitur ad correctionem, vel certe bonis et integris ad tutelam ; unde illa *Psal.* C, 3 : « Non proponebam ante oculos meos rem injustam : facientes prævaricationes odivi. Non adhæsit mihi cor pravum : declinantem a me malignum non cognoscebam : detrahentem secreto proximo suo, hunc persequerbar. » Ecce persecutor bonus non hominis, sed peccati : « est enim, inquit S. Ambrosius, *serm.* 11 in *Psal.* CXVIII, etiam justa persecutio, si oderimus obscænos, si infesti simus injustis, si iniquos velimus opprimere, ne pluribus noceant, si avarum fraudis suæ compendiis exuamus, si exsecremur insolentiam superborum. »

Nam, ut est apud Sapientem, *Proverb.* XXIV, 27 : « Abominantur impii eos, qui in recta sunt via. » At horum terrena civitas non corrigere cupit, sed perdere, nec ei vitia tollere cordi est, sed ingrati sibi et exosam demoliri, atque opprimere veritatem : « hoc enim est iudicium : quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem : erant enim eorum mala opera, » *Joan.* III, 19. « Invidentiæ enim diabolicæ, inquit S. Augustinus, *lib.* XV *De Civit. Dei*, cap. v, qua invident bonis mali, nulla alia causa est, quam quia illi boni sunt, isti mali : semper enim inimica virtutibus sunt vitia, et optimi quique ab improbis quasi exprobrantes aspiciuntur. » Recteque illud Cicero, *lib.* *De Amic.* « Dispari mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias. » Nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima esse potest, morum studiorumque distantia.

Et IMMUTATÆ SUNT VIÆ EJUS. — Hugo et alii addunt, *in veritate* ; sed nil tale habent Græca et Romana ; Vatablus, *suisque differt institutis* ; Guarinus, *differentesque sunt semitæ ejus* ; Glossa et S. Bonaventura, *dissimilia sunt dogmata ipsius et facta*, puta doctrina et vita ; alius, *peregrinæ, insolentes, inusitatæ, inauditæ et a communi norma formaque abhorrentes sunt semitæ, per quas graditur*, id est verba et opera ipsius. Sensus ergo est, *q. d.* Viæ, id est actiones justæ, præsertim Christi, ejusque modus agendi et videndi, puta ejus doctrina, conversatio, religio, secta plane a nostra discrepat, immutata est et diversa : nostra enim, sive, pharisaica justitia, et religio sita est in externa specie, purificatione, nitore, pompa, ostentatione eleemosynarum ; at Christi justitia evangelica sita est in interna puritate, pietate, charitate, etc., uti docet Christus, *Matth.* v, 1.

Causa
odii im-
piorum
in pios.

Rursum, per hypallagen, « immutatæ sunt viæ ejus, » id est viæ nostræ per vias ejus, *q. d.* Christus per suum evangelium immutat et abolet nostram legem, nostra sacramenta, nostrasque caeremonias et ritus, dum pro circumcisione substituit baptismum, pro manna Eucharistiam, pro lavacris pœnitentiam, etc. ; denique ipse judaismum nostrum vult destruere, et convertere in christianismum. Hæc enim fuit causa summi odii Judæorum in Christum et Paulum ; unde Judæi S. Stephanum lapidaturi, hoc ei crimini dederunt, *Act.* VI, 14 : « Audivimus, inquit, eum dicentem : Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moses ; » et S. Paulo cum eum caperent in templo : « Viri Israelitæ, inquit, adjuvate : hic est homo, qui adversus populum, et legem, et locum hunc, omnes ubique docens, insuper et gentiles induxit in templum, et violavit sanctum locum istum, » *Act.* XXI, 28.

Simili modo hoc tempore, imo omni ævo, viri

religiosi et zelosi, qui voluerunt reformare lapsos religiosorum, sacerdotum, christianorum mores, et vitæ puritati restituere, multorum in se odia concitarunt: sed solati sunt seipsum exemplo Christi, eoque confirmati constanter egerunt, ac sua constantia peregerunt quod moliebantur. Idem sentiunt, qui a sociis se subducunt, ut vacent severiori vitæ, orationi, studio: mox enim socii in eos linguis et cachinnis involant, hypocritas, jesuitas, sanctos nuncupant: quia ægre ferunt se ab eis deseri, superari, faciteque carpi et redargui; sed et hi audiant solamen a Christo, *Matth. v, 10*: « Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. » Hi dicant: « Amici socii, sed magis amicus Christus, magis amica sanctitas, animæque salus. » Plato aiebat: « Amicus Socrates, sed magis amica veritas. »

Ver. 16. 16. TANQUAM NUGACES ÆSTIMATI SUMUS AB ILLO, ET ABSTINET SE A VIIS NOSTRIS TANQUAM AB IMMUNDITIIS. — Pro *tanquam nugaces*, græce est εἰς κίθραρον, id est in spurium vel scoriā, aut æruginem æstimati sumus ab eo, puta quasi spurii, aut quasi quisquiliæ, nugæ et res nihili: κίθραρον enim proprie significat aurum, argentum, vel æs non purum et sincerum, sed cui scoria admixta est, ideoque fucatum, viliatum et adulterinum: ita Christus taxavit Judæos, quod legem suis traditionibus humanis et superstitionis adulterarent et corrumpent; unde eos vocavit « generationem malam et adulteram, » *Matth. xii, 39*; « mendaces, sepulcra dealbata, » serpentes et « genimina viperarum, » *Joan. viii, 55*: suas enim nugas, et nugaces manuum corporisque lotiones præferebant legi Dei et Christi. Hinc S. Bonaventura explicat, *q. d. Æstimati sumus ab illo tanquam inania facientes ac dicentes*; Dionysius, *perinde ac fatui et mendaces*; Clarius, *tanquam adulterini*; Vatablus, *pro adulterinis habemur*; Complutenses, *in spurium reputati sumus*. Alludunt ad illud, *Joan. viii, 39*, ubi Judæis jactantibus: « Pater noster Abraham est, » respondit Christus: « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiivi a Deo: hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habemus Deum, » *q. d. Tu, o Christe, negas nos esse filios Abrahæ legitimos, ac proinde spurios et adulterinos ex fornicatione natos videris asserere, qua in re nobis insignem injuriam et notam inuris, quia nobis alium patrem ac Abraham objicis, scilicet diabolum, utpote cujus opera sequamur; at nos falso calumniaris, quia non alius adulter, sed verus pater nobis in terra est Abraham, in cælo Deus, nosque unicum Deum Patrem colimus, æque ut Abraham: falso ergo criminaris nos Deum, ac pietatem et opera Abrahæ non sequi, quasi spurios. Respondit Christus: « Si Deus pater vester esset, diligere-*

tis utique me: ego enim ex Deo processi, et veni: neque enim a meipso veni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit. » Quibus verbis ostendit, et confirmat illos non esse filios Abrahæ, sed spurios diaboli.

ET ABSTINET SE A VIIS NOSTRIS TANQUAM AB IMMUNDITIIS, — quasi a sordibus, inquinamentis, spurcitiis, *q. d. Nostrum vivendi modum refugit et detestatur, velut immundum, pravum, scelestum. Sic Christus, Luc. xii, 1*: « Attendite (cavete), inquit, a fermento pharisæorum, quod est hypocrisis, » etc. Sensus est, *q. d. Christus sectarius est: a nostra enim religione, tanquam immunda, homines ad suam sectam, velut mundam adducit. Dicunt partim verum, quia Christus pharisæorum superstitiones et pravos mores confutabat; partim falsum, quia Christus statis diebus frequentabat templum, ibique orabat et docebat, ac legem servabat, servandamque docebat. Sapienter S. Gregorius Nazianzenus, Orat. in laudem S. Basilii, monet cavenda malorum consortia: « Ne, inquit, cum flagitiosissimis sodalium consuetudinem habeamus, sed cum optimis et honestissimis; nec cum pugnacissimis, sed cum tranquillissimis, iisque quorum consuetudo magnos fructus afferat: illud exploratum habentes multo facilius vitium contrahi, quam virtutem communicari, quemadmodum facilius quoque morbus contrahitur, quam sanitas impertitur. »*

ET PRÆFERT NOVISSIMA JUSTORUM. — In S. Augustino, *XVII De Civit. xx*, legitur, *nobilissima*, sed perperam, ut videtur. Primo Hugo exponit, *q. d. Novissimos justorum præfert nobis, dicens, Matth. xi, 16*: « Erunt novissimi primi, et primi novissimi; » et *ibid. v, 6*: « Væ vobis divitibus: beati pauperes spiritu; » et *cap. xii, 41*: « Viri Ninivite surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam: quia penitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic. » Verum græce est, *μακκαρίται τῶ ἐσχατῶ δικαίω*, id est *beatificat extrema justorum*, id est *beatum prædicat exitum justorum*; Complutenses et Vatablus, *extrema justorum beata prædicat*; Glossa et Bonaventura, *vitam æternam præponit voluptati, q. d. Christus paupertatem, compunctionem, humilitatem, lacrymas, mortificationem, crucem justorum beatam prædicat ex fine, quod scilicet ducat eos ad felicitatem et gloriam cælestem: atque hoc ipso condemnat nos, qui in opibus, gaudiis, risu, epulis, libidinibus, fastu, cæterisque hujus vitæ voluptatibus omnem felicitatem collocamus: nam iis ipse væ et fulmen æternæ damnationis intentat: id patet ex historia divitis epulonis et Lazari, Luc. xvi, 20. Sic et Ecclesiasticus viros gloriosos celebrans, cap. xlii, vers. 14, ait: « Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et*

Cavenda malorum consortia.

Novissima justorum, quam?

nomen eorum vivit in generationem et generationem; » et *Psalm. cxv*, 15 : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus; » et *Apoc. xiv*, 13 : « Audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur; amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos. » Rationem affert Nazianzenus, *Orat. in funere patris* : « Quia mors, quæ non solum nos a presentibus malis vindicat, verum ad supernam quoque vitam sæpe traducit, nescio, ait, an proprie mors appellari queat, utpote nomine magis quam re formidabilis : una vita est, oculos ad vitam coniectos habe; una mors peccatum : animæ enim est interitus. »

ET GLORIATUR PATEM SE HABERE DEUM, — ac consequenter nos sibi contrarios diabolo, ceu filios patri assignat : pro *gloriatione* græce est ἀλαζονεία, id est cum fastu, gloriatione et ostentatione jactat. Alius, *q. d.* Sibi falso fingit, mentitur, arrogat, ac velut impostor jactabundus, insolens, et ultra modum elatus ostentat patrem Deum : dixerat enim Christus, *Joan. viii*, 54 : « Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est, et non cognovistis eum : » quare vos, o Judæi, qui negatis me Filium, negatis et Patrem, ac consequenter negatis Deum vestrum. Hoc stimulo Christi acriter se pungi sensere scribæ et pontifices, ideoque ei necem machinati sunt : quantum enim decus et gloria est Deum habere patrem, et in eo omnia bona, tantum dedecus et infamia est patrem habere diabolum, et in eo omnia mala, tam culpæ quam pœnæ.

VERS. 17. 17. VIDEAMUS ERGO SI SERMONES ILLIUS VERI SUNT, — scilicet, quibus jactat se filium esse Dei, Deumque habere patrem, ac veram Dei fidem, legem, cultum docere : si enim est filius Dei, Deus utique eum proteget, et liberabit e manibus nostris; aut certe occisum a nobis resuscitabit, uti ipse asserit et jactat.

ET TENEMUS QUÆ VENTURA SUNT ILLI. — Videamus quonam res illius evadant; græce, et experiamur quæ in exitu ejus, scilicet erunt; S. Prosper, parte I *De Prædictionibus* cap. xxvi, legit, an succedant quæ ventura sunt illi, an scilicet Deus quem patrem suum gloriatur, liberet eum e manibus nostris, aut a morte resuscitet. Unde explicantes subdunt, « si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum. » Alii vertunt, *periculum faciamus eventuum ejus*, quid scilicet illi tandem eventurum sit, quem finem habiturus sit, in quem terminum et catastrophæ tragœdiæ vitæ et sectæ ejus desitura sit : abibit enim in fumum, imo in infamiam.

ET SCIEMUS QUÆ ERUNT NOVISSIMA ILLIUS. — Hæc desunt in Græco, Lactantio et S. Cypriano, lib. II *Testim. xiv*; legunt tamen Romana et S. Augustinus, XVII *De Civit. xx*. Videtur esse epanalepsis, idemque dici aliis verbis : nam *tentemus quæ ventura sunt illi* videtur explicari per id quod

subditur, « et sciemus quæ erunt novissima illius, » *q. d.* Christus nobis, nostræque voluptati et felicitati præsertim præfert novissima justorum, quorum ipse dicit se esse caput et principem; videamus ergo quæ sint novissima ipsius, ac inde colligemus qualia sint futura justorum ejus novissima. Occidamus eum, et videamus, an ipse a morte resurgat : et sic apparebit inania esse novissima, puta vitæ æternæ gaudia, quæ ipse justis suis frustra promittit. Ita et impii et athei.

18. SI ENIM EST VERUS FILIUS DEI, SUSCIPIET ILLUM. Vers. — Græce et syriace, *si enim justus est filius Dei* : justus, tum quilibet, tum per excellentiam, puta Christus, *q. d.* Si Christus, qui *justus* se nominat per eminentiam, est vere filius Dei, utique Deus velut pater illum suscipiet, id est ruentem in mortem porrecta manu apprehendet, fulciet, roborabit, proteget ne cadat : *suscipere* enim in Scripturis significat labenti succurrere, opem ferre, conservare, protegere. Petita sunt hæc verba ex *Psalm. xxi*, vers. 9 : « Speravit in Domino, eripiat eum : salvum faciat eum, quoniam vult eum; » quibus impii Judæi Christo in cruce exprobrarunt, quod filium Dei se dixisset, ut patet *Matth. xxvii*, 40.

ET LIBERABIT EUM DE MANIBUS CONTRARIORUM, — puta de manibus scribarum et pontificum illi adversantium, eumque ad crucem et necem adigentium.

19. CONTEMELIA (græce, ἕβρις, id est injuria, dedecore, contumelia, sævitia, ferocia, vi illata) ET TORMENTO (Lactantius, lib. IV, cap. xvi, legit in plurali, *contumeliis et tormentis*; S. Bonaventura, *contumelia verborum*, inquit, et *tormento*, sive *cruciatu verborum*) INTERROGENUS EUM (græce, ἐπιρροή, id est *problemus*, *exerceamus*, *exquiramus ab eo veritatem* : sic enim iudex a reo per interrogationes et tormenta exquirat crimen, quæ vocantur quæstiones judiciariæ; Arabicus, *investigemus eum calumnia et tormento* : tormenta quæ Judæi intulerunt Christo fuerunt plurima, maxima, ignominiosissima : hæc Judæi dicunt, hic se irrogare Christo), UT SCIAMUS (inquiunt) REVERENTIAM EIUS. — Græce, ἐπιεικέτιαν, id est *æquanimitatem*, modestiam, mansuetudinem, tranquillitatem, compositionem animi, qua *justus*, præsertim Christus, injuste verberatus veteret et horret, non tantum se ulcisci, sed et indignationis, vel impatientiæ minimum signum edere. *Problemus* ergo ejus justitiam per probra et tormenta, quia si vera sit ejus justitia, ostendet se per patientiam; sin fucata sit et simulata, prodet se per impatientiam : impossibile enim est ut superbus, hypocrita et fictus, si vexetur et verberetur, non prorumpat in verba maledica, minas, gestusque impatientes. Unde S. Gregorius, I *Dialog. cap. v* : « Qualis, inquit, quisque apud se latet, contumelia illata probat. » Hinc et græcum ἐπίρροη, id est *tormentum*, *tortura*, quæstio, significat quoque *lapidem*, *indicem* sive *ly-*

dium et herculeum, de quo Plinius, lib. XXXIII, cap. VIII, quod ejusmodi cruciatus tanquam ille lapis manifestet, ut auri præstantiam; excellentiam virtutis; hinc et *tormento examinare*, est interrogare, quia sicut examinatus a iudice in quæstione respondet, neque celat veritatem, quam extorquent supplicia, similiter illud examen ab iniquis iudicibus contumelia et tormento factum, ostendit veritatem divinitatis atque doctrinæ Christi, et etiam sanctitatis dignæ vero Deo. Confer hæc cum passione Christi, descripta in evangeliiis, ac dices Sapientem hic æque ac Isaiam, cap. LIII, passionis Christi, non tam esse prophetam, quam historicum et evangelistam.

Reverentia activa
quæ?

Passiva.

Hæc ergo *reverentia* justi, præsertim Christi, tum activa erat, tum passiva: *activa* erat sacer quidam pudor et sancta verecundia, qua Christus etiam in atrocissima passione et cruce ex respectu et reverentia, tum suæ personæ, tum ipsius virtutis patientiæ et modestiæ, tum Dei, angelorum et hominum, in quorum præsentia versabatur et patiebatur, verebatur quid agere vel dicere, non dico impatienter, sed minus digne vel decore, quod scilicet minus deceret virum patientem, modestum, constantem, perfectum, celestem, divinum; unde nullum gemitum, nullum doloris, infirmitatis, vel timoris signum dedit; quod considerans gentilis quidam scriptor exclamavit: « O virum infractum animo, qui nec precem, nec lacrymam fudit; » hinc Syrus vertit, *ut agnoscamus diligentiam, vel sollicitudinem humilitatis ejus, et probemus eum*; Arabicus, *ut sciamus obedientiam, vel subjectionem ejus, et probemus vere patientiam ejus.* » Passiva erat affectus *activa*, qua scilicet activa reverentia, quæ in Christi vultu composito, pio, reverenti et reverendo, omnibusque ejus dictis, factis et gestibus elucebat, faciebat eum omnibus venerabilem et reverendum, atque in spectantibus sui reverentiam, amorem et admirationem excitabat: uti fecit in centurione, qui videns eum tanta constantia, resignatione et pietate mori, dum clamaret, *Luc. XXIII, 46*: « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, » exclamavit, *Matth. XXVII, 54*: « Vere Filius Dei erat iste. » Quin et latro unus in ipsa cruce, Christi sancta patientia commotus compunctusque increpavit socium blasphemantem, et ad Christum conversus coram Judæis et scribis, *Joan. XV, 20*: « Memento mei, inquit, Domine, cum veneris in regnum tuum. » Idem fecere Judæi, cæterique, de quibus ait Lucas, cap. XXIII, vers. 48: « Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud (quo in Christi morte sol obscuratus est, terra tota contremuit, petra scissa sunt, etc., quasi sanctam Creatoris sui necem lugentes et indignantes), et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. » Hinc et Christus Deo patri tanta obedientia et patientia, quasi sui reverentiam iniecit, ut ab eo obtineret quidquid postularet:

nam « cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia, » *Hebr. V, 7*.

Simili modo martyres in martyriis suis, tantam præ se tulere in vultu et verbis æquitatem, constantiam, pietatem, sanctitatem, hilaritatem, ut suos tortores ad sui reverentiam compulerint, eosque christianos, imo martyres effecerint, uti S. Laurentius tormentorum suorum lætitia et alacritate convertit S. Romanum atque Hippolytum eum tota familia, ita ut ad unum omnes martyrium generose obierint. Sic S. Cæcilia sua patiendi hilaritate convertit Maximum, aliosque quadringentos. Sic S. Polycarpus sua veneranda canitie, comitate, promptitudine et sanctitate, militibus ad eum comprehendendum missis, tantum pudorem et timorem iniecit, ut vix auderent eum contingere, teste Eusebio, lib. IV *Hist.* cap. XV. Sic S. Thecla leonibus objecta, virgineo pudore et reverentia eisdem reverenda, illæsa permansit, de qua S. Ambrosius, lib. III, epist. 25 ad *Eccles. Vercel.*: « Quo munere, ait, venerabilis Thecla etiam leonibus fuit, ut ad pedes prædæ suæ strætæ impastæ bestię, sacro deferrent jejunio, nec procaci oculo virginem, nec ungue violarent aspero: quoniam et ipso aspectu virginitatis violatur sanctitas. » Idem plenius et elegantius, lib. II *De Virg.* post initium: « Thecla, inquit, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit; namque parata ad feras, cum aspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sævo offerret leoni, fecit ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. » Gestus deinde leonum reverentes graphice depingens, subdit: « Cernere erat lingentem pedes bestiam, cubitare humi, muto testificantem sono, quod sacrum virginis corpus violare non posset. Ergo adorabat prædam suam bestia, et propriæ oblita naturæ, naturam induerat quam homines omiserant. Videres quadam naturæ transfusione homines feritatem indutos, sævitiam imperare bestię; bestiam exosculantem pedes virginis, docere quid homines facere deberent. » Unde per epiphonema exaggerando concludit: « Tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur. Non impastos cibus flexit, non citatos impetus rapuit, non stimulos ira exasperavit, non usus decepit assuetos, non feros natura possedit. Docuerunt religionem, dum adorant martyrem; docuerunt etiam castitatem, dum virginis nihil aliud nisi plantas exosculantur, demersis in terram oculis, tanquam verecundantibus, ne mas aliquis vel bestia virginem nudam videret. » Disce hic quam modestia, mansuetudo, pietas et patientia sit reverenda, quamque sui asseclas faciat venerabiles et reverendos: qui ergo sibi auctoritatem et reverentiam quærit, quærat eam non gravitatis ostentatione, non pompa rhedarum et asseclarum, sed mansuetudine, beneficentia et virtute.

Constantia et hilaritas martyrum.

Exemplum.

S. Thecla leonibus reverentia.

ET PROBEMUS PATIENTIAM ILLIUS. — Sic quoque Patientia

vera ius-
titia et
sancti-
tis argu-
mentum.

legunt S. Cyprianus, Lactantius et S. Augustinus; aliqui codices pro *δοκιμάσωμεν*, id est *probemus*, legunt *δικάζωμεν*, id est *judicemus*. Recte impii ad explorandam justitiam, præsertim Christi, justitiam, probant ejus patientiam: patientia enim est lydius lapis, quo probatur vera justitia et sanctitas: nam « tange montes, (id est superbos et impatientes) et fumigabunt, » *Psalm. ciii, 31*: exhalabunt enim fumum iræ, jurgiorum, maledicentiae et vindictæ. Hoc est quod ait Paulus, *Rom. v, 3*: « Gloriamur in tribulationibus scientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio vero spem; » et S. Jacobus, cap. 1, vers. 4: « Probatio fidei patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet, » ut ostendat virtutem patientis ad culmen sanctitatis et perfectionis evasisse; porro in Christo præ cæteris sanctis et martyribus, tanta tamque divina in tot blasphemis, injuriis, tormentis atrocissimis et immensis, utpote quæ in ipsum Deum jaciebantur, emicuit patientia, constantia, charitas, qua pro ipsis etiam Judæis se occidentibus Deum oravit, eisque veniam et salutem impetravit, ut hæc sola sufficeret ad probandum ipsum esse Messiam et Prophetam, imo Deum et Dei filium, præsertim quia ad hoc ostendendum ipsa a Christo adhibebatur: virtus enim veritatis est soror, ideoque ab omni fucali aliena, quare testis esse nequit falsitatis; sed solius veritatis index sit oportet.

Vers. 20.

20. MORTE TURPISSIMA (græce *δοξία*, id est *indecora, fæda, deformi*, ut non sit ei species, neque decor, *Isai. liii, 2*, contumeliosa, infami, ideoque turpi per excellentiam, id est *turpissima*, puta crucis) CONDENNEMUS EUM. — Syrus, *mortis publicæ et infami deputemus eum*: crucis enim supplicium, præsertim clavis illi affixorum, erat atrox et longa mors; unde a cruce dictus est *cruciatu*; idemque erat ignominiosissimum, tum Judæis, tum gentibus: Judæis ex lege, *Deuter. xxi, 23*: « Maledictus, inquit, a Deo est, qui pendet in ligno: » quocirca crucifixus ibidem jubetur eadem die ante vesperam sepeliri, ne contaminet terram; unde Apostolus, *Galat. iii, 13*: « Christus, ait, nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno. » Similiter apud Romanos et gentes crux erat infame et horrendum supplicium latronum et scelestorum. Vide Lipsium et Gretserum *De Cruce*.

Cur
Christus
crucifig-
tus?

Causa ergo cur Christus crucifixus sit, ex parte Judæorum eum crucifigentium, fuit immane eorum odium in Christum, quo eum ad crucem, velut ad summe infamem et atrocem mortem adegerunt. Ex parte vero Adæ et hominum fuit, quod Adam peccavit in ligno, comedendo scilicet pomum arboris vitæ, quare in ligno crucis, hoc ejus inobedientiæ scelus a Christo expiari decuit et debuit, ut diabolus « qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur » a Christo. Ex

parte vero Dei offensi causa fuit amor justitiæ, ut per crucem ostenderetur gravitas offensæ Adæ et hominum in Deum, quod scilicet per eam maledictionis æternæ reos se fecerint, adeoque facti sint maledictum; Christus ergo hoc Adæ et nostrum maledictum in se luendum et piandum suscepit, ideoque cruce suffixus est, quia pendens in cruce apud Judæos ex lege jam citata, censebatur maledictus et maledictum: atrocitas ergo culpæ, quasi ex æqua justitia poscebat atrocitatem pœnæ, ut illi condigne satisfaceret; talis autem est pœna crucis. Ex parte Christi, causa fuit immensitas amoris, ut per crucem Christus ostenderet quantum nos amarit, utpote pro quibus tam dira et dura passus sit, utque exemplum daret nobis mortificationis ad assidue crucifigendos concupiscentiæ motus; ac martyrii ad quamlibet mortem, quantumvis horridam et probrosam, pro ipso et virtute libenter subeundam, uti subiere martyres, ut Christo quoad possent par pari, scilicet dolorem dolori, et amorem amori, redderent. Unde S. Augustinus in *Psalm. cxi*: « Crucem, ait, qua nihil videbatur execrabilius, ipse Dominus suscepit, ne discipuli ejus mortem quidem, non modo non timerent, sed nec mortis genus horrescerent: » idem, hom. 32 *De Sanctis*: « Tota vita christiani hominis, si secundum evangelium vivatur, crux est atque martyrium. » Plura vide apud Gretserum, lib. I *De Cruce*, cap. xli, xlii et sequent., et lib. IV, cap. 1 et sequent., ac D. Thomam, Suarez et scholasticos, III part. *Quæst. XLVIII*, art. 4, et Cassianum, lib. IV *De Institut. renunt.* cap. xxxiv et xxxv.

ERIT ENIM EI RESPECTUS EX SERMONIBUS ILLIUS. — Pro respectus, græce est *ἐπινομή*, id est *observatio, visitatio, consideratio, inspectio*: triplex hic potest esse sensus, *primus* Clarii, qui vertit, *ex ejus enim verbis et factis inspiciamus quid sit*; et Syri, *sit autem adversus eum interrogatio ex verbis illius*, q. d. Dum affligetur a nobis, considerabimus et conspiciemus ex verbis ejus qualis sit, ait Jansenius; aut q. d. Si in cruce poterimus eum extinguere, cognoscemus mentitum, quando se Dei filium, qui immortalis est, nuncupavit: ita S. Bonaventura, Dionysius, Lyranus et alii; aut, ut Osorius et Lorinus, q. d. Crucifigamus eum, ut ex verbis illius, quæ dolor vehementis expresse- rit, de hominis mente statuamus: volebant enim Judæi atrocitate crucis et tormentorum, elicere veritatem ex ore Christi, quasi territus aut cruciatus aliquid locuturus fuerit, quod adhuc nolisset; vel aperte dicturus, quod simulasset. Hic sensus satis græco *ἐπινομή* respondet, non æque latino *respectus*. *Secundus* est Vatabli, qui vertit, *tractabitur autem secundum dicta sua*, q. d. Quia blasphemavit dicendo Deum suum esse patrem, seque ejus esse filium, condignas hujus blasphemæ pœnas luet in cruce; et Hugo: « Erit, inquit, noster respectus, id est defensio et excusatio, ut si rogemur cur eum occiderimus, respondeamus: »

respec-
tus tri-
plex sen-
sus. pi-
mus.

das.
S. c. 11

Tertius. Quia filium Dei se fecit. » Tertius et magis genuinus est, ut sit ironia, q. d. Deus respiciet eum et liberabit a cruce, vel suscitabit a morte : hoc enim ipse crebris sermonibus jactavit; unde Guarinus vertit, *ejus enim ratio juxta ipsius sermones habebitur*; hinc et scribæ obsignerunt sepulcrum Christi, eique custodes apposuerunt, ne quis corpus furaretur, fingeretque eum resurrexisse : quæ omnia ipsosmet Judæos condemnauerunt, et Christum verum esse Messiam ac Dei filium demonstraverunt, dum ipse per clausum sepulcrum, præsentibus custodibus, resurrexit, *Matth.* cap. *xxvii*, vers. 4. Aliter noster a Castro, q. d. Visitabitur et explorabitur a nobis per crucem et tormenta, ut videamus, an patientia et constantia ipsius respondeat sermone : ipse enim prædicat amorem crucis, patientiæ, constantiæ, experiamur an ipse in cruce eandem opere præstet; multi enim prædicant jejunium bene pasti, continentiam adulteri, humilitatem superbi, mansuetudinem iracundi, crucem lauli et delicati : hoc est ore prædicare, sed opere contradicere.

Vers. 21. 21. HÆC COGITAVERUNT, ET ERRAVERUNT : EXCÆCAVIT ENIM ILLOS MALITIA EORUM. — S. Gaudentius, *serm.* 19, legit, *nequitia cordis eorum*; Lactantius, lib. IV, cap. *xvi*, *stultitia eorum*. Huc usque verba impiorum, quæ nunc Sapiens acri reprehensione castigat : « Erraverunt, » inquit, et a malitia sua excæcati sunt, malus enim affectus in voluntate trahit ad se rationem et judicium intellectus, illudque vitiat et corrumpit : facit enim ut ratio ob speciem boni delectabilis apparentem, judicet id esse eligendum velut melius, quod detestandum esse velut pejus. Porro, error hic et cæcitas impiorum multiplex est : *primus*, quod voluptatem rationi, vitium veritati, bona caduca æternis præferant. *Secundus*, quod per hæc mortem et gehennam sibi accersant. *Tertius*, quod credant hominem instar bestiæ in morte plane interire, nec superesse aliam vitam, eo quod anima hominum sit mortalis, et pereat cum corpore. *Quartus*, quod justum, puta Christum, quem ex vitæ sanctitate, prophetiis et miraculis esse filium Dei agnoscere poterant et debebant, velut castigatorem suorum scelerum oderint et crucifixerint. Ili sero in gehenna agnoscunt suum errorem; unde dicunt cap. *v*, vers. 6 : « Ergo erravimus a via veritatis. »

Hinc patet *primo*, cæcitatem hanc esse gravem, non tantum pœnam, sed et culpam, utpote ex voluntaria malitia promanantem, uti docet D. Thomas, II II, *Quæst.* XV, art. 4. *Secundo*, peccatorem proprie et directe seipsum excæcare et obdurare; Deum vero improprie et indirecte, Deus enim, quantum est ex se, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sed peccatores hoc lumen recipere nolunt, illique oculos claudunt, eosque aperiunt suis voluptatibus et cupidinibus, quare seipsos vero lumine privant et excæcant : sicut sol radios spargit ubique, sed

qui illi fenestram ocludit, causa est tenebrarum in domo, non autem ipse sol : ita D. Thomas, I II, *Quæst.* LXXIX, art. 3. Hoc est quod Judæis improprie Christus, *Joan.* III, 19 : « Lux, ait, venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem : erant enim eorum mala opera. » Vide dicta *Exod.* VII, 3, ubi fuse egi de causa excæcationis et obdurationis.

22. ET NESCIERUNT SACRAMENTA DEI, NEQUE MERCEDEM SPERAVERUNT JUSTITIÆ, NEC JUDICAVERUNT HONOREM ANIMARUM SANCTARUM. — Ecce hic est impiorum error et cæcitas, isque duplex, *primus*, quod « nescierunt sacramenta Dei; » *secundus*, qui ex primo consequitur, est, quod « non speraverunt mercedem justitiæ, » nec honorem « animarum sanctarum : » primum hoc loco prosequitur, secundum capite sequenti. *Primo* igitur, *sacramenta*, vel, ut græce est, *mysteria Dei*, hoc loco sunt, quæ subjicit, scilicet quod Deus creavit hominem immortalem et ad similitudinem suam; sed homo invidia diaboli deceptus per peccatum illi adhæserit, seque fecerit mortalem et miserum; quodque justos, quos Deus sinit occidi vexarique ab impiis, præmet æterna gloria, ut dicet capite sequenti. In cruce ergo latet gloria, et in morte immortalitas; unde Apostolus, *Galat.* VI, 14 : « Mihi, ait, absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, » quia in ea « est salus, vita et resurrectio nostra, » ut canit Ecclesia; sed hæc crucis sacramenta ignorant impii, ideoque crucem et Christum crucifixum aspernantur. *Secundo*, alii per *sacramenta* accipiunt res quaslibet sanctiones; alii, prophetias et oracula Dei; alii, sacrificia, q. d. Impii nesciunt justos a se occisos, esse Dei sacramenta, id est sacrificia et holocausta; alii aptius accipiunt consilia, judicia et opera Dei, quibus mundum gubernat, ac præsertim, quibus hominem creavit, ac lapsum per Christi incarnationem et passionem redimere decrevit : hoc enim operum Dei est summum et maximum : ita Cantacuzenus. De Christi enim nativitate et passione sermo longus præcessit, ac rursus sequitur cap. XVIII, vers. 14 : magna enim mysteria in passione et cruce Christi sunt recondita, ut Christi resurrectio et exaltatio, Ecclesiæ institutio et sanctificatio, fidelium consolatio, virtus, gratia, gloria, felicitas et omne bonum, quæ ignoraverunt impii Judæi.

Mystice, per *sacramenta* accipias sacramenta legis novæ, instituta a Christo, præsertim Eucharistiam, cujus typus fuit manna, uti patebit cap. XVI, vers. 20 : Eucharistia enim antonomastice vocatur *venerabile sacramentum*, imo *sacramenta*, quia multa eaque mira Dei arcana continet, unde a Patribus vocatur *sacramentum, mysterium, typus, antitypa* : quia sub speciebus panis et vini velat et continet reale corpus, animam, sanguinem, deitatem et personam Christi, adeoque ipsa est viva representatio, imo exhibitio incarnationis et passionis Christi, de qua hucusque actum est : si-

Vers. 2
Error
impio-
rum du-
plex.

Sacra-
menti
Dei,
quid?

Impio-
rum ex-
citas
multi-
plex.

Hujus
cæcitas
gravitas
et excæ-
tata.

Eucha-
ristia
myste-
rium
myster-
iorum.

cut enim cætera sacramenta gratiam, quam significant, puta ablutionem a peccatis, reipsa exhibent et conferunt, sic et Eucharistia Christi corpus, quod significat, reipsa exhibet; sed hæretici nesciunt et non intelligunt hæc sacramenta Dei, qui volunt ea duntaxat esse nuda symbola panis, quæ non contineant, sed tantum repræsentent corpus Christi; sed sic longe melius imago pictoris repræsentat Christum, quam aridus modicusque panis et vinum. Et quod, quæso, ibi esset mysterium profundum, divinum et inexplicabile, quod adeo celebrant Patres? repræsentare enim unum per aliud Deo, imo homini, est facillimum: quare vere Ecclesia et Patres censent hoc sacramentum esse symbolum rei, puta carnis Christi olim crucifixæ, sed præsentis, non absentis et existentis in cælo: hoc enim est mirabile, ineffabile, Deoque dignum opus et sacramentum.

Testimonia SS. Patrum.

Audi Tertullianum, lib. IV *Contra Marcionem*. sub finem: « Acceptum panem corpus suum illum fecit: *Hoc est corpus meum*, dicendo, id est figura corporis mei: figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus; » quem locum explicui *Jerem.* cap. XI, 19. Et Theodoretus, *Diagol.* 3, qui inscribitur ἄσβεστος, id est *Impassibilis*: « Quod si caro in deitatis naturam, inquit, mutata est, quod hæretici (eutychiani) dixere, quamobrem participant antitypa corporis? supervacaneus est enim typus veritate negata: » pari modo supervacaneus est typus, imo falsus, veritate realis præsentis corporis Christi negata. Et Hilarius papa, *De Consecr.* dist. 2: « Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis et vinum videtur; veritas autem, dum corpus et sanguis Christi in veritate interior creditur. » S. Chrysostomus, hom. 83 in *Matth.* hoc sacramentum explicans: « Nos secum, ait, in unam, ut ita dicam, massam reducit, neque id fide solum, sed reipsa nos corpus suum efficit; » et S. Cyrillus in illud, *ego sum vitis*: « Salvator ait, *Joan.* VI, 57: *Qui manducat carnem meam, in me manet, et ego in illo*; unde considerandum est, non habitu dine solum, quod per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam participatione ejus naturali. » S. Ambrosius, lib. *De Myster.* et citatur *De Consecr.* dist. 2: « In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi, non ergo corporalis esca, sed spiritualis; unde et Apostolus de ejus typo ait *I Cor.* X, 13: *Quia patres nostri eandem escam spiritalem manducaverunt*: corpus enim Dei est corpus spirituale: corpus Christi corpus divini spiritus est. » S. Epiphanius, *Contra Melchisedech.* « Melchisedech, ait, proposuit panes et mysteriorum ænigmata, præfigurans et exemplaria: » nam, ut ait S. Hieronymus ad *Marcel.*; « dum panem et vinum obtulit, mysterium christianum in Salvatoris corpore et sanguine dedicavit: » idem in *Matth.* XXVI: « Post typicum Pascha ad verum Paschæ

transgreditur sacramentum, ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei sacerdos, panem et vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis et sanguinis repræsentaret. » Et S. Macharius, hom. 27, ait: « Quod in Ecclesia operatur panis et vinum, antitypus (id est representans præsentem, non absentem) carnis et sanguinis Domini, et quod qui participant eum, qui apparet, panem, spiritualiter carnem Domini edant. » Eucharistia ergo est mysterium mysteriorum, quia Christum, quem sensibiliter specie panis, ceu cibum animæ repræsentat, spiritualiter, id est insensibiliter, quasi angelum sub specie panis latentem, exhibet vere, realiter et substantialiter.

NEQUE MERCEDEM SPERAVERUNT JUSTITIE (græce ἐσθλα, id est sanctitatis: justitia enim est complexio omnium virtutum, ipsaque sanctitas) NEC JUDICAVERUNT HONOREM ANIMARUM SANCTARUM, — græce ἀνίστατον, id est irreprehensibilium: sanctæ enim animæ sunt, quæ in nullo reprehendi possunt: pro honorem græce est τιμή, id est decus, dignitas, præmium, honor, munus, donum, remuneratio. Sensus est, *q. d.* Impii non secum reputarunt, æstimarunt, uti par erat, quanti honores, quæ coronæ, quæ dignitates, quanta præmia a Deo præparata sint animabus sanctis, quæ in hac vita ipsi servierunt in continentia, puritate, patientia, persecutione, ac proinde ipsarum sortem miseram et infelicem judicantes, tradiderunt se voluptatibus et libidibus, adeoque ipsas persecuti sunt, bonisque et vita spoliarunt; sed sero experientur agnoscentque suum errorem, quando animæ sanctæ assidentes Christo in judicio, illorum judices erunt, illosque condemnabunt ad æternæ gehennæ supplicia, uti explicabit cap. III, IV et V. Aliter explicat Angelus de Paz, *Expos. in Symb.* cap. XXIII, scilicet, ut per honorem animarum sanctarum intelligantur sancti omnes, quos impii in Christo a se judicato et damnato tacite judicarunt et damnarunt.

Honori animarum sanctarum, quid!

23. QUONIAM DEUS CREAVIT HOMINEM INEXTERMINABILEM. — Græce ἐν ἀφθαρσία, id est in incorruptione, id est in incorruptionem, immortalem, inexterminabilem, qui scilicet mori et e vita exterminari non posset, quamdiu in Dei obedientia et gratia persisteret; Syrus, sine corruptione, id est incorruptibilem; sic et Arabicus; Complutenses vertunt, in integritate, id est integrum quoad corpus et animam; vel potius ad integritatem, hoc est, ad immortalitatem, et ad statum nunquam interiturum. Verti quoque potest, *Deus creavit hominem incorruptioni, vel immortalitati, vel ad immortalitatem*, si videlicet vellet Deo obedire; unde S. Athanasius, tract. *De Incarn. Verbi* legit, *Deus hominem condidit ad immortalitatem et imaginem æternitatis suæ; verum invidia diaboli factum est ut mors intraret.*

Vers. 1:

Post longam de justis Christique persecutione

digressionem, redit ad id quod dixit cap. I, vers. 13 : « Quoniam Deus mortem non fecit, etc. non est in illis medicamentum exterminii : impii autem manibus et verbis accersierunt illam, » scilicet mortem : id ipsum deinde longa digressionem explicuit, ostendendo quod impii nimia cupiditate voluptatis illecti sævierunt in justos, præsertim Christum : hæc enim ratione accersierunt sibi mortem præsentem et æternam ; eo ergo hic redit. Rursum significat animas non interire cum corpore, quasi illis post hanc vitam nulla restet pro meritis pœna, vel gloria, uti volunt impii et athei, eo quod Deus creavit hominem immortalem, hoc sensu, ut mori non posset, si in sua rectitudine perstaret ; quod ergo nunc moriatur, id non ex Deo, sed ex invidia diaboli processit.

Homo i-
nato di-
vine na-
ture.

ET AD IMAGINEM SIMILITUDINIS SUE FECIT ILLUM. — Legit *ἰσότητες*, id est *similitudinis*, pro quo Cantacuzenus et Clemens Alexandrinus, VI *Strom.*, legunt, *ιδιότητες*, id est *proprietas*, q. d. Homo est imago divinæ naturæ, quæ Deo est propria ; vel homo est imago divinarum proprietatum, attributorum et dotum, quæ Deo sunt propriæ ; unde Guarinus vertit, et *imaginem propriæ similitudinis fecit illum* ; Vatablus, et eum ad *imaginem propriam fabricavit* ; alii legunt *ἰσότητες*, id est *æqualitatis* ; alii, *ἀιδιότητες*, id est *æternitatis*, q. d. Homo factus ad exemplar Dei immortalis et æterni, pariter immortalis est et æternus ; unde Nicetas in *Orat.* 42 *Nazianz.* legit, et *imaginem æternitatis sue fecit illum* : sic quoque legit S. Epiphanius et S. Athanasius, lib. *De Incarn. Verbi*. Distinguunt nonnulli *imaginem a similitudine*, quod imago sit naturæ, similitudo gratiæ et sanctitatis, ut homo sit ad *imaginem Dei*, quia pollet naturali intellectu, voluntate et libertate, sicut pollet Deus ; idem sit ad *similitudinem Dei*, quia conditus est in sapientia, gratia et sanctitate quæ sunt dotes propriæ Deo. Verum melius S. Augustinus in *Deuter.* Quæst. IV, et alii censent *similitudinem esse eandem cum imagine*, sed illi addidere auxesin, q. d. Deus creavit hominem ad *imaginem similitudinis suæ*, id est ad *imaginem sibi valde similem*. Hæc imago inchoate sita est in natura, sed plene perficitur in gratia : in *natura*, quia anima rationalis in usu rationis, voluntatis, liberi arbitrii, item in incorruptione et immortalitate, similis est naturæ divinæ ; in *gratia*, quia Adam conditus in gratia et iustitia originali, representabat Dei iustitiam atque sanctitatem. Igitur imago Dei in homine invenitur, primo, in ratione et intellectu ; deinde in arbitrii libertate, quæ ex ratione velut radice manat, propter quæ duo homo capax est omnis dominii : ita passim Patres, qui proinde contra Origenem docent hanc Dei imaginem in homine etiam post peccatum mansisse et manere ; verum, quia hæc imago primitus a Deo exornata fuit, et simillima facta Deo per gratiam, sapientiam, iustitiam et alias virtutes, quæ peccato deperditæ sunt, hinc subinde

S. Augustinus, S. Basilius et S. Cyrillus dicunt imaginem hanc, aut potius similitudinem Dei in homine per peccatum periisse ; imaginem non quamvis, sed apprime planeque similem intelligentes : vide dicta *Genes.* I, 26, et cap. V, 1.

24. INVIDIA AUTEM DIABOLI (Luciferi, qui tentavit Evam et Adamum) MORS INTROIIT IN ORBEM TERRARUM. — Hic assignatur causa peccati, et mortis ex eo consequentis, scilicet invidia diaboli : quia enim cælo et beata immortalitate diabolus ob superbiam depulsus, vidit sibi suisque in cælo thronis a Deo surrogari hominem, illi æque ac Deo hanc gloriam invidit, ideoque illum ad comestionem pomi veliti tentando induxit, et in mortem, tum corporis, tum animæ præcipitavit : ita S. Ambrosius, lib. *De Parad.* cap. XII, et alii. Igitur invidia diaboli fuit, quod ipse lapsus in peccatum et mortem gehennæ, ideoque homini ; ad lapsum locumque suum reparandum creato, invidens gratiam, vitam et gloriam, eum ad peccatum, indeque ad mortem sollicitavit et impulit. Invidia ergo diaboli facta est malitia hominum ; unde S. Ambrosius, lib. *De Fide resurr.* legit, *malitia hominum mors introiit in orbem terrarum* ; additque : « Etsi bene discutias, non naturæ mors ista est, sed malitiæ : manet enim natura, malitia moritur. Resurgit quod fuit, atque utinam, ut jam peccandi liberum, ita vacuum culpæ prioris, etc. Resurget enim natura eadem jam stipendiis mortis honoratior : » mors enim et miseræ hujus vitæ patienter a Sanctis toleratæ, merentur beatam immortalitatem et vitam gloriæ sempiternæ.

Vers. 24

Invidia
diaboli
causa
peccati e
mortis.

Hinc Patres invidiam vocant *peccatum diabolum*, ut S. Augustinus, *epist.* 28, S. Gregorius, *XXXI Moral.* cap. XXXIV, Cassianus, *Collat.* XVIII, cap. XVII, et alii. Porro Patres nonnulli censent primum Luciferi peccatum fuisse invidiam, qua invidit homini imaginem Dei : ita S. Cyprianus, *tract. De Zelo et livore* ; S. Basilius, *hom.* 11 *De Invidia* ; Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. V ; Irenæus, lib. IV, cap. LXXVII. Verum melius alii censent primum Luciferi peccatum fuisse superbiam, qua sibi nimis complacens, voluit plus esse quam erat, ac quasi quidam deus cæteris creaturis eminere et dominari, ex qua secuta est invidia : nisi dicas superbiam Luciferi in eo constitisse, quod humanitati Christi unionem hypostaticam cum Verbo inviderit, eamque sibi appetierit : aliam enim nullam proprie dictam æqualitatem Dei appetere potuit : ita S. Bernardus, *serm.* 17 in *Cant.* ; Rupertus, lib. VIII in *Joan.* ad illa : *Ille homicida erat ab initio* ; Alexander Alensis, III part., *Quæst.* II, num. 13 ; idemque censent hoc tempore nonnulli doctores scholastici, ut Catharinus, Viguierius, Naclantus, Ruardus, Dionysius Molina, Martinengus et alii quos citat Gabriel Vasquez, I part. *Question.* LXIII, dist. 233, cap. I, et Franciscus Suarez, lib. VII *De angelis*, cap. XIII, ubi hanc sententiam valde pro-

An pri-
mum dia-
boli pec-
catum
invidia ?

babilem asserit, multisque confirmat. Denique Cæsarius Arelatensis, hom. 23, asserit « tot dæmonibus esse occupatum hominem, quot vitiiis. Qui superbus est, inquit, diabolo plenus est; quod autem, qui invidus est, sine dæmone esse non potest, dicit Scriptura, *Sapient. II, 24*: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* » S. Chrysostomus vero, hom. 22 et 47 in *Genes.*, invidiam dicit « diaboli inventum, pestem perniciosissimam, vitiorum terribilissimam, malam bestiam super omnia vastantem salutem nostram. »

Epitheta
et damna
invidia.

Unde sapienter concludit S. Basilius, hom. *De Invidia*: « Fugiamus ergo, fratres, intolerabile malum; serpentis est præceptum, diaboli inventum, inimici satio, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni cælorum privatio: nam et ipso fatentur ore hoc vitium invidi; aspectus illis est aridus et obscurus, gena subtristis, etc., anima ipso morbo suffusa, providentiam in dignoscenda veritate, ac rebus gerendis minime habens. » Et S. Chrysostomus, homil. 45 ad *Popul.*: « Hujus, quæso, vitii pestem fugiamus, omnium enim vitiorum hoc est perniciosissimum, et ipsam salutem nostram super omnia vastat: improbi namque diaboli est inventum; et propterea Sapiens dicebat, *Sapient. II, 24*: *Invidia diaboli introivit mors in orbem terrarum.* » Et Nyssenus supra: « Invidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix, » etc. Et Cyprianus, lib. *De Zelo*: « Quale malum est, fratres, quo angelus cecidit, quo circumveniri et subverti alta illa et præclara sublimitas potuit, quo deceptus est is qui decipit? » Denique S. Augustinus, serm. 83 *De Tempore*: « Et ideo, inquit, observemus, fratres, vitii hujus incursum, ne forte participes operis diaboli inveniamur, et pari cum illo sententia condemnemur, sicut scriptum est, *Sapient. II, 24 et 25*: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitantur autem eum qui sunt ex parte ejus.* Quod malum lædit parum aliquid etiam eos, in quos intenditur; gravius tamen et perniciosius eos prius a quibus procedit, affligit: sicut enim ærugo ferrum, ita invidia illam ipsam animam, in qua est, interimit et consumit; et sicut aiunt viperas dilacerato et disrupto illo materno utero, in quo conceptæ sunt, nasci: ita et invidiæ natura illam ipsam animam, a qua concepta est, et consumit, et perdit. Qualis hæc animæ tinea est? quæ cogitationum tabes pectoris? quanta rubigo zelare in homine donum Dei, et in malo opprobrio bona aliena convertere, aliorum gloriam facere pœnam suam, velut quosdam pectori suo admoveere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent? »

Verb. 23. 25. IMITANTUR AUTEM ILLUM QUI SUNT EX PARTE ILLIUS,—q. d. Primo impii imitantur diabolum, quasi suum parentem, ut mortem, quam ipse sua in-

vidia in orbem invexit, in se aliosque peccando et invidendo propagent, dum ejus pravis suggestionibus consentiunt, uti consentit Adamus; moriuntur ergo, quia diaboli, qui auctor est mortis, instinctus sequuntur. Justi vero, quia Deum Deique inspirationes sectantur, ab eo donantur vita et felicitate æterna; unde sequitur: « Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. » Pro *imitantur* græce est *μιμνήσκω*, id est *tentant*: qui enim imitatur, tentat et experitur eam rem, quam vult imitari, ait Jansenius.

Hinc secundo, valde opposite sic cum S. Basilio, hom. *De Invidia*, S. Augustino, lib. IV *De Baptism. contra donat.*, cap. VIII, et Christophoro a Castro exponas: Tentant illum, vel imitantur, aut conantur imitari illum, qui sunt a parte ejus; hoc est, diabolus invidia motus mortem invexit in mundum, et protoparentes nostros interemit, et omnes quotquot ejus sequuntur factionem, conantur illum imitari occidendo filios Dei, sicut ille occidit Adamum Deo filium charissimum; sed frustra id tentabunt aut conabuntur, quia « justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. » Placuit hic sensus Patribus: Tertulliano, lib. *De Bono pacis*, cap. V: « Quod enim, inquit, ipsum Adam et Evam morti immererat, docuit et filium ab homicidio incipere; » Cypriano in epist. *De Zelo et livore*, dum ait: « Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum, qui zelat, imitatur, sicut scriptum est, *Sapient. II, 25*: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur ergo illum qui sunt ex parte ejus.* Hinc denique novæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel justum Cain zelat injustus; et quod Esau fratri suo Jacob inimicus exstitit, zelus fuit; et quod Joseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de æmulatione descendit. Saul quoque rex ut David odisset, quid aliud, quam zeli stimulus provocavit? Et ne longum faciam singulos recensendo, Judæi nonne inde perierunt, dum Christo malunt invidere, quam credere? » Hoc est quod Judæis ait Christus, *Joan. VIII, 44*: « Vos ex patre diabolo estis: et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, » q. d. Sicut diabolus occidit Adamum, sic vos ejus filii me vultis occidere.

Alii græcum *μιμνήσκω* vertunt proprie, *experiantur*, quasi dicat. Impii experiantur mortem (*θάνατος*; enim, id est *mors*, græce est masculini generis) qui sunt ex parte et sorte ejus, scilicet diaboli, qui nimirum diaboli, a quo mors est introducta, superbiam, invidiam et scelera imitantur; et sic fere eodem redit sensus: ita Osorius, Jansenius, Vatablus. Unde apte finis capitis connectitur initio sequentis: sequitur enim per antithesin: « Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. »

Huc accedit Cantacuzenus : « Nemo namque magis, inquit, mortis malitiam participat, quam qui se prorsus dignum reddidit, qui esset in illius partibus. » Hic auctor, uti et alii, ex parte illius referunt ad mortem : eo enim ex Græco referri potest; melius tamen refertur ad diabolum.

Utrumque verum, impii enim, tam sunt partis sortisque diaboli, quam mortis : in regno enim mortis rex est et principatur diabolus; hinc S. Bonaventura explicat, q. d. « Imitantur diabolum, qui sunt ex parte mortis, » id est morti destinati, puta qui sunt mortis pars et pabulum.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Justorum quos impii persequuntur, præsertim martyrum, describitur felicitas et gloria, impiorum vero infelicitas, ac nominatim in generanda prole sterilitas, vel nequitia, quod scilicet uxores habeant insensatas et adulteras, ideoque filios adulterinos et nequissimos; cum contra pii casti castas probasque habeant conjuges ac proles.

1. Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. 2. Visi sunt oculis insipientium mori : et æstimata est afflictio exitus illorum : 3. et quod a nobis est iter, exterminium : illi autem sunt in pace. 4. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. 5. In paucis vexati, in multis bene disponentur : quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. 6. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. 7. Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. 8. Judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum. 9. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem : et fideles in dilectione acquiescent illi : quoniam donum et pax est electis ejus. 10. Impii autem secundum quæ cogitaverunt, correptionem habebunt : qui neglexerunt justum, et a Domino recesserunt. 11. Sapientiam enim, et disciplinam qui abjicit, infelix est : et vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum. 12. Mulieres eorum insensatæ sunt, et nequissimi filii eorum. 13. Maledicta creatura eorum, quoniam felix est sterilis : et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum : 14. et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima : dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima. 15. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, et quæ non concidat radix sapientiæ. 16. Filii autem adulterorum in consummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur. 17. Etsi quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum. 18. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem. 19. Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.

Vers. 1. 1. JUSTORUM ANIMÆ (Arabicus, animæ beatæ) IN MANU DEI SUNT, ET (id est idcirco) NON TANGET ILLOS (Sytus, non appropinquat eis, vel non accedit ad eos) TORMENTUM MORTIS. — Nexus hujus capituli cum præcedenti est facilis et obvius : ibi enim descripsit acerba odia, quibus impii persequuntur justos usque ad necem et mortem etiam turpissimam; ne quis ergo impios, velut rerum dominos, felices; justos vero, utpote ab eis oppressos, infelices existimet, idcirco hic contrarium ostendit, ex eo quod justorum animæ post mor-

tem transeant ad vitam beatam, ubi degunt in domo, imo in manu Dei, cum ex adverso impiorum animæ post mortem primam corporis transeant ad secundam gehennæ, eamque æternam, ubi sunt in domo, imo in manu diaboli. Per justos hic quoslibet, sed maxime pro justitia patientes, puta martyres, intellige; unde Ecclesiæ hæc legens in Officio Ecclesiastico applicat martyribus. Sensus ergo est, q. d. Mors, a martyribus obita pro Christo, non eos affligit, sed delectat. Non dolent in exitu, nec horrent in transitu, nec

pudescunt in conspectu et iudicio Domini, quod est mortis triplex tormentum impiorum. Ex hoc loco probat S. Epiphanius, lib. II *Contra hæreses*, cap. xxxvi, animam hominis esse immortalem, æque ac resurrectionem corporum: anima enim in morte non interit, sed superest, vivit degitque in manu Dei, ut illam in fine mundi corpori rursus uniat, resuscitet et beet. Rursum Theophylactus, in *Matth.* cap. viii: Anima, inquit, e corpore egressa, in mundo non errat, neque vagatur, uti gentiles putavere: « Justorum enim animæ in manu Dei sunt; » peccatorum vero animæ et ipsæ hinc abducuntur in gehennam, ut anima divitis epulonis. Sumpsit hoc more suo Theophylactus ex S. Chrysostomo, hom. 29 in *Matth.*

IN MANU DEI SUNT. — S. Augustinus, in *Psalm.* cxviii, ait plures legere, in *manibus tuis*, scilicet, o Deus. In *manu*, id est in peculiari cura, providentia, tutela, protectione, conservatione, corroboratione, directione, remuneratione, beatificatione et glorificatione *Dei sunt*, q. d. Deus justorum martyrumque animas in hac vita, et in ipsis tormentis protegit, conservat, corroborat, ut illa superent, fidemque Deo datam servant, ac multo magis post mortem easdem æterna gloria donat et coronat. Hoc posterius magis huic loco est proprium et genuinum.

Justus
portatur
manu
Dei.
Primo.
Secundo.
Tertio.
Quarto.
Quinto.

Moraliter portatur justus manu Dei, primo, sicut puer manu matris vel nutricis, juxta illud, *Ose.* xi, 3: « Ego ego quasi nutritus Ephraim, portabam eos in brachiis meis, et nescierunt quod curarem eos. » Secundo, sicut charta est in manu scriptoris, ut in ea scribat et pingat quidquid velit, juxta illud, *Isai.* xlii, 16: « Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper: » sic Christus crucifixus in manibus suis inscripsit dilectos suos, non calamis, sed clavis, non atramento, sed sanguine, ut amorem suum eximium in eos testaretur, utque eos in gratia confirmaret et solidaret, juxta illud, *Joan.* x, 28: « Ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum: et non rapiet eas (oves meas) quisquam de manu mea. » Unde sicut Spiritus Sanctus dicitur *digitus Dei Patris*, *Luc.* xi, 20: sic consequenter Filius dicendus est *manus Dei Patris*, quia mediat inter Patrem et Spiritum Sanctum, sicut manus media est inter brachium et digitum. Tertio, sicut annulus est in manu regis: æque enim pretiosa est anima justii in manu et oculis Dei: vide *Jeremiam*, cap. xxii, vers. 24; *Ecclesiasticum*, cap. xlii, vers. 13; *Aggæum*, cap. ii, 24, et quæ illis locis annotavi. Unde *Isaias*, cap. lxii, vers. 3: « Eris, ait, corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. » Quarto, sicut æger vel debilis est in manu confortantis, juxta illud, *Ezech.* iii, 14: « Spiritus quoque levavit me, et assumpsit me: et abii amarus in indignatione spiritus mei: manus enim Domini erat mecum, confortans me. » Quinto, sicut lilia, rosæ et flores

sunt in manu odorantis: sic etiam animæ sanctæ fragrantem odorem exhalant in nares Dei, Deoque placent in odorem suavitatis: « Christi enim bonus odor sumus Deo, » II *Corinth.* ii, 15. *Sexto*, *Sexto*, justorum animæ in manu Dei sunt, sicut materia, vel instrumentum est in manu artificis, ut eas tusionibus, pressuris, patientia, omnique virtute et gratia expoliat; et sicut gladius est in manu militis ad occidendum hostem; unde S. Chrysostomus, hom. in hæc Sapientis verba: *Justorum animæ*, etc., quæ exstat in fine tom. I: « In tua pugna, inquit, Dominus congregitur, Dominus dimicat, Dominus præliatur, et victoria tibi adscribitur. Certamen tuum Dei certamen est, prælium tuum Christi est prælium. Quid trepidas, quid formidas, quasi tua virtute devincas? Prehende arma, procede in bellum, fortiter dimica, ut dimicanti adsit ille qui vinci non novit. » Et post nonnulla: « Alios enim post unum certamen ad alias victorias Dominus servat, alios consummato martyrio jam coronat, alios victores retinet in exemplum, alios jam perfectos transmittit ad cælum, alios frequenter desiderat videre certantes, alios passione jam meritos imponit regnis celestibus triumphantes, ut imperatoris Christi ab omnibus dignatio collaudetur, qui in suis et semel et frequenter hostem devincit, et quem quomodo pugnare viderit, munerabit; tantum contra hostem excitetur animus, exeratur virtus et devotio præparetur, ut procedens miles ad bellum, vel primo prælio coronetur, vel frequentibus trophæis palmarum numero honoretur. » Septimo, justorum animæ sunt in manu Dei, quæ scilicet eis coronas imponit, ac lucem, vitam et gloriam aspirat; unde Theodorus patriarcha Alexandria in Concilio Nicæno II, act. iii: « Sancti, ait, sunt promptuaria Dei, et pura Christi habitacula, Spiritusque Sancti immaculata specula; quin etiam animæ eorum in manu Dei sunt, ut scriptum est *Sapient.* cap. iii, 1: Deus enim est vita existens; cum ergo sancti in manu Dei sint, in vita et lumine necessarium est ut existant. » Et Damascenus, lib. IV *De Fid.* cap. xvi: « Quod justorum animæ in manu Dei sint, et non tangat illos mors, dicit divina Scriptura, *Sapient.* iii, 1: nam mors sanctorum dormitio magis est quam mors; laboraverunt etiam in præsentis sæculo, et vivunt in æternum. *Psalm.* cxv, 15: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*; at quid pretiosius, quam in manu Dei esse? vita enim est Deus et lux: qui in manu Dei sunt, in vita et luce existunt. »

Animæ ergo justæ, ait Damascenus; in manu Dei sunt, « dulci somno, mente vigilante dormientes, » sicut puer secure dormit in sinu matris, juxta illud, *Isai.* li, 16: « In umbra manus meæ protexi te; » et *Deuter.* xxxiii, 3: « Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt. » Præclare S. Ambrosius in *Psalm.* cxviii, octon. 3, expendens illud *Thren.* iv, 20: *In umbra tua vi-*

venus : « Christus, inquit, vita est, et qui in umbra Christi vivit, in umbra vitæ est. Nobis expandit manus suas Jesus, ut totum mundum obumbraret; quomodo non sumus in umbra, qui crucis ejus protegimur velamento? quomodo non sumus in umbra, quos crucifixus a malignitate sæculi et corporis ardore defendit? » Sancti ergo in periculis, in tormentis, in morte et martyriis non pavent, sed hilarescunt, ac velut leones impavidi dicunt cum Psalte, *Psalm. xxvi, 1* : « Dominus illuminatio mea, et salus mea (ex Hebræo veritas, *Dominus lux mea*, puta sol meus, et *Jesus meus*) quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? »

Tormentum mortis, quid?

ET NON TANGET ILLOS TORMENTUM MORTIS. — Pro mortis aliqui legunt *malitia* : neutra vox est in Græco, qui sic habet, *et non attinget eos cruciatus* : sic et Syrus et Arabicus; Noster ergo voci *tormentum* adjecit *mortis*, quia tormenta ducunt ad mortem, et martyres occidunt : alludit enim ad illam impiorum vocem, cap. II, vers. 19 : « Contumelia et tormento interrogemus eum; » hoc est, ut mox explicant, « morte turpissima condemnemus eum : » summum enim tormentum est mors ignominiosa. Sensus est, *q. d.* Quia justorum animæ in potenti Dei manu et tutela sunt, hinc etiamsi ab impiis affligantur et torqueantur, tamen tormenta hæc vel non sentiunt, uti multi martyres non sentire suos cruciatus et dolores; vel certe ea forti excelsoque animo superant et transcendunt, ut in iis gaudeant et exsultent, nec dolores, sed favores Dei æstiment. In ipsa vero morte non sentiunt ejus agoniam et tormentum, quia jam anima eorum a corpore per desiderium, quo ad cælum Deumque anhelant, quasi est separata, ut cupiant optentque dissolvi, et esse cum Christo : multo minus tangit illos tormentum mortis secundæ in gehenna. Abest ergo a justo angor moriendi, periculosus cum diabolo conflictus, æterna damnatio, neque confunditur, cum loquitur inimicis in porta, ait S. Hieronymus, *epist. 34*. Rursum, *tormentum mortis* est, quo impii torquent justos adiguntque ad mortem, quasi ad plenum interitum summumque malum : censeant enim animam interire cum corpore, *q. d.* Torquebimus justos, tum tormentis vitæ, tum tormento mortis, ut in morte doleant, quod vitam exegerint in doloribus, pœnis et pœnitentiis, simulque, quod in morte omnis eorum vita, spes et voluptas finienda sint, sine ulla ulterius vitæ spe vel mercede : quod sane, si verum esset, esset ingens tormentum, adeoque tormentum mortis : nam « si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus, » ait Apostolus II *Corinth. xv, 19*. Verum hoc tormentum non tangit justos, quia credunt certoque sperant alteram vitam et gloriam æternam : quare potiori jure dicunt id quod Anaxarchus Nicocreoniti Cyprii tyranno dixit, cum ejus jussu in pila tunderetur : « Tunde, tunde Anaxar-

chi sollem, Anaxarchum (animam) enim non tundis, » uti refert Cicero, *Tuscul. II*. Unde explicans subdit : « Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. »

Tormentum ergo mortis quinque significat, primo, tormenta acris et mortifera, vel æqualia agoniam mortis, qualia tyranni intulere justis; sed hæc eos non tetigerunt in actu perfecto, hoc est, non eos penetrarunt, non cruciarunt; sed potius hilares, fortes et gloriosos effecerunt. Sic Christus resurgens ait Magdalene, *Joan. xx, 17* : « Noli me tangere, » id est noli hic desiderare me tangendo; sed vade, nuntia apostolis mœstis me resurrexisse. Secundo, ipsam agoniam mortis, quando anima separatur a corpore : hæc enim ingens est tormentum impiis, non vero justis ob spem et transitum ad meliorem vitam. Tertio, ipsam animæ mortem et interitum, quam justo se inferre censent impii, sed errant. Quarto, tormentum gehennæ, quæ est mors secunda et æterna. Quinto, tormentum male conscientie, quod dicitur mortis, quia acerrimum, et quia in morte ob instans judicium et gehennam maxime moribundum torquet et torquebit in æternum.

Tormentum mortis quinque significat.

Audi S. Bernardum, lib. V *De Consid.* : « Hic est, ait, vermis, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel injectus, vel potius innatus per peccatum, hæsit firmiter, nequaquam deinceps avellendus. Nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus, esca utique inconsumptibili perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, et mortem minacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, et vitæ morientis. Hæc est secunda mors, quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit. Quis det illis semel mori, ut non moriantur in æternum? Qui dicunt montibus, *Luc. xxiii, 30* : Cade super nos, et collibus, operite nos, quid nisi mortem mortis beneficio aut finire, aut evadere volunt? Denique : *Invocabunt mortem*, ait *Apocal. ix, 6*, *et non veniet.* » Præclare idem Bernardus, *serm. 41*, inter parvos : « Mors, ait, peccatorum pessima, mala in amissione mundi, quia non possunt sine dolore separari ab eo quem diligunt. Pejor in dissolutione carnis, a qua evelluntur eorum animæ a spiritibus malignis. Pessima in tormentis inferni, quando corpus et anima perpetuis simul addicuntur ignibus. E contrario bonorum mors optima, quoniam quidem fit ibi quies a labore, fit jucunditas de novitate, fit securitas de æternitate. » Idem alibi : « Est, ait, in morte malorum dolor in exitu, horror in transitu, pudor in Dei conspectu. Sed certe, inquit Holcot, ista non erunt in morte justorum, imo pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus; unde dicit quidam Sanctus : Mors nihil aliud est quam exitus animæ de carcere, finis exsili, laboris consummatio, ad portum applicatio, peregrinationis finitio, oneris gravissimi depositio, de equo furioso descensio, de domo ruinoso liberatio, omnium ægritudinum termina-

Gnomæ de morte impiorum et justorum.

tio, omnium periculorum evasio, omnium malorum consumptio, omnium vinculorum disruptio, debiti naturæ solutio, reditus in patriam, ingressus in gloriam. »

Vers. 2. 2. VISI SUNT OCVLIS INSIPIENTIVM MORI (interire, tam anima, quam corpore), ET ESTIMATA EST AFFLICTIO EXITUS ILLORVM. — Pro afflictio græce est *κλιμακία*, id est malitia, id est miseria, ærumna, afflictio; Syrus et Arabicus, *æstimata sunt illis* (impii) *damna vel læsiones*, q. d. Sicut miser fuit piorum ingressus in vitam, sic et miser fuit exitus: misere nati sunt, misere vixerunt, miseri mortui sunt. Tota ergo eorum vita non aliud fuit quam continua miseria, totum esse et existere eorum fuit miserum, ut non nisi ad miseras nati factique videantur: ita ratiocinantur insipientes, sed insipienter. Audi S. Bernardum, serm. 2 *De Petro et Paulo*: « Quantos, dum paterentur apostoli, credimus affuisse, qui nequaquam pretiosis mortibus illorum inviderent; visi sunt enim oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus eorum, et sic quidem visi sunt oculis insipientium mori. *Mihi autem*, ait Propheta, *Psalm. CXXXVIII, 17, nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum*. Fratres, amici Dei mori videntur oculis insipientium; sed in oculis sapientium judicantur potius obdormire. Denique et Lazarus dormiebat, quia amicus erat: et cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini, *Psalm. CXXVI, 2*. Studeamus, fratres, vivere vita justorum, sed morte eorum mori multo magis desideremus. »

Vers. 3. 3. ET AB ITINERE JUSTO ABIERUNT IN EXTERMINIVM (ita legunt passim codices; quin et Lucifer Calaritanus, *Apolog. pro S. Athanasio*, sed hæc delent Romana et Græca, ac Missalia antiqua, et codex manuscriptus Montis Amiati) ET QUOD A NOBIS EST ITER, EXTERMINIVM: ILLI AUTEM SUNT IN PACE: — ita lege cum Romanis et Græcis; perperam ergo in nonnullis legitur, *extermiini*, licet eodem redeat sensus, q. d. Exitus justorum ex hac vita, quod est quasi iter, quo justii exierunt a nobis, id est a societate hominum, *extermiini*, scilicet æstimatum est ab impiis, puta plenus interitus et exitium, quo plane exterminarentur et extinguerentur; cum tamen hic exitus justis sit ingressus in pacem, id est in requiem et vitam æternam: nam, ut ait S. Augustinus, *XIII De Civit. I*, tantam Deus præstitit gratiam fidei, ut mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum sit, per quod transitur ad vitam. Vide hic paradoxum: « Mors justis est principium et janua vitæ; » unde pro *iter* græce est *πρόβατα*, id est *profectio*, migratio, q. d. Mors non est aliud quam profectio ad vitam beatam; hinc Themistius apud Stobæum, *serm. 120*, *ἀναστροφή*, id est *mortem* dictam censet, quod hominem e vita migrantem *ἀνά* et *βίον*, id est *sursum ad Deum*, et ad divinam sedem transferat; et Cicero, *Tuscul. lib. I*: « A malis, inquit, mors

abducit, non a bonis, et mors non est interitus omnia tollens atque delens, sed quædam quasi migratio commutatioque vitæ, quæ in claris viris et feminis dux in cælum solet esse. » Hinc Syrus verlit, et tanquam contritus est exitus eorum a nobis; Guarinus, eorumque exitus ærumna est existimatus; Vatablus, calamitosus existimatur exitus eorum, et discessus eorum a nobis exitialis, cum illi fruuntur felicitate. Sensus ergo est, q. d. Justorum exitus ex hac vita tribulationibus et cruciatibus plenus, perinde ab insipientibus æstimatur malus et calamitosus, ac si ob admissum facinus e patria in exsilium inviti pellerentur. Sed revera est longe secus: nam a molestissimo exsilio in optatissimam patriam placidissime revocantur. Vere enim usurpare possunt illam Apostoli vocem, *II Corinth. VI, 9*: « Quasi morientes et ecce vivimus; » et luculenta illa S. Cypriani verba *De Mort.* « Ad immortalitatem morte transgredimur; nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit emigrare: non est exitus iste, sed transitus. »

Pro *extermiini* græce est *συντριβή*, id est *contritio*, *contractio*, ducta videlicet metaphora a vasis testaceis, quæ, ubi semel casu minutatim confringuntur, reparari deinde ac rursus refici nequeunt, juxta illud, *Jerem. XIX, 11*: « Sic conteram populum istum, et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari. » Sic justorum obitus mundanis, qui præsentia tantum norunt, æterna ignorant, apparet miserrima contritio, funestissimus exitus, et quasi prorsus irreparabilis interitus. Sed aberrant cæci quam longissime. « Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis, » *II Corinth. V, 1*; hinc in *Martyr. dies* mortis sanctorum vocatur *dies eorum natalis*, quo scilicet mortui vitæ huic, imo morti, renati sunt beatæ immortalitati, atque ex hac vita, tanquam ex utero obscuro, in vivorum regionem evolvant, ait Origenes, *lib. III in Job*. Quin et Brachmanes apud Strabonem, *lib. XV*, dixerunt mortem esse nativitatem ad veram felicemque vitam. Vide quam dispar, imo contrarium sit judicium sapientium, etiam gentilium et insipientium, sive impiorum, de vita et morte: nam Plato in *Gorgia* citat illud Euripidis: « Quis novit utrum vivere mori sit, mori autem vivere? » et Maximus Tyrius platonius, *serm. 25*, ait: « Hoc quod mortem homines vocant, id ipsum est immortalitatis initium, et futuræ vitæ procreatio; » et Nazianzenus, *orat. De Vit. hum.* « Haud scio, ait, an hæc vita nostra mors potius dicenda sit, et mors e contra vitæ nomine nuncupanda, tametsi aliter vulgo videantur. »

ILLI AUTEM SUNT IN PACE. — Hebræi *pacis* nomine omne bonum omnemque felicitatem significant; vita æterna ergo est pax, in qua pleno requies-

Mors justorum nativitas.

Gnom.

Mors justorum non est interitus, sed transitus.

Vita

tema
pax, cur? cuncti justi, liberi ab omni miseria, dolore, periculo, ac pleni omni felicitate, gaudio, securitate; unde dicunt jubilantque perenniter, *Psalm. IV, 9*: « In pace in idipsum, dormiam et requiescam; » sic *Isaias, cap. XXXII, vers. 17*, beatitudinem justorum describit per pacem et commoda pacis: « Et erit, ait, opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum; et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. »

Adde, ante Christum, quando scriptus est hic liber, necdum justis patuisse aditum in cælum ad videndum Deum; sed animas eorum descendisse in limbum patrum, puta in sinum Abrahæ, ibique quiete expectasse Christum, qui cælum reseraret. Hic ergo locus quietus recte vocatur *pax*, tum quia justis a bello quod in hac vita gesserunt cum concupiscentia, cumque impietate et impiis, transeunt ad pacem; tum quia mors omnibus hujus vitæ laboribus, miseriis, passionibus finem imponit, itaque homines constituit in quietâ tranquillitate; tum quia justos deducit ad sinum Abrahæ, in quo erat magna sanctorum patrum, pax, lætitia et gaudium, præsertim ob spem futuræ beatitudinis dandæ per Christum. Hinc nomen regni cælorum non invenitur in Veteri Testamento, ait S. Chrysostomus, homil. 4 in *Markum*; sed primus illud nominavit et prædicavit S. Joannes Baptista, dicens, *Matth. III, 2*: « Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum. » Aliis tamen nominibus idipsum priscis fuit agnatum: crediderunt enim et sperarunt ipsi resurrectionem mortuorum sanctam et beatam, ut patet *Job XIX, 25*; *Isai. XXVI, 19*; *Dan. XII, 2*; II *Mach. VII, 9*, et alibi.

VERS. 4. 4. ET SI CORAM HOMINIBUS TORMENTA PASSI SUNT (græcè *καταβόσ-ν*, id est *puniti*, animadversi, castigati, malis affecti sint), SPES ILLORUM IMMORTALITATE PLENA EST. — Vatablus, etenim dum cruciantur in conspectu hominum, spem alunt immortalitatis plenam: loquitur de justis qui tribulationes et persecutiones patiuntur, sed maxime de martyribus: hos enim in tormentis sustentat et roborat spes gloriæ, quæ postea mox vertitur in rem ipsam. Tormenta ergo martyres consecrant, et in ipsa passionis probatione sanctificant, ait S. Cyprianus, *De Exhort. Martyr. cap. XII*; qualia passi sunt Machabæi ab Antiocho, ac Judæi sub Ptolemæo Lagi, qui primus Alexandro Magno successit in regno Ægypti, ac vicinos Judæos oppressit, teste Josepho, sub cujus tempora hic liber scriptus videtur. Ad illorum ergo passiones et martyria hic alludit.

ESPE ILLORUM IMMORTALITATE PLENA EST. — Primo, spes accipi potest *metonymice* pro re sperata, puta pro mercede et præmio, *q. d.* Merces justorum afflictorum et martyrum, quam in hac vita sperarunt, et jam possident in cælo, est plenitudo immortalitatis, divitiæ non periturae, copia bonorum non deficientium, ait Joannes Alba, *Elec-*

torum cap. LXXXIII. Audi S. Cyprianum, *De Exhort. Martyr. cap. XII*: « Quæ spes et merces maneat martyres, post conflictationes hujus temporis et passiones, per Salomonem Spiritus Sanctus ostendit et prædicavit, dicens, *Sapient. III, 4*: *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.* » Hoc est quod ait *Job, cap. XI, vers. 17*: « Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer; » et Apostolus, *Hebr. XI, 33*: « Alii distenti sunt non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem: alii vero lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, » etc. *Secundo*, spes proprie accipi potest, *q. d.* Martyres et in vita et in morte, ac multo magis post mortem, parta jam victoria, sperant plenam immortalitatem: hanc enim sperabant justis illius ævi vita functi, se brevi adepturos per adventum Christi.

Hinc patet in animabus patrum in limbo, æque ac iis quæ sunt in purgatorio, manere spem, etiamsi ipsæ certæ sint de sua salute. Probat id Franciscus Suarez, tract. *De Spe*, disp. 1, sect. VIII, dicto 3. *Primo*, quia in eis manent fides et charitas; ergo et spes, quæ media est inter fidem et charitatem. *Secundo*, quia nondum obtinent beatitudinem; ergo eam sperant. *Tertio*, quia nulla est in eis causa corruptionis spei, neque sunt in tali statu, in quo spei sint incapaces. Dices: Illis non est ardua consecutio beatitudinis, nam potius judicant esse necessariam, et impossibile judicant eam amittere, neque hoc proprie timent. Respondetur non esse necessarium ad spem, ut consecutio boni sperati apprehendatur ut difficilis, id est dubia, vel quæ possit impediri, sed satis est si apprehendatur ut excedens naturæ perfectionem, et hoc etiam modo animabus purgatorii offertur uti ardua, consecutio beatitudinis. Unde non est de ratione spei, ut possit semper habere conjunctum timorem servilem proprie dictum cum anxietate: quare si etiam in hac vita Deus revelaret alicui suam gratiam et perseverantiam in illa, nihilominus posset vere et proprie sperare, quamvis non posset illo modo timere. Hinc sequitur in patribus Veteris Testamenti mansisse veram spem usque ad Christi adventum: patet ex ratione dicta; et quia peculiariter sperabant adventum Messie; unde de illis dicitur vers. 4: « Spes illorum immortalitate plena est. » Et hæc ita sunt certa, ut non sit dissensio ulla. Huc usque Suarez, qui et addit in animabus quoque jam in cælo beatis manere habitum spei, imo et actum secundarium, quia actu sperant resurrectionem et gloriam corporis.

Hæc spes excitavit martyres, ut non tantum tormentis se offerrent, sed et ambirent, ac majora exposcerent. Audi S. Ephrem, *Encomio in omnes sanctos martyres*, sub initium: « Sic quippe sancti martyres toto se corde et animo tradide-

in purgatorio manet spes.

Spes acuit martyres.

runt Deo, ut deinceps et ipsam mortem, et cunctas inimicas tyrannorum insidias contemnerent, parati ad perferenda verbera, et tormentorum necessitates, diversosque totius corporis cruciatus. Terga in lororum dederunt sectiones, et in varias fibrarum atque medullarum concisiones. » Et post nonnulla : « Quia et ossa ipsorum immaniter confringebant; atque ideo virtutem a Deo accipiebant, ut cunctas fortiter passiones sustinerent; et quasi sensus doloris expertes, sese ad quaecumque insidias gerebant, ut tanquam in alienis corporibus paterentur; imo et principibus ipsis atque iudicibus audacter insultabant, et ad maiorem eos iram excitabant, dicentes : Si graviora habetis tormenta, admovete nobis : hæc enim nullius momenti sunt. Quare etiam illi magis incensi, iraque effervescentes, velut immanissimæ feræ adversus ipsos rugiebant, vocatisque lictoribus vehementius sancta fortium pugilum corpora cædenda dilacerandaque curabant. Illi vero vicissim ad præfectos ac iudices : Ubi sunt, inquiebant, suppliciorum minæ? nam ignis vester frigidus apparet, ac tormenta inefficacia, percussores imbecilles, et gladii vestri ligna marcida; nihil quod nostræ respondeat promptitudini atque alacritati, habetis; ad plura et majora toleranda parati consistimus. »

Erem-
pla. Vis exempla? accipe. Hac spe animatus S. Quirinus martyr, pater S. Balbinæ virginis et martyris, sub Alexandro I Pontifice, ad Aurelianum Comitem intrepide dixit : « Si vis occidere, si fustibus cædere, si ignibus concremare, fac quod libet; omnes enim ad mortem pro Christo subeundam, non secus ac famelici ad panem, parati sumus. » S. Sabina martyr Antiocho præsi S. Seraphiam vexanti constanter exprobravit : « Canis rabide Asiaticæ, noli in tuam perniciem sanctam Dei virginem, et dominam tuam injuriis afficere. » S. Hesteria virgo et martyr Bergomas ad præsidem : « En, inquit, cervix mea præsto est, in hanc sævito; hanc pro Christi Domini mei fide libenti animo trado. » S. Sylverius Pontifex et martyr sub Justiniano imperatore, relegatus in Pontiam insulam, ad Amatorem episcopum scribens : « Sustentor, inquit, pane tribulationis et aqua angustiae, nec tamen dimisi aut dimitto officium meum. » S. Genesisius ex mimo martyr sub Diocletiano, dum in equuleo suspenderetur, unguis laceraretur, lampadibus ureretur, dicebat : « Non est Deus præter Christum, pro quo si milies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteris. » S. Eusebius, Pontianus, Vincentius et Peregrinus martyres Romani sub Commodio imperatore cum in equuleo torquebantur, nervis et fustibus cæderentur, asserebant tortoribus : « Nolite remittere : ante enim vobis tempus, quam nobis animus pro Christo patiendi, deficiet; » cumque Vitellius præses constantiam eorum admiratus, eos magia præditos, in tormentis læsari diceret, Vincentius respondit : « Non

gaudemus nisi in Domino Jesu Christo. » S. Achatius centurio et martyr sub Diocletiano ad præsidem : « En corpus, ait, ad flagella paratissimum; utere illo ut libet, animi certe propositum neque tu, neque imperator, nec omnis dæmonum malitia, ut impuris, id est dæmonibus, sacrificem, evertere poterunt. Inter septem fratres Machabæos, qui sub Antiocho gloriosum martyrii agnem obierunt, ordine tertius « linguam postulatus cito protulit, et manus constanter extendit, et cum fiducia ait : E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero : » eadem spe se cæteri fratres ad martyrium animarunt, II *Mach.* cap. vii, 11 et seq. Denique Apostolus, *Hebr.* xi, 1 : « Est, inquit, fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, » ubi deinceps toto capite priscos fidei heroes profert, qui hac spe animati heroica virtutum opera ediderunt, ac se suumque nomen immortalitati consecrarunt.

5. IN PAUCIS VEXATI, IN MULTIIS BENE DISPONENTUR. Vers. 5. — Græce eleganter, ὀλίγα πειθεύετε; μεγάλα εὐεργετηθήσονται, id est *in exiguis castigati, multis beneficiis vel felicitatibus afficientur*, ut vertit, interpres Clementis Alexandrini, lib. IV *Strom.* Noster videtur legisse εὐεργετούμενοι, id est *bene componentur, vel bene disponentur*, quia congrua et æqua merces est, ut qui hic vexati et male habiti sunt, in cælo optime habeant, optimeque disponentur. Syrus, *exiguam probavit eos, et multum hæreditabantur*; Arabicus, *et quia probati sunt paucis conversationibus, benefaciet illis beneficiis multis*; Vatablus, *leviter vexati ampla beneficia consequentur*; Pagninus et Arias, *in multis bono afficientur*; alii, *modice disciplinati, sive, parum disciplinae subeuntes, magnis beneficiis cumulabuntur*. Disciplinam intellige morum castigationem, quam irrogat Deus, vel superior, vel etiam hostis. Cantacuzenus, *non sunt, inquit, tormenta proprie, sed castigatio; nec ea gravis, sed levis; in paucis vexati, non quidem respectu sævitiæ tortorum, sed spei et præmii eorum qui torquebantur*; Jansenius, *correcti ut filii vel discipuli a parente vel magistro*. Proprie ex Græco veritas, *eruditi et edocti*; nam effectus tribulationis justorum est eorum institutio, juxta illam exhortationem Pauli ad Hebræos, *Hebr.* xii, 5, ex *Proverb.* iii, 11, et *Job.* xvii, 4 : « Fili mi, noli negligere disciplinam Domini : neque fatigeris, dum ab eo argueris. » Hinc II *Mach.* vii, 32, ait martyr : « Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur : et si nobis, propter increpationem et correptionem, Dominus Deus noster modicum iratus est, sed iterum reconciliabitur servis suis; » et vers. 36 : « Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt; » et vers. 38 : « In me vero et fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum juste superducta est. » Hinc S. Hieronymus, *epist. 4 ad Marcellam*, exhortans

eam ad laborum et tribulationum tolerantiam : « Dominus, inquit, te in laboribus hominum posuit, et salutifero paternæ pietatis verbere visitavit, ut in paucis vexatam in multis bene disponeret. »

Martyrium virtutum. Loquitur Sapiens proprie de martyribus; consequenter tamen de quibuslibet justis, qui gravia tolerant et superant per patientiam, fortitudinem, continentiam aliamve virtutem : quælibet enim virtus suum habet agonem suumque martyrium; unde S. Gregorius Nazianzenus, orat. 20 in laudem S. Basilii : « Citra sanguinem, ait, martyr, et citra plagas victricem coronam assecutus. »

Græcæ. D. Hieronymus in *Eptaph. Paulæ* ad Eustochium : « Mater tua, ait, longo martyrio coronata est : non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata, quotidianum martyrium est. » S. Gregorius in fine hom. 3 in *Evang.* : « Quamvis occasio persecutionis desit, inquit, habet tamen et pax martyrium suum : quia, etsi carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus. » S. Bernardus, serm. 30 in *Cantic.* : « Genus martyrii est spiritu facta carnis mortificare; illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius : » Idem, serm. 1 in *festo omnium Sanctorum* : « Quid sibi vult, quod eadem promissio facta est pauperibus et martyribus, nisi quia vere martyrii genus paupertas voluntaria est? » etc. Idem in *Sentent.* : « Martyrium sine sanguine triplex est : parcitas in ubertate, quam habuit David et Job; largitas in paupertate, quam exercuit Tobias et vidua; castitas in juventute, qua usus est Joseph in *Ægypto.* » S. Hieronymus, epist. ad *Demetriadem* : « Habet et pudicitia servata martyrium suum. » S. Ambrosius, lib. I *De Virgin.*, de Beata Agnete : « Habetis in una hostia duplex martyrium, pudoris et religionis. » B. Petrus Damianus, *De S. Alexio* : « Novum martyrii genus novum præbet in admiratione spectaculum : martyribus enim carcer erat poena, catena pressura; isti vero propria domus auratis decorata tricliniis, erat materia tentationis : illos torquebat manus armata carnificum; istum gravius puniebat conspecta quotidie pietas genitorum, » etc.; idem in fine serm. *De S. Apollinari* : « Vis aperte dicere qualiter in pace S. Ecclesiæ valeas martyrium invenire? etc. ascende tribunal mentis, et temetipsum pertrahe ad iudicium questionis. Cogitatio accuset, animus iudicet, pœnitens conscientia velut carnifex feriat, lacrymarum velut vulnus erumpat : sic per martyrii similitudinem ad veram pervenies martyrum dignitatem. »

Exempla martyrii. S. Laurentius Justinianus, serm. *De S. Martino* : « Sanctorum, inquit, collega exstitit et martyrum consors, cujus animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit, etc. Magnum est hoc martyrii genus, ultro

se pro Christi honore dare periculis; » et post pauca : « Toties martyrii promeruit palmam, quoties se inimici fidei disputando opposuit; » deinde : « Erat plane et hoc singulare martyrium, ut cum infirmantibus pariter infirmaretur, etc. Audi sine ferro martyrem, ex sola charitate morientem : *Quotidie morior* (inquit Paulus I *Corinth.* xv, 31) *propter gloriam vestram;* » ad extremum : « Merito sancto huic martyrii non est deneganda corona, qui Ecclesiarum curam gerens proximorum salutem zelans, nec mori timuit, nec vivere recusavit. » Illustre martyrii exemplum dedit Martinianus cum sociis martyribus, qui ob heroica fidei et apostolatus opera, a Geiserico rege ariano dire excruciati, fortes spe coronæ in tormentis perstitere. Audi Victorem Uticensem, lib. I *Persec. Wandal.* : « Jubet (Geisericus) famulos Dei ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca silvarum pariter interire, ut ducta atque reducta dumosis lignorum aculeis innocentium corpora carperentur; ita deligans; ut exitum suum invicem perviderent. Qui cum e vicino currentibus Mauris sese mutuo conspicerent, *vale sibi in angusto fugæ unusquisque ita dicebant: Frater, ora pro me. Implevit Deus desiderium nostrum, taliter pervenit ad regnum cælorum. Itaque orando atque psallendo, gaudentibus angelis, pias animas emisere, ubi usque in hodiernum diem non desinit ingentia mirabilia Jesus Christus Dominus noster operari. »*

QUONIAM DEUS TENTAVIT EOS, ET INVENIT ILLOS DIGNOS SE. — Deus non tentat, id est non sollicitat aliquem ad peccatum : hoc enim diaboli est opus : « Deus enim intentator malorum est, » ait S. Jacobus, *Epist.* I, 13; dicitur tamen tentare, id est probare et explorare hominum fidem et virtutem, cum eis paupertatem, morbum, infamiam, persecutionem, mortem, martyrium immittit, aut immitti permittit : etsi enim ipse præsciatur eorum fidem et virtutem, tamen vult ut ipsi eam exerceant, aliisque testatam faciant, uti ostendi *Jacob.* I, 13. Ita S. Gregorius, *XXIII Moral.* cap. xviii : « Ecce, inquit, inter adversa validius fidei robur emicuit : ecce concisa est integritas carniū, sed patefacta sunt ossa virtutum; hinc de eis per Sapiētiā dicitur, cap. iii, vers. 13 : *Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se.* Tentati sunt quippe adversitate plagarum, sed digni inventi sunt nudatione ossium : nam quia hæc eorum illa tentatio est, quæ ex flagellis adhibetur, illic aperte declaratur, dum sequitur *ibid.* vers. 6 : *Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos. »*

Accipe hujus rei elegantia symbola. Anthracites **Symbola virtutis.** lapis ignitus et carbo, si jaciatur in ignem, velut inter mortuos exstinguitur; at contra aquis perfusus exardescit, inquit S. Isidorus, lib. XVI *Orig.* cap. xiii. Gagates lapis accenditur aqua, oleo resinguitur, ait Plinius, lib. XXXVI, cap. xix : ita justii oleo voluptatis peruncti torpescunt,

et aqua tribulationis aspersi, in virtute exardescunt, Deoque fiunt gratiores et digniores. Dionysias lapis fuscus est, rubentibus notis sparsus: idem si aquæ mixtus conteratur, vinum fragrat, et quod in illo odore mirificum est, ebrietati resistit, ait Solinus in *Polyhist.* Sic prorsus virtus inter adversa exerit vires suas, nam ut vulgato fertur proverbio, *καθάρματα* solent esse *καθάρματα*, juxta illud Ovidii, *Trist.* lib. IV, eleg. III:

Materiamque tuis tristem virtutibus imple;
Ardua per præceptis gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.

Ita noster Causinus, lib. XI *Parab. Hist.* cap. XXXII et seq.

ET INVENIT EOS DIGNOS SE, — sua gratia, amicitia, hæreditate, regno et gloria celesti; hinc patet justos non tantum ex congruo, sed et condigno mereri gloriam cœlestem: licet enim opera in se nude spectata, v. g. dare eleemosynam pauperi, non mereantur tantam gloriam, juxta illud, *Rom.* viii, 18: « Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam; » tamen quatenus illa manant a gratia Dei, homineque Deo grato, eatenus condigna sunt tantæ gloriæ: gratia enim commensuratur gloriæ, ejusque est quasi semen et inchoatio. Assignat hic finem, ob quem Deus tribulationes et martyria justis immittit, aut permittit, ut scilicet eos probet, exerceat, dignosque suo regno efficiat. Audi Luciferum Calaritanum, tract. *Moriendum esse pro filio Dei*: « Tormentis namque martyres confortari, inquit, et ipsa probationis passione coronari, aperiunt ita S. Scriptura, *Psalm.* cxv, 15: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est; in paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentavit illos, et invenit eos dignos se,* » *Sapient.* iii, 5.

Audi et Eusebium Emissemum, hom. *De sanctis Martyr. Epiphodio et Alexandro*, ubi pathetice sic martyres loquentes et exhortantes inducit: « Num nobis ad cor nostrum clamat cognati viva vox sanguinis? Discite, inquit, ex nobis fidem quærendo acquirere, vivendo excolere, moriendo servare; discite plus peccatum timere, quam gladium; discite propter vitam magis justitiam amare, quam vitam, fidemque et timorem Dei. Quem nos in media belli tribulatione servavimus, observate, ne vos in pace vel pacis securitate perdat. Cavete ne anchoram spei ac religionis, quam nos custodivimus in fluctu, vos amittatis in portu. Cavete ne vitam bonam, si quando afflictionibus subditam videritis, miseram judicetis. Cavete ne in arena mundi, in qua ad subeundos agones missi sumus, aliquam felicitatem expectandam putetis. Beatitudo hic parari potest, non potest acquiri. Non hic quæras quod hic nullus sanctorum consummatus vel

consummato labore nullus confessor obtinuit. Non hic quæras quod hic nec Christus invenit. Si mundus pacem haberet, gloriam martyres non haberent; si examinatio non præcederet, tribulationis periret occasio. »

Audi et S. Paulinum, *epistol.* 4, ubi citans illud *Cant.* iii, 11: *Caput ejus aurum optimum*: « Hoc aurum, ait, forma sanctorum est, qui in capite corporis ut lumina micant, et sunt aurum ignitum Deo: quia videlicet eos per examina passionum in hujus mundi fornace conflatos invenit (ut scriptum est) dignos se, et in his sacram imaginis suæ percussit monetam, imprimens cordibus et linguis eorum veritatis suæ verbum, eosdemque ipsos statuens nummularios, ut secundum suam formam probabiles Domino cederent nummos, et abolita de nobis figura Cæsaris, *Matth.* xxii, vivum regis æterni numisma signarent, et spiritu redemptionis inscripti, cervice jam jugo libera, et salutis titulo præmunta fronte caneremus, *Psalm.* iv, 7: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Summa itaque ope enitatur, ita nos comparare, ut divini capitis (quod nobis per gratiam Dei Christus est) crines et aurum esse mereamur. »

6. TANQUAM AURUM IN FORNACE PROBAVIT ILLOS, — Vers. 6. *q. d.* Sicut aurum in fornace expurgatur a scoria, et fulgidius resplendet, sic Deus justos per tribulationes et martyria, a fæce vitiorum venialium purgat, ac patientia et virtute fortiores clarioresque efficit; unde Hugo Victorinus, tract. *De filia Jephthe*: « Hunc imitata, ait, multa martyrum millia usque ad mortem pro veritate certarunt, et ab inimicis sævientibus immolata sunt; de quibus dicit Scriptura, *Sapient.* iii, 6: *Tanquam aurum in fornace probavit eos.* » *Primus* hac gnome usus est S. Job, cap. xxiii, vers. 10, dicens: « Ipse (Deus) scit viam meam, et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit; » *deinde* David, *Psalm.* lxxv, 10: « Probasti, inquit, nos Deus: igne nos examinaasti, sicut examinatur argentum, etc. Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium; » *tertio*, Salomon, *Proverb.* xvii, 3: « Sicut igne, inquit, probatur argentum, et aurum camino, ita corda probat Dominus; » *quarto*, Isaias, cap. xlvi, vers. 10: « Ecce, inquit, excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis; » *quinto*, Daniel, cap. xi, vers. 35: « Et de eruditibus ruent (in persecutione Antiochi et Antichristi) ut conflentur, et eligantur, et dealbentur; » *sexto*, Zacharias, cap. xiii, vers. 9: « Ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum; » *septimo*, Malachias, cap. iii, vers. 2, de Christo ait: « Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum: et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum; » unde fiet id quod sequitur: « Et erunt Domino offeren-

tes sacrificia in justitia, » utpote jam plene purificati et justificati; *octavo*, Ecclesiasticus, cap. II, vers. 5 : « Quoniam, inquit, in igne probatur aurum et argentum : homines vero receptibiles (Deo accepti) in camino humiliationis. »

En tibi tot prophetarum testimonia, quibus hanc gnomen Deus omni ævo per oracula, æque ac exempla confirmavit. Æterna est lex a Deo sancita, ut justi omnes tribulatione, velut igne probentur, purgentur, perficiantur; nemo ab ea excipitur, uti multis ostendit Judith, cap. VIII, vers. 21, et Mathathias I *Machab.* II, 52. Noli ergo et tu excipi, ne pariter excidas a justitia. Præclare Tertullianus in *Scorpiaco*, cap. VII : « Audi enim, inquit, et alibi dicentem Deum, *Proverb.* XVII, 3 : *Uram illos sicut uritur argentum, et probabo illos sicut probatur aurum*, utique per tormenta ignium et suppliciorum, per martyria fidei examinatória; » et S. Augustinus, in *Psalm.* LXI : *Verumtamen Deo subjecta esto, anima mea : quoniam ab ipso patientia mea* : « Venit, inquit, tribulatio mea, venit et patientia mea, et purgatio mea. Numquid lucet aurum in fornace artificis ? in monili lucebit, in ornamento lucebit; patiat tamen fornacem, ut purgatum a sordibus veniat ad lucem; fornax ista, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc flat aurifex, in fornace ardet palea, et purgatur aurum; illa in cineres vertitur, a sordibus illud exuritur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum justus, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio; ibi me ponit artifex, tolero; jubeor ergo tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, et quasi consumendum me; illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare ? quia Deo subjicietur anima mea : quoniam ab ipso patientia mea. »

In eodem igne aurum rutilat, palea fumat, sic in eadem tribulatione pius sua patientia fulget, impius murmurat, suaque impatientia turpatur : ignis aurum probat, miseria fortes viros; unde Ennodius Ticinensis :

Mundior excocti fulgescat luce metalli,
Munera disponit qui dare digna Deo.

S. Augustinus, in *Psalm.* XXI : « Fornax artificis, inquit, magni sacramenti res est; ibi ignis non diversus diversa agit, paleam in cineres vertit, auri sordes tollit : » sic S. Savinianus Trecensis ad Aurelianum imperatorem : « Excoque, inquit, carnem igne totius tribulationis, ut resudet in me, si quid est æruginis : nam thus magis flagrat injectum ignibus. » Rursum S. Augustinus, serm. *De S. Laurentio* : « Aurum, inquit, purgatur venenis vehementissimis, sicut rosa suavius olet juxta allia. » Synesius, lib. *De Providentia* : « Liquatur cera, inquit, et induratur lutum, et tamen non est calor diversa natura. » Hercules, ut hominem exuat, Cæteis ignibus concrematur. Rursum, ut ignis paleam exurit, aurum nitidius reddit, sic calumniæ vanum aut vacuum absu-

munt, vera virtute gravem illustant : sicut uno eodemque igne lignum nigrescit in carbonem, lapis albescit in calcem :

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Nam « quod terrulentum et sordidum, flammis necesse est decoqui, » ait S. Laurentius apud Prudentium. « In fornace aurificis, si aurum non es, simul ardes; si aurum es, palea tua malus; si tu es palea, simul eris et fumus, ait S. Augustinus, serm. 53 *De Verbis Domini*. Dixerat antea Tertullianus, *De Habitu muliebri*, cap. V : « Terra plane gloriosior, quando in maledictorum metallorum feralibus officinis, pœnali opere deplorata, in igne nomen terræ relinquit, atque exinde de tormentis in ornamenta, de suppliciis in delicias, de ignominia in honores metalli refugamulatur. » Imo Sappho poetria aurum vocat *filium solis*, quod noctu ut ignis coruscat et velut ardeat; aurum vero non cremari igne, sed purgari propter argenti vivi et sulphuris optimas conditiones, testatur Albertus Magnus, lib. III, tract. 2, cap. V *De Mineral.*, et cap. VI. Nec fit minoris ponderis in igne, quia constat ex sicco et humido subtilissimis, nec habentibus aliquid impurum aut admixtum, uti docet S. Thomas, lib. III *Meteor. digress. de coloribus*. Marsilius Ficinus, in Plotin. *Ænead.* II, lib. I, cap. VI, ait propter arctissimam connexionem aurum esse indissolubile, et per viscosum humorem liquescere ad ignem; et quia non est terræ particeps, æruginem non contrahere; ac fulgorem sortiri a specie et idea solari; atque quo sæpius arserit, et apparuerit igni simillimum colore, eo fieri melius. Idem prorsus dicas de patiente in tribulatione.

Tribulatio ergo est fornax, quæ probat homines; fortes enim et sancti in ea constantes egrediuntur splendentes ut aurum; pusillanimes vero remanent ut scoria. Memorabile est quod scribit Victor Uticensis, lib. I *Persecut. Wandal.*, Geisericum arianum regem, cum insignem fidei heroem, nomine Masculan, damnasset ad mortem, secreto jussisse ut, si in mortis articulo fidem negaret, occideretur; si in fide persisteret, liber dimitteretur : « Nam si gladio, inquit, peremeritis, Romani martyrem prædicabunt; » audi Victorem : « Qui (Masculan) cum fortis atque invictus maneret, jubet eum subire sententiam capitalem; ita tamen callidus occulte præcipiens ut, si in illa hora vibrantis gladii pertimesceret ictum, magis eum occideret, ne martyrem gloriosum fecisset; si autem fortem in confessione conspiceret, a gladio temperaret. Sed ille, ut columna immobilis Christo solidante fortis effectus confessor, revertitur gloriosus. Et si martyrem invidus hostis noluit facere, confessorum tamen nostrum non potuit violare. » Quam insipiens et infelix fuisset Masculan, si in morte a fide defecisset! perdidisset enim corpus et animam, et a

Cur aurum igne non crematur?

Exempla constantia in martyrio Masculan, Satori et aliorum.

morte presenti transisset ad æternam; nunc autem in fide constans, utrumque ad utramque vitam conservavit, et gloriam æternam in cœlo et in terra peperit. Subjicit Victor probationem Sauri, procuratoris domus Hunerici regis, qui cum et a regis ministris et ab uxore acerrime tentaretur ad negandam fidem, intrepide respondit: « Tanquam una ex insipientibus mulieribus loqueris; formidarem, mulier, si sola esset hujus vitæ amara dulcedo; artificio, conjux, diaboli ministraris. Si diligeres maritum, nunquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent uxorem, auferant substantiam, mei Domini ego securus de promissis verba tenebo, *Luc. XIV, 26: Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus. Quid ultra? discedente muliere cum filiis refutata, confortatur Satorius ad coronam, disculitur, exspoliatur, pœnis conteritur, mendicium dimittitur. Interdicitur ei prodeundi accessus, totum ei tulerunt, stolam tamen baptismatis auferre non potuerunt. » Idem, lib. III, narrat Hunericum dolose hoc juramentum catholicis obtulisse: Jurate, inquit, vos desiderare ut filius meus Hildericus mihi in regno succedat, et vos Ecclesiis vestris restituam. Sapientiores dolum suspicati, jurare noluerunt, dicentes in Evangelio prohibitum sibi esse juramentum, *Matth. v, 34: simpliciores juraverunt. Tum rex his dixit: Ite in exilium, quia contra evangelium jurastis. Similiter non jurantibus ait: Quia regnum filii mei non optatis, idcirco jurare nolulistis; quam ob causam jubeo vos in Corsicam relegari; anguinum ergo et vulpinum fuit hoc ejus juramenti postulatum; atque utrinque cornutum, ut certo omnes orthodoxos configeret et perderet.**

Mystice, aureum gloriam divinitatis et felicitatis æternæ accepit Philo Carphatius in *Cant. tom. I Biblioth. SS. Patrum*, pag. 664: « Tanquam aurum in fornace probavit eos, etc. Comparantur auro, inquit, propter fidei probationem, et ærumnarum tentationumque firmissimum argumentum: in his enim et singulis electorum animabus resplendet aurum, dum eis divinitatis suæ potentiae contemplationem ostendi, ex qua, dum pulchritudo cœlestium gaudiorum paululum monstratur, quasi reclinatorium aurum sit electis, in quo se vel in hac mortali luce contemplando refocillant, ac requiescant. »

ET QUASI HOLOCAUSTI HOSTIAM ACCEPIT ILLOS. — Græce, quasi holocaustum hostiæ. S. Cyprianus, *De Exhort. martyr.* cap. XII, et Lucifer Calaritanus, *Apol. pro S. Athanasio*, legunt, quasi holocaustam hostiam; Vatablus, ut solidum sacrificium excepit; Anastasius Nicenus, *Quæst. IX in S. Script.*, legit, et tanquam oblationem sacrificii. Omnes justi patientes adversa ex amore Dei sunt ejus holocausta, sed præsertim martyres, qui totos se in holocaustum Deo offerunt. Triplex erat Judæo-

rum hostia, sive victima, uti dixit *Levit. I, 2 et 3*, scilicet hostia pro peccato, hostia pacifica, quæ scilicet offerebatur pro pace et salute cujuspiam, et holocaustum, quod totum cremabatur Deo: hoc enim significat græce ἁλόκαυστον, cum ex cæteris hostiis solus fere adeps et sanguis cederet Deo, reliqua vero cederent sacerdoti et laicis hostiam offerentibus. Igitur pœnitentes sunt quasi hostia pro peccato, quia pro eo carnis macerationem Deo offerunt; innocentes sunt quasi hostia pacifica, quia mentis puritatem Deo consecrant; martyres vero sunt quasi holocaustum, quia et carnis macerationem, et mentis puritatem, et vitam, et omnia quæ habent, Deo per martyrium dedicant. Unde Themisthius, apud Stobæum; *serm. 120*, ait vicina et cognata esse hæc tria, scilicet τέλευσις, id est mori, et τέλεισις, id est victimæ, et τέλεισις, id est initiari sacris. Hoc holocaustum martyrii sibi ambebat S. Ignatius; unde, epistola ad Tarsenses, palam ardenti voce protestatur: « Paratus sum ad ignem, ad bestias, ad gladios, ad crucem, tantum ut Christum videam Salvatorem meum et Deum, qui pro me mortuus est; » et in epist. ad Rom.: « Si bestiae noluerint me vorare, ego ipsis vim ingeram, ego urgebo. Ignoscite mihi, ego scio quid mihi expediat. » Pluribus ibidem eundem testatur ardorem S. Ambrosius, in *Exhortat. ad Virgines*: « Quam bonus, ait, est Dominus, pro quo dulces et injuriæ sunt, et grata mors! Et bene grata, quæ acquirit immortalitatem. » B. Petrus Damianus, *serm. De S. Petro Apost.*: « Fortiter diligit, qui cum necesse fuerit, pro Salvatoris fide corpus et animam tormentis exponit. Hic est fructus operis, laboris consummatio, probatio dilectionis, » etc. Simili modo mystici martyres, æque ac holocausta sunt religiosi, qui totos se Deo devovent, scilicet bona externa per votum paupertatis, corpus per votum castitatis, animam et mortem per votum obedientiæ, uti pulchre ostendit S. Thomas, II II, *Quæst. XVIII, art. 7*, ac noster Hieronymus Platus, lib. II *De Bono status Relig.* cap. XII et XV.

Porro fideles omnes sunt sacrificia et holocausta Dei, si omnia ad ejus legem et honorem referant: nam, ut ait S. Augustinus, lib. X *De Civit. cap. vi*: « Corpus nostrum cum per temperantiam castigamus, si hoc quemadmodum debemus propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo; sacrificium est. Ad quod exhortans Apostolus ait, *Rom. XII, 1: Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Si ergo corpus, quo inferiore, tanquam famulo, vel tanquam instrumento utitur anima, cum ejus bonus et rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est; quanto magis anima ipsa cum se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupis-

est holocaustum, cur?

Et religiosus

Et fidelis, quis?

centiæ sæcularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ subdita reformetur; hinc ei placens, quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit sacrificium. Quid enim Apostolus consequenter adjungens, vers. 2 : *Et nolite conformari, inquit, huic sæculo, sed reformamini in novitate mentis vestræ, ad probandum quæ sit voluntas Dei, quod bonum et beneplacitum et perfectum.* » Vide S. Gregorium, homil. 22 in *Ezechiel.*, ubi docet fidelem esse templum Dei, mentem et cor esse altare, hostiam vero esse corpus : fidelis enim per tria bonorum operum genera omnia sua dicat Deo, scilicet per eleemosynam offert bona externa, per jejunium offert corpus, per orationem et devotionem offert animam et voluntatem : ita S. Thomas, II II, *Quæst. LXXXV*, art. 3 ad 7; quare, qui sic operantur, quæ sunt Dei, ut tamen et quædam sæculi non relinquunt, hi sacrificium quidem, sed non holocaustum Deo offerunt, ait S. Gregorius, hom. 12 in *Ezech.*

Nota, pro *holocausti* græcæ est *θολοκάρπωμα*, quod noster a Castro censet significare *oblationem frugum*, ut dum manipulus spicarum adolebatur Deo die secunda Paschatis, cum holocaustum sit animalium, puta boum, ovium, columbarum, quæ totæ comburebantur Deo. Verum horum quoque animalium sacrificium, sive holocaustum, a Septuaginta vocatur *θολοκάρπωμα*, ut patet *Levit. i* et seq. Quare *θολοκάρπωμα* idem est quod *holocaustum*, ita dictum, quod totum per ignem et fumum cederet in *καρπὸν*, id est *fructum*, usum, cultumque Dei, sicut dixi *Levit. i*.

ET IN TEMPORE ERIT RESPECTUS EORUM. — Et, id est *idecirco*, q. d. Quia justii, præsertim martyres, suam constantiam in tormentis, velut aurum in fornace Deo probavere, sequæ in holocaustum Deo obtulere, idcirco erit eorum respectus, græcæ *ἐπισκοπή*, id est *visitatio*, inspectio, speculatio, respectus, hoc est, Deus visitavit eos sua beneficentia, præmiando eos corona gloriæ martyrio debita, ac præsertim corpora eorum, quæ tam atrocia tormenta sustinuerunt, exornando dotibus immortalitatis, quas mox subdit; unde Græca hanc gnomen cum sequenti necluat, sicque legunt, *in tempore visitationis suæ fulgebunt*, q. d. In die judicii, cum Deus visitabit et examinabit singulorum facta, tunc patientes et martyres mira gloria donabit, ut fulgeant velut stellæ in cælo; tunc ergo respiciet Deus illos, quos nunc despiciet mundus. Simili phrasi, vers. 13, dicitur de virgine vel cælibe : « Habebit fructum in respectione animarum sanctarum; » et cap. iv, vers. 15 : « Et respectus in electos illius. » *Respectus* ergo hic est retributio, merces, præmium, quod intuitu et respectu bonorum operum, præsertim patientiæ, datur justis et martyribus; unde nonnulli vertunt, *in tempore præfecturæ ipsorum fulgebunt*. Hinc et explicans subdit : « Judicabunt nationes, et dominabuntur populis. »

Rursum, *visitatio* hæc et respectus ad præsen-

tem vitam referri potest, q. d. Ad horam latent et deprimuntur justii; sed *ἐν καιρῷ*, id est *cum tempus opportunum fuerit*, Deus faciet ut palam inspiciantur et celebrentur : ita fecit, ut martyrum fortitudo et sanctitas in tormentis elucens toto orbe, quin et ab ipsis gentilibus et torcoribus celebraretur. Unde iterum aliqui sic exponunt, *in tempore visitationis*, id est examinationis, tentationis, patientiæ et martyrii sui, Deus faciet ut patientes et constantes magna virtute, laude et gloria fortitudinis fulgeant.

7. FULGEBUNT JUSTI, ET TANQUAM SCINTILLÆ IN ARUNDINETO DISCURRENT. — « Fulgebunt » sicut stellæ, imo « sicut sol in regno patris eorum, » uti huc alludens explicat et testatur Christus, *Matth. xiii*, 43 : stellæ enim in cælo sunt quasi scintillæ in arundineto, quoad similem tum splendorem, tum colorem, tum multitudinem, tum pulchritudinem, tum efficaciam, tum gloriam, tum varietatem, tum celeritatem; unde illud Poetæ, II *Æneid.* vers. 144 : « Vos æterni ignes, » id est vos æternæ stellæ; vide dicta, *Daniel. xii*, 3, et I *Corinth.* xv, 41. In græco *τὸ fulgebunt* neclitur præcedenti sententiæ, hoc modo : *In tempore visitationis, vel respectus, eorum fulgebunt.*

Inde S. Athanasius, *Apol. pro fuga*, hæc explicat de præsentia vita, non futura, refertque ad justos persecutionem fugientes, qui hac fuga magis, ut scintillæ resplenduerunt, ac populos docuerunt, et insigne fortitudinis decus gloriæque obtinuerunt, uti obtinuit ipse, velut eorum primipilus, per continuam 46 annorum fugam. Quem secutus noster a Castro, hæc et sequentia sic explicat, q. d. *In tempore*, quo erit respectus, seu visitatio eorum, hoc est cum tribulatione probantur, ut aurum in igne, fulgebunt clariores evadentes, ut aurum ex igne erutum refulget : nam virtus eorum summaque constantia elucescit, et celebris et admirabilis omnibus fit; et sicut scintillæprehendunt paleas, atque facile discurrunt inter arundines, ita illi inter improbos, leves et inconstantes attollunt caput, et tangunt invidia sui excellentiam eorum, et silentium injiciunt illis : sic condemnabunt sua virtute infirmitatem nationum, et sua constantia levitatem cruciantium eos, et efferent caput super omnes populos, quantum effert civitas supra montem posita et lucerna super candelabrum collocata. Erunt igitur reges populorum, et Dominus rex illorum erit. Huic sensum verum esse experimento comprobatur subjectis illis verbis : « Nam qui fiduciam habent in illum, intelligent, » experienturque hanc veritatem. Hæc ipse.

Verum alii magis appositæ et genuinæ hæc et sequent. referunt ad futuram vitam et gloriam cælestem, non ad præsentem : id enim verba plane significant, id etiam omnino exigit quod ait vers. 2 : « Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus illorum, et quod a nobis est iter, exterminium; illi autem

Justorum claritas sive præsens sive futura.

Merces
præ-
mium
victoriæ
marty-
ribus.

sunt in pace; » quæ verba non possunt accipi, nisi de mortuis et beatis : ita censent Clemens Alexandrinus, lib. IV *Strom.* cap. VI, S. Cyprianus, *Exhort. ad Martyr.* cap. XII, S. Bonaventura, Lyranus, Dionysius, Franciscus Suarez, III part. tom. II, disp. 48, sect. I et sequent., et alii passim, qui voce *fulgebunt* censent notari dotem claritatis; voce *discurrunt* dotem agilitatis, quæ erit in corporibus beatorum, præsertim martyrum, qui obscuritate carcerum claritatem hanc, et suis vinculis agilitatem hanc meruerunt. Porro S. Bonaventura, in IV, dist. 49, part. II, art. 2, *Quæst. I*, censet quatuor dotes corporis gloriosi significari hisce verbis, cum dicitur : *Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrunt* : « nam in *fulgore*, inquit, significatur claritas; in *justitia* impassibilitas, quia justitia est perpetua et immortalis; in *scintilla* subtilitas, in *discursu* agilitas. » Addit deinde subtiliter quod numerus harum quatuor dotum deduci possit ex duplici causa, scilicet formali et materiali : primo, ex formali, quia cum in corpore nostro, inquit, sit natura et forma duplex, scilicet elementaris, quæ modo dominatur, et cælestis, quæ est natura lucis, quæ erit sicut formalis et completa corporis gloriosi, hæc dominabitur in resurrectione. Igitur quia lux habet istas quatuor proprietates, sicut patet in radio, scilicet *claritatem*, quia illuminat; *impassibilitatem*, quia nihil ipsum corrumpit; *agilitatem*, quia subito vadit; *penetrabilitatem*, quia corpora diaphana sine eorum corruptione pertransit : sic etiam corpus gloriosum, in quo dominatur natura lucis, quatuor habet dotes. Secundo modo accipitur secundum causam materialem sic : Corpus nostrum est compositum ex quatuor elementis, et quia elementa sunt imperfecta, quadruplicem habet ab eis defectibilitatem : ab aqua, quæ est elementum humidum et passibile, habet *passibilitatem* et *corruptionem*, unde humidum aqueum corpus corrumpit; a terra vero habet *obscuritatem*, quia est elementum opacum; ab igne *animalitatem*, quia calor consumit continue, ideo continua indiget alimonia ciborum; ab aere vero habet *infirmiorem*, aer enim facillime immutatur et cedit cuilibet impellenti. Quoniam igitur quatuor isti defectus debent per bona opposita removeri ad hoc, quod corpus sit perfectum perfectione completa, ideo quatuor sunt dotes : contra corruptionem impassibilitas, contra obscuritatem claritas, contra animalitatem spiritualitas, id est agilitas, contra infirmitatem virtus sive penetrabilitas, id est subtilitas. Et hæc ultima sumptio convenientior est inter omnes, quoniam correspondet auctoritati et rationi : auctoritati Apostoli, ita enim sumit Apostolus, I *Corinth.* xv, 42 : « Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, » ecce *impassibilitas* : « seminatur in ignobilitate, surget in gloria, » ecce *claritas* : « seminatur in infirmitate, surget in virtute, » ecce *penetrabilitas*, id est sub-

tilitas : « seminatur animale, surget spiritale, » ecce *agilitas*; unde Apostolus sumit dotes per comparisonem ad illos quatuor defectus, quos removeat. Similiter S. Augustinus, *De Civit. Dei*, lib. XXII, cap. XIX : Aberit a corporibus nostris, ait, omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio : omnis *deformitas* per claritatem, omnis *tarditas* per agilitatem, omnis *infirmiorem* per subtilitatem vel penetrabilitatem, omnis *corruptio* per impassibilitatem. Hucusque S. Bonaventura.

Potest quoque *fulgebunt* referri ad famam posthumam martyrum, qua gloria, miraculis; festis, templis, imaginibus, cultu, invocatione refulgent in terra, æque ac in cælo : « magna enim, ait S. Cyprianus, *De Laude martyrii*, est claritas, vitam salutis æternæ honestate passionis ornare; magna sublimitas, ante ora Domini aspectumque Christi potestatis humanæ tormenta non horrere, sed contemnere. Sic Daniel minas regis, leonum frementium rabiem per constantiam fidei suæ vicit. » Denique pro *fulgebunt*, græce est ἀνταύγουσι, id est *desuper resplendebunt*, de supernis miro fulgore illustrabuntur, e cælo recepto splendore inflammabuntur, atque instar fulgentissimarum lampadam irradiabunt : quia scilicet a Christo Christique gloria velut sole desuper illuminante, martyres suæ claritatis radios et fulgores haurient et rapiunt; ἀνὰ enim in compositione significat *re*, vel *sursum*.

TANQUAM SCINTILLÆ IN ARUNDINETO DISCURRENT.— Arabicus, *fulgebunt justi tanquam cursus scintillarum in arundineto*; græce ἐν κάλυπτῳ, id est *in stipula*, hæc enim crebriores jacit scintillas, quam arundo; unde illud Ovidii, IV *Fastor.* :

Moxque per ardentis stipulæ regnantis acervos,
Trajicias celeri streuua membra pede.

Sensus est, q. d. Sicut stipulæ, vel arundines siccæ ab igne correptæ, illico in scintillas abeuntes celerissime evolant, et emicant quaquaversum : sic pariter corpora justorum et martyrum fulgida, velut quædam fulgetra huc illuc ad libitum agilime discurrunt, ac velut scintillæ emicabunt atque volabunt.

Tropologice S. Hieronymus (vel quisquis est auctor : stylus enim dissidet a stylo S. Hieronymi), epist. 7 *De Viro perfecto*, tom. IX : « *Arundinetum*, ait, sunt infideles, inter quos justi in hoc mundo non sistant, nec pedem mentemque figunt, sed quasi peregrini anhelantes ad cælum discurrunt. Quid est, ait, quod astris per arundineta comparati volutabunt, et in siderei forma fulgoris stirpes terrarum miserrimas permeabunt, cum longe incongrue misceantur, vel fulgores arundinetis, vel arundineta fulgoribus? » ac respondet : « Intellige per *arundineta* imagines infideles homines et incredulos demonstrari, eorumque corpora superficie grata, et interiori cassa virtutibus, quæ ubi primum spiritus vani-

Quatuor
dotes cor-
poris glo-
rii, si.

Earum
origo.

Ar
nes
im

tatis inflarit, sibila serpentis imitentur, et sanos partus, viperarum progenies obsequantur. *Scintillæ*, ait, *in arundinetis*; sancti ergo inter peccatores, quoniam non omnis caro eadem caro. *In arundinetis*, ait, id est vacua luce corpora, et alienis arsura fulgoribus, quibus sanctorum claritas futura pro pœna est: quoniam Deus ignis consumens est, et justi in imaginem Deitatis adveniunt. » Et S. Gregorius, XXXIII *Moral.* cap. III: « *Arundinetum*, ait, vitam sæcularium appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam foris quasi ad alta proficiunt, sed intus a soliditate veritatis inanescunt. » Rursum S. Bonaventura, Hugo et Isidorus Pelusianus, lib. I, *epist.* 5: Impius, inquit, est arundo, quia crescit arundo in luto, cedit vento, inanis est, instabilis, sonora, levis, vilis, infirma et igni apta; talis prorsus est impius: inter impios ergo discurrunt justi similes scintillis ob subtilitatem, parvitatem, agilitatem, processionem de igne magno, et magnam aliarum rerum (puta proximorum) inflammationem, sive per charitatem eos convertendo, sive per zelum justitiæ eos pudore confusionis (et dolore gehennæ succedendo, fulminata una cum Christo sententia damnationis, quæ eos velut paleas et arundines instar jacti fulminis afflabit et siderabit. Sic apostoli quasi scintillæ discurrentes in arundinetis, imo spinetis cunctarum gentium, omnes igne amoris divini inflammantur.

Vers. 8.

8. JUDICABUNT NATIONES, ET DOMINABUNTUR POPULIS. — Justi omnes in judicio universali judicabunt gentes infideles, et populos impios judicio, non proprie dicto, sed metaphorico et comparativo: quia scilicet suæ vitæ et virtutum exemplo tacite condemnabunt sceleratam vitam impiorum, quam proinde etiam viva voce redarguent, et dignam gehenna asserent. Sic Christus ait, *Luc.* XI, 31: « Regina austri surget in judicio cum viris generationis hujus, et condemnabit illos: quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis: et ecce plus quam Salomon hic. Viri Ninivite surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt illam, quia penitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ: et ecce plus quam Jonas hic. » Hac ratione multi ex Patribus acceperunt judicium sanctorum, ut S. Hieronymus in *Isai.* cap. I: « Judicat, ait, quis cum Domino non auctoritate regnantis, sed comparatione virtutum, quomodo et apostoli judicant duodecim tribus Israel, et Ninivite et regina Saba populum Judæorum. » Unde pie et pathetice S. Augustinus, in *Medit.* cap. IV: « Tot, inquit, iudicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono; tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla; tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos justis dederunt actionibus. »

Apostoli-
ci, viri
præser-
vati mar-
runt, quia et vitam pro illo in holocaustum

obtulerunt, in judicio proprie judicabunt tanquam assessores Christi, ejus sententiam approbantes et confirmantes: hoc est enim quod eis promittit Christus, dicens *Matth.* XIX, 23: « Amen, inquit, dico vobis quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. » Quare in judicio martyres judicabunt et damnabunt suos olim reges et iudices, a quibus ini- que judicati et occisi sunt, puta Machabæi judicabunt Antiochum, S. Petrus atque Paulus Nerone, S. Laurentius Decium et Valerianum, S. Sebastianus Diocletianum, etc. Unde S. Cyprianus, *Exhort. ad Martyr.* cap. XII: « Quando ergo, ait, iudicatos vos, et regnatos cum Christo cogitatis, exsultetis necesse est, et futurorum gaudio præsentia iudicia calcetis; » et Tertullianus ad *Martyres*, cap. II: « Judex exspectatur, ait, sed vos estis de iudicibus ipsis iudicaturi. »

tyres.
proprie
judica-
bunt in
die iudi-
cii.

ET REGNABIT DOMINUS ILLORUM IN PERPETUUM. — Pronomen *illorum* non refertur ad *Dominus*, sed ad *regnabit*, q. d. Dominus Deus regnabit illorum, id est, regnabit super eos, vel *in eis*, ut vertit Vatablus. Est græcismus, græce enim est βασιλεύσει αὐτῶν, id est, quasi *rex dominabitur eorum*; significat ergo quod rex justorum et martyrum non erit Antiochus, Nero, vel Decius, uti fuit olim in hac vita; sed ipse Deus, qui in eis regnabit per amorem et per gloriam, aspirando et communicando eis omne suum gaudium, omnes opes, omne regnum, omnem felicitatem, faciendo eos reges totius universi, juxta illud, *Daniel.* VII, 27: « Regnum et potestas dabitur populo sanctorum Altissimi: » quare tunc Deus erit omnia in omnibus, I *Corinth.* XV, 28.

9. QUI CONFIDUNT IN ILLO, INTELLIGENT VERITATEM: ET FIDELES IN DILECTIONE ACQUIESCUNT ILLI, QUONIAM DONUM ET PAX EST ELECTIS EJUS. — Græce πιστεύουσιν, quod est participium præteritum, q. d. Antea confisi in Deo.

Vers. 9.

Celebravit hucusque justorum in adversis fortitudinem, et martyrum in tormentis constantiam; nunc, qui et quales illi sint ostendit, nimirum qui confidunt in Deo, et fideles sunt in dilectione: quo simul declarat qua via, quibusque mediis ad illam fortitudinem et constantiam perveniatur, nimirum confidentia in Deum, et amore fideli erga Deum; sensus ergo est, q. d. Hi sunt justii patientes, qui ob patientiam fulgebunt, et velut scintillæ discurrent, judicabunt nationes, et in æternum regnabunt cum Deo, qui scilicet jam ante toti confisi Deo, omnem suam spem in eo locarant: ex hac enim spe roborati a Deo (Deus enim in se sperantes, seque in adversis invocantes exaudit, solatur et roborat) fortiter adversa et tormenta quælibet sustinuerunt. Hi ergo illuminati a Deo intelligent veritatem eorum quæ dixi, scilicet justorum animas non interire cum corpore, sed esse in manu Dei, ab eoque confortari,

curari et beari in aeternum, ut in gloria cœlesti velut soles refulgeant, ac velut reges dominantur populis infidelibus et impiis. Rursum, justi constantes, patientes quasvis tribulationes; sunt illi qui fideles sunt in dilectione et amore Dei: hi enim acquiescent illi, græce *περσμενόμενοι αὐτῷ*, id est *permanebunt apud eum*, id est ei in hac vita firmiter adhærebunt, ejusque cultui legique obedient; unde unus ex illis dicebat, *Rom. VIII, 35*: « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius. Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. » Causam subdit: « Quoniam donum et pax est electis Dei: » sic quoque legit S. Augustinus in *Speculo*, et *Codex Vaticanus, q. d.* Justo adeo sunt confidentes in Deum, Deique amantes, ideoque adeo in adversis constantes, quia sciunt Deum amicos suos electos nunquam deserere, sed iis adesse et opitulari, ideoque suum donum multiplicis gratiæ et virtutis, suamque pacem, id est omne bonum, ac præsertim requiem æternam in cœlo, eis communicare, juxta illud, *Rom. VIII, 29*: « Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? »

Porro Græca jam aliter habent et nonnulla addunt, *quoniam*, inquit, *gratia et misericordia sanctis ejus, et visitatio, vel respectus, in electis ejus*: quæ verba clarius sensum jam datum exprimunt, *q. d.* Deus sanctis suis dat gratiam patientiæ et constantiæ in hac vita, ac gloriam electis suis in futura: porro hæc verba habentur in Vulgata, cap. seq. vers. 13, et inde videntur huc in Græcum translata, uti solenter advertit Jansenius.

Vers. 10. 10. IMPII ACTEM SECUNDUM QUÆ COGITAVERUNT, CORREPTIONEM HABEBUNT: QUI NEGLEXERUNT JUSTUM, ET A DOMINO RECESSERUNT. — Transit a justis ad impios, horumque sortem cum illorum sorte per antithesin componit, opponit et postponit: quod sicut illorum sors est felicissima, sic horum sit infelicissima, etiam in hac vita; sensus ergo est, *q. d.* Sicut pii recipient gloriam secundum suas patientiæ cogitationes et passiones, sic impii recipient correptionem; græce *ἐπιτιμία*, id est *muletam et panam*; Vatablus, *muletantur*; alii, *puniuntur*, secundum suas injuriæ atque scelerum cogitationes et persecutiones, quibus pios spoliaverunt, vexaverunt, occiderunt; unde explicans subdit: « Qui neglexerunt justum, » id est eum velut vilem et neglectum omnibus probris malis que affecerunt. Est miosis. Vel « neglexerunt justum, » in neutro genere, id est justitiam violaverunt, omne jus fasque conculcarunt, idque ma-

gis respondet illi, quod explicans subdit: « Sapientiam enim et disciplinam qui abjicit, infelix est. »

SECUNDUM QUÆ COGITAVERUNT, — id est *primo*, pro merito pravæ cogitationum et volitionum, ex hisce enim procedunt pravi sermones et pravæ operationes, inquit S. Bonaventura, Lyranus et Dionysius. Aut *secundo*, quasi dicat: Corripientur et punientur, prout ipsi conscientia dictante dum peccarent, cogitaverunt, id est augurati et ominati sunt; supplicia quæ timuerunt, reipsa eis obveniunt; incident in mala, quæ expaverunt, juxta illud, *Job. III, 25*: « Quia timor, quem timebam, evenit mihi: » magna enim supplicii pars est præsigilio, angor, pavor, jugisque formido illius velut capiti imminentis: nam ut dicitur *Proverb. X, 24*: « Quod timet impius veniet super eum, desiderium (quoque) suum justis dabitur. »

ET A DOMINO RECESSERUNT — ad diabolum, velut apostatæ perfidique et sacrilegi proditores; unde græce est, *καὶ τῷ Κοίτῳ ἀποστάντες, q. d.* Apostantes a Domino, illique rebellantes, quia spreta justitia dederunt se totos injustitiæ et sceleribus. Agit maxime hic et toto libro de tyrannis et injustis iudiciis, qui ut suæ ambitioni, avaritiæ, libidini et tyrannidi plane indulgeant, tandem apostatant a fide et Deo, fiuntque hæretici vel athei, quales multos hoc ævo vidimus; unde Cantacuzenus legit, *qui neglexerunt Dominum; et a justitia recesserunt*: primum enim, ait, illud est ut negligatur Dominus, et ab ejus gloria simul et cultu recedatur; deinde ut illius quoque præcepta contemnuntur.

11. SAPIENTIAM ENIM ET DISCIPLINAM QUI ABJICIT, INFELIX EST: ET VACUA EST SPES ILLORUM: ET LABORES SINE FRUCTU, ET INUTILIA OPERA EORUM. — « Disciplinam, » græce *παιδεία*, id est *instructionem, eruditionem, castigationem puerorum*, qua scilicet puerilis hominum levitas, petulantia et cupiditas corripiuntur et castigantur; hinc et ipsa virga, sive flagellum, ipsaque flagellatio, vulgo vocatur *disciplina*: rursum omnia adversa quibus Deus justum erudit, purgat et perficit, sunt disciplinæ Dei. Audi Apostolum, *Hebr. XII, 5*: « Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit: quis enim filius, quem non corripit pater? Omnis autem disciplina, in præsentem quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ: » nam, ut ait S. Cyprianus, initio libri *De Disciplina et habitu Virgin.*, « disciplina est custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis; facit in Christo manere semper, ac jugiter Deo vivere, et ad promissa cœlestia et divina præmia pervenire: hanc et sectari salubre est: et adversari et negligere, lethale. »

Vers. 11.
Laudis disciplinæ.

Disciplina ergo est instructio et formatio morum ad omnem honestatem et virtutem : hanc « qui abjicit, (græce ἐξουθενῶν, id est *contemnens*, vilipendens, nihil faciens, qui scilicet ea, quæ agere debet, discere negligit, aut si scit, opere non exsequitur) infelix est, » ταρακτώμενος, id est *ærumnosus*, miser, calamitosus, quia in multis ærumnas Deo vel homine vindice incidet, juxta illud, *Psalm.* II, 10 : « Et nunc, reges, intelligite : erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore : et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa. » Ex adverso : « Beatus homo, qui invenit sapientiam, » ut ait et fuse describit Salomon, *Proverb.* III, 13 et seq., et *Eccli.* cap. I, vers. 19 et seq. Sapienter S. Leo, serm. 7 *De Epiphani.* : « Tota, ait, sapientiæ christianæ disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, nec in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit. » Paulo aliter legit et explicat S. Augustinus (vel quisquis est auctor : stylus enim dissonata stylo S. Augustini), tract. *De Bono disciplinæ*, cap. V, ubi sic ait : « Ecce dicit Propheta, *Psalm.* I, 6 : *Qui spernit disciplinam, odit animam suam.* Et vere ut dixit, ita est, nam hostis est et inimicus animæ suæ, qui, spretis disciplinæ monitis, diabolicis occupatur officiis. Dicunt aliquanti disciplinam satis duris legibus constitutam. Loquantur ista satis miseri, quos ad omne facinus ille diabolus auctor mortis invitat, quorum mentes insatiabilis gula possidet, super quos regnat ebrietas, quos turpis luxuria captivos tenet, et a quibus nunquam superbia ingrata discedit; illis autem quibus est studium honestæ fidem servare continentiæ, humilitati pietatique servire, dulce disciplinæ onus est, et leve jugum Domini, quod non gravat, nisi aut perditos, aut perituros. »

VACUA EST SPES ILLORUM, — insipientium, id est impiorum, cum sapientium et justorum « spes immortalitate plena sit, » ut dixit vers. 4. Ratio a priori est, quod impius careat gratia et charitate, quæ est principium et fons omnis meriti de condigno : quare esto impius oret, jejundet, det eleemosynas, etc., tamen per ea non meretur vitam æternam et gloriam cœlestem; opera ergo ejus, etiam alias bona et meritoria, in ipso quasi inania, et mercede vacua sunt. Rursum « vacua est spes illorum, » quia opes, gloriam et felicitatem, quam sperant, non assequuntur; hinc « labores sine fructu, » græce ἀνεργία, id est *sine utilitate* et *pretio* sunt, imo vero noxii et exitiales, quia laborant serviuntque peccato et dæmoni, ad æternam suam damnationem. Aliqui legunt, ἀνεργία, id est *fatui*, stulti, insensati sunt labores impiorum, quia ipsi sunt insensati et stulti; hinc et « inutilia opera, » imo perniciososa, quia impia. Perperam Hugo, Holcot, Bionysius et Glossa legunt, *inhabitabilia opera*, sicque exponunt, *q. d.* In quibus Deus non inhabitat, vel quæ habita-

tionem, convictui et societati hominum repugnant; vel quæ eos ab habitatione Ecclesiæ, tum militantis, tum triumphantis, puta a cælo, excludunt. Verum parerga sunt hæc omnia, græce enim est ἀχρηστα, id est *inutilia*. Laborant ergo pii et impii, sed pii parvi laboris magnam referunt mercedem, scilicet æternam gloriæ pondus, ut ait Apostolus, *II Corinth.* IV; impii vero magni laboris nullam referunt mercedem, sed ingentem pœnam, tum præsentem, tum futuram, puta incendia gehennæ. Quam ergo pii sapientes sunt, impii vero amentes et insipientes!

12. MULIERES (UXORES) EORUM INSENSATÆ (ἀρρενες, id est *amentes, stultæ*) SUNT, ET NEQUISSIMI (græce, κωμῆς, id est *pravi, nequam*, per antonomasiam, id est nequissimi) FILII EORUM, — *q. d.* Insipientium, id est impiorum, inter alias hæc sors et pœna est, *primo*, quod uxores et filios habeant sibi similes, puta insipientes, id est pravos, sceleratos et impios : maritus enim velut paterfamilias toti familiæ suam insipientiam, id est sua vitia, verbo et exemplo affricat et insillat, juxta illud : « Mali corvi malum ovum, » et illud Senecæ in *Hippolyt.* :

Redit ad auctores genus,
Stirpemque primam degener sanguis refert.

Et illud *IV Esdr.* IX, 17 : « Qualis ager, talia et semina : et quales flores, tales et tincturæ : et qualis operator, talis et creatio : et qualis agricola, talis et cultura. » *Secundo*, proprie per *insensatas* intelligit adulteras, et consequenter per *filios nequissimos* accipit spurios et adulterinos; *q. d.* Hæc est pœna impiorum, ut, cum ipsi sint infideles Deo, uxores pariter experiantur sibi infideles et adulteras, quæ proles ex alio viro, puta adultero, susceptas marito quasi proprias arrogant et substituant : de adulteris enim et adulterina sobole in seqq. agitur : ita Jansenius. Hinc disce viros, qui fidem Deo datam violant, impieque vivunt, Deo vindicæ id consequi, ut nec ab uxoribus eis fides præstetur, nec a filiis honor. Docet hoc Apostolus, *Rom.* I, 21 : « Quia, inquit, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, etc. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominie : nam femine eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam. » Hinc apud hæreticos eorumque prædicantes tot sunt adulteria, fornicationes et incestus, sed occulti : qui enim fidem Deo non servat, quomodo servabit homini? qui credit vel docet castitatem servatu impossibilem, quomodo eam servabit, imo quomodo credet eam sibi possibilem?

Moraliter discant hic mariti, si probas et castas velint habere uxores et proles, ipsi eis probitatis et castitatis exemplo præeant : hoc enim sequentur ipsæ, ac Deus mariti probitatem hoc congruo suorum præmio remunerari solet : si

Vers. 12.
Uxoribus
et filiis
impiorum
pravi et
infideles.

Filiis sequuntur
parentum
mores.

enim maritus sit improbus et incestus, improbam et incestam habebit uxorem ac liberos. Rursum, si mater sit impudica, impudicitiam ab ea discet filia : ita communiter fieri videmus, etsi subinde contrarium per extraordinariam Dei providentiam contingat; hinc S. Ambrosius, lib. III *De Virgin.*, loquens de Herodiade : « Quid, ait, potuit filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris? » Ideoque Ezechiel propheta, cap. XVI, vers. 44 : « Sicut, ait, mater, ita et filia ejus, » et in hanc sententiam Glossa in cap. *Si quis cum militibus*, VI, Quæst. I, adducit versum vulgarem :

Insequitur leviter filia matris iter.

Unde et Virgilius in *Bucolicis*, ecloga 1 :

Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos
Noram.

Cujus auctoritate Columella, lib. III *Rei rusticæ* : « Nihil, inquit, dubium quin ipsa natura sobolem matre similem esse voluerit; » in idque alia quædam scribit, trahitque etiam ad vineta. Diogenes Cynicus, teste Laertio, cum ebrium in foro vidisset : « Illius, inquit, pater ebrius fuit. » Horatius, lib. IV *Carm.*, ode 24, sic canit : « Dos est magna, parentum virtus. »

Porro adulterorum uxores sæpe esse adulteras liquet, tum experientia, tum ratione : adulterium enim viri facit uxorem impudicam, tum quia dat illi exemplum libidinis, viri enim mores uxori sunt speculum, quod ipsa imitetur; tum quia illi suggerit modum se vindicandi, uxor enim, videns fidem sibi a marito datam non servari, fidem pariter ei non servat, utque injuriam per adulterium ab eo illatam vindicet, similem illi injuriam per adulterium irrogat. Ovidius, lib. *De Art. amandi*, exemplum dat Agamemnonem et Clytemnestram :

Dum fuit Atrides, inquit, una contentus, et illa
Casta fuit : vitio est improba facta viri.

Et mox :

Et male peccantem Tydaris ulta virum est.

Quocirca Aristoteles, lib. I *Æcon.* cap. IV : « Primum, inquit, leges sint viro ad uxorem, ut injuria cesset, sic nec ipse injuriam patietur; est autem (ut ille paucis interjectis scribit) viri injuria externarum mulierum congressio; » et, ut scribit Seneca *ad Lucil.* epist. 93 : « Gravissimum est in uxorem injuriæ genus, habere pellicem. » Quocirca sapienter maritum admonet Lactantius, lib. VI : « Exemplo, ait, continentiae docenda uxor, ut se caste gerat : iniquum est enim ut id exigas, quod ipse præstare non possis; » et paulo post scribit uxorem ejus, qui circa corrumpendas alienas uxores occupatur, exemplo incitatum aut imitari se putare, aut vindicare; idque est, quod ipse S. Augustinus similiter in cap. *Si dicturi*, XXXII, Quæstion. VI, monebat, ut, quales volu-

mus uxores nostras invenire, et ipsæ nos inveniant, et si intactas quærimus, intacti simus. Hac de causa Job ille vir rectus et timens Deum, cap. XXXI, vers. 9 : « Si deceptum est, ait, cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum alterius sit uxor mea, et super illum incurventur alii. » Sed et Æsopus apud Planudem, ita Ennum filium monet : « Semper uxori tuæ adhærere, ne alterius viri periculum velit facere. » Huc quoque pertinet illud, *Ose.* IV, 14 : « Non visitabo super sponsas vestras cum adulteraverint, quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, » tanquam scilicet quodammodo excusentur mulieres adulteræ, ob virorum suorum adulteria. Hinc Seneca, epist. 91 *ad Lucilium* : « Improbus est, inquit, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum. » Denique S. Augustinus, tract. *De Decem chordis* : « Si caput, inquit, est vir, melius debet vivere, et præcedere in omnibus factis suis uxorem, ut illa imitetur virum : » nam, ut ait Pacatus in *Panegyri. ad Theodosium imperatorem* : « Imperata correctio exasperat, blandissime autem jubetur exemplo. »

13. MALEDICTA CREATURA EORUM, QUONIAM FELIX EST STERILIS, ET INCOINQUINATA; QUÆ NESCIIT THORUM IN DELICTO, HABEBIT FRUCTUM IN RESPECTIONE ANIMARUM SANCTARUM. — SYFUS, *maledicta est progenies eorum, quoniam melius est sterilis quæ non est coinquinata, quæ ignoravit lectum casus, vel ruinæ; Arabicus, maledicta conditio eorum, quoniam sterilis quæ non habet maculam, in se beata, quæ nescivit lectum in ruina.*

Opponit piorum prolem impiorum, q. d. « Creatura, » græce γένεσις, id est generatio et progenies, puta filii et filiae sunt maledicti, id est impii et scelerati, tum quia parentes vitia uti corporis, sic et animæ in proles generando trahunt, utrinque enim infectum est semen parentum; unde videmus, si parentes sint calculosi, podagrici, epileptici, ebriosi, libidinosi, adulteri, filios quoque iisdem morbis et vitis obnoxios; tum quia parentes impii impie educant suas proles, ac vitiorum, quibus obnoxii sunt, exempla quotidie filiis suis præbent. Quid enim discat filius a parente, quem quotidie rixari, jurare, inebriari videt, nisi ut et ipse rixetur, juret, seque inebriet? paternum enim et domesticum exemplum potens est et efficax in animis filiorum : quare eos suorum vitiorum heredes relinquit. Ex adverso « felix est (mulier) sterilis et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, » id est quæ cubile et lectum adulterii et fornicationis ignorat, id est quæ immunis est ab adulterio et fornicatione : licet enim sit sterilis, tamen non carebit suo fructu et prole in judicio, quo Deus visitabit, judicabit, respiciet et præmiabit animas castas et sanctas. Præfert ergo mulierem probam et castam, licet sterilem, impie et incestæ, licet fecundæ et prolibus abundanti, quod

hæc proles impias generet, educet et formet; illa vero præmium illustre suæ castitatis consequatur a Deo. Unde Budæus in *Pandectas* vertit, *exsecrabilis eorum genitura, quando beata sterilis non inquinata*: non enim omnem sterilem beaticat, ait Jansenius, sed non inquinatam, sicut nec vers. seq. omnem spadonem, sed eum, qui non est operatus iniquitatem, et non cogitavit prava contra Deum; unde et S. Hieronymus in *Isai.*, cap. lvi et *Ose.* cap. ix. legit *beata sterilis immaculata, quæ non cognovit stratum in delicto, vel cubile in peccato*, puta in adulterio, hoc enim ob enormitatem antonomastice dicitur *delictum*, vel *peccatum*; Vatablus, *sane beata est sterilis incontaminata, quæ concubitum flagitio non novit fructum in cognoscenda animarum causa capiet. Per sterilem nonnulli accipiunt conjugatam, quæ servat castitatem conjugalem, et thorum immaculatum in matrimonio*: ita Hugo et D. Thomas, et Noster a Castro, qui apposite et contraposite sic exponit: *Maledicta creatura, id est proles impiorum, utpote ex adulterio habita, q. d. infelix illa uxor quæ, quod non generet ex viro suo, et ipsa flagitium committit maculando thorum viri sui, et filios generat execrandos. Sane multo felicior est infæcunda, quæ contenta orbitate filiorum, non est passa maculare aut coinquinare lectum suum delicto; nempe quod non cognovit thorum seu lectum in delicto, pro non cognovit delictum in thoro, per hysteron proteron, hoc est concubitum flagitiosum: Deum enim prætulit filiis.*

Beata
sterilis,
quæ?

Respon-
deo, vir-
go.

Melius tamen, plenius et perfectius alii per *sterilem incoquinatam*, accipiunt virginem: hæc enim sola est *incoquinata*, id est incorrupta, non marcida, quæ florem virginitatis illibatum servat: mox enim, cap. iv, in virginitatis laudes excurrit, nam conjugata in Veteri Testamento si esset sterilis, non tam benedicta, quam maledicta censebatur, utpote carens communi dono illius ævi, scilicet fœcunditate. Ita de virgine hunc locum accipit Ecclesia in *Officio de Communi Virginitate*, S. Hieronymus loco jam citato, ac S. Ambrosius, lib. I *De Virgin.*, ubi legit; *melior sterilitas cum virtute*: sic et Holcot, Dionysius et noster Gabriel Vasquez, quem audi: *Nescire thorum in delicto, non est, non violare thorum per adulterium, sed idem quod esse sine uxore, cum qua quis in eodem thoro cubare posset, eo quod eunuchus vel sterilis sit, et tamen esse plenum bonis operibus; sicut e contra fœcundus, et qui filios habet, etiam ex legitimo thoro, tamen legem Dei non servat, dicitur scire thorum in delicto, id est scire thorum et habere fructum matrimonii, et simul contra legem Dei peccare. Ita Vasquez, III part., tom. II, disp. 124, num. 47. Idem patet ex versu sequenti, ubi quod hic dixit de femina, dicit de viro, eumque vocat *spadonem*, id est eunuchum, qui nequit aliud esse quam virgo. Idem exigit præmium eminens utrique promissum vers. 14:*

« Dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima, » quod utique non conjugatis, sed virginibus datur. Igitur *quæ nescivit thorum in delicto*, idem est quod, *quæ nescivit delictum* (puta adulterium, fornicationem) *in thoro*, id est lecto, qualis tum est conjugata per castitatem conjugalem, tum potius virgo per castitatem virginalem, ideoque dicit, non *quæ nescivit delictum in thoro*, sed *quæ nescivit thorum in delicto*, q. d. Virgo adeo abest et abhorret a delicto adulterii et fornicationis, ut ipsum thorum sive lectum concubitus, quo delinqui potest, et quo delinqui solet, ignoret, q. d. Virgo omnem concubitum, omnem copulam ignorat.

Sensus ergo planus et plenus est, q. d. Maledicta est generatio, id est tam parentes, quam proles adulterinæ et sceleratæ impiorum, quia ex adverso benedicta et felix est generatio et stirps piorum: nam felix est uxor incoquinata, ideoque quoad prolem corporalem sterilis, quæ omnem omnino thorum et concubitum, quo delinqui solet, ignorat; habebit enim fructum celium in respectu animarum sanctarum. Excurrit hic Sapiens in vituperium libidinis, et encomium castitatis et virginitatis, quia sapientiæ comes, imo soror est castitas et virginitas; unde S. Gregorius Nazianzenus, teste Rufino, per visum utraque specie feminea et virginea apparuit, illoque feminas adversante, vultumque avertente, ab eis audivit: « Ne ægre feras, o juvenis, nostrum conspectum, sorores enim sumus, tibi que familiares; uni nomen est sapientia, alteri castitas; visitare te venimus, quia jucundum nobis in anima tua habitaculum preparasti. » Quocirca amor sapientiæ tuetur castitatem, castitas vicissim incitat ad studium sapientiæ. Olim multis religiosis hoc dedi consilium, et etiamnum do, ut, si velint puritati animæ, et bono religionis suæ consultum, in eam inducant cum pietate studium litterarum, præsertim theologiæ et sacræ Scripturæ: per hoc enim primo tollitur otium, quod est causa omnis mali, ac secundo mens a carne carnisque voluptatibus elevatur ad cognitionem et gustum rerum divinarum: tertio, homo fit doctus, ut et alios docere, et ad perfectionem erudire possit: quare experientia constat, nil ita reformare religionem et disciplinam monasticam, ac studia litterarum pietati juncta. Sane in Societate nostra multi mirantur hæc tria ita contraria conjungi, scilicet tantam humilitatem cum tanta scientia, tantam obedientiam cum tanta prudentia, tantam castitatem cum tanta juventute; sed causa post Dei vocationem et gratiam, est assiduum studium sapientiæ: semper enim discimus et docemus, quo fit, ut casti simus, et tentationes carnis vel non sentiamus, vel per Dei gratiam superemus, juxta illud S. Hieronymi: « Ama scientiam Scripturarum, et vitia carnis non amabis. » Tantum curent studiosi sapientiæ, ante omnia studere cognitioni Dei et sui ipsius,

Visio S.
Gregorii
Nazian-
zenus.

Studium
servat
castita-
tem,
cur?

ut Deum summe vereantur, seipsos summe despiciant: nam alioqui « scientia inflat, charitas ædificat: » ait Apostolus.

Apolo-
gus cæli-
batus est
phœnix.

Hujus sententiæ veritatem insigni phœnicis et viperæ apologo aureis gnomis ceu gemmis insperso, representat Cyrillus, lib. IV *Apolog. moral.* cap. VII: « Viperæ, inquit, phœnicem solitariam recubentem reperiens, salutavit, et dixit: Ut quid tu sola sedes? ubi est tui generis amica societas? cui illa: Quippe sola sum in genere meo, nec ullius in me est sexus discretio: una tantum sum et singularis in mundo. Quo audito, mirata valde viperæ dixit: Numquid tibi soli fuit illiberalis natura, cum cæteris animalibus tam sit in generationis suavissimo gaudio, et gratissimo prolis bono? Ad quid tibi pulchritudo hæc, postquam privata es vite conjugalis dulcedine, et coeundi delectatione? Nempe si moritura es, tota deficies; sin immortalis, in æternum et tristis. Quid plura? In hac tua castitate, tibi oculis clausis et obturatis, quid malum bonumque sit nunquam senties, neque nosti. Ad hæc illi phœnix, venerorum non ignara fastidii, et puritatis non inscia gaudii, minime turbata respondit: Ibi est summa et gaudiosa societas, ubi totius speciei intima est unitas. Igitur quia singularis specie sum assimilata cœlestibus, gaudeo intentissime, totam et non partialem me esse exulto: tota enim res, tota vis in me una; et omnis bonitas mei, speciei est clara. Quod si generationis lepore non fruor, etiam aurum, saphirus, stella, orbis et animus non generant, nec minus inde pretiosa se putant. Indignior enim a primo bonitatis fonte per dissimilitudinem elongata natura, semper in sua unitate esse non potuit; sed ex divisione successivæ generationis pensatur solatium, cur non etiam ejus desudationis tormentum? Quanquam enim fetus una instantanea delectatione concipitur, tamen abominatione fovetur, labore portatur, timore servatur, dolore parturitur, periclitatione gignitur, foetore nutritur, servitute augetur, anxietate diligitur, et in puncto cum maxima tribulatione amittitur. An forte tu sola gaudeas de generatione, experientia discas: concipies enim delectabiliter, et lethaliter paries; cum prolem nutriveris, tunc propter eam te perdendo ipsam amittes. Atque ita paras tibi, charissima, cibum mortis. Dic amabo, quænam gratia gallinæ est, quæ pullos genitos tanto amoris impetu fovet? nonne ab eis cum creverint, ignoratur? » Ex quibus castitatem sibi sui que similibus gratulans, concludit: « Hoc ergo meum gaudium est generare meipsam; meum solatium est, fovere meipsam, dum sine divisione et maculatione, igne purificante, meipsam genero; et cum senio gravis deficio, tunc innovata resurgo, et sic verius semper vivo: cinis enim meæ resolutionis, semen est vivificum novæ vitæ. Ne dicas certe in vacuum me depravasse, vel depravasse naturam, cum sim gem-

gaudia.

matæ et floridæ castitatis exemplum; et hoc non solum delectationem veneram me nescivisse non tribulor, sed inviolabili puritate ligata eam nunquam me noscituram delector. Tua erga scientia, imo concupiscentia sit boni et mali, quo momentanea dulcedine coitus, furore libidinis insanis, et perdis in æternum vitam et caput. Quo dicto, ab invicem sunt divisi. »

HABEBIT FRUCTUM IN RESPECTIONE (græce rursum est, ἐν ἐπιθεσίνῃ, id est in visitatione, inquisitione, examine, respectu) ANIMARUM SANCTARUM, — id est, cum singularum merita visitabuntur, dijudicabuntur et præmiabuntur, uti legit et explicat S. Hieronymus, in *Isai.* cap. LVI. Tò *sanctarum* non est in Græco, sed subintelligitur, non enim præmiabuntur animæ, nisi sanctæ: hoc ergo addidit Vulgatus ad contrahendum nomen respectationis, ut significet remunerationem sanctitatis. Sensus ergo est, q. d. Castæ et virgines esto sint steriles, id est careant prole, suum tamen habebunt fructum, id est suam mercedem in futuro sæculo, puta in die iudicii, quo Christus omnium dicta factaque visitabit, id est examinabit, iudicabit et coronabit. Potest secundo, cum Petro Nannio per fructum accipi proles, hæc enim merces apte respondet sterilitati, q. d. Virgo licet sit sterilis, nec corporales generet filios, non tamen carebit sua prole spiritali, prole, inquam, virtutum ex castitate manantium, quomodo proles castitatis est oratio, meditatio, abstinencia, elemosyna, etc., ac gloria atque aureola iis respondens in cælo. Rursum proles virginum sunt alii sancti, quos virgines suo verbo et exemplo ad sanctitatem et virginitatem impulerunt: hi enim sunt filii spiritus, non carnis. Qua phrasi S. Ambrosius, lib. *De Arca et Noe*, cap. IV: « Probati viri genus, ait, prosapia virtutis est; et sicut hominum genus homines sunt, ita animarum genus virtutes sunt. » Alludit ad illud, *Isai.* LVI, 3: « Et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum, etc. Dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit; » ubi fuse hac de re egit: quare hic plura non addam.

Nota hic ante Christum in Veteri Testamento exstitisse laudem et consilium evangelicum cælibatus et virginitatis, licet enim hæc prophetice accipi possint de Novo Testamento, ubi hæc verissima esse conspiciuntur; Sapiens tamen in genere loquitur de omnibus castis, etiam sui ævi, ut patet; unde S. Ignatius, epist. ad *Philadelph.*, tradit in Veteri Testamento virgines fuisse Eliam, Eliseum, Josue, Jeremiam, Melchisedech et Joannem Baptistam: virgines quoque fuere filii prophetarum, de quibus in libris Regum crebra fit mentio. Præclare S. Gregorius Nazianzenus, in *Carm. de Virgin.* hæc ei dat elogia:

Virginitas res est omni mirabilis ævo.
Virginitatis amor mentes ad sidera tollit.

hoc est, prima virgo est SS. Trinitas.

Prima Trias virga est,
 Virginitas magni pars inclyta Christi.
 Virginitas promplissima cæli
 Sæuita, consiliisque Dei sapientibus hærens.
 Virginitas (*Danielis*) fulvos potuit sopire leones.
 Virginitas Angelorum vita.
 Virginitas decoratur conjuge Christo.

14. **14. ET SPADO** (græce, *eunuchus*) QUI NON OPERATUS EST PER MANUS SUAS INIQUITATEM, NEC COGITAVIT ADVERSUM DEUM NEQUISSIMA (repete ex versu præcedenti *felix est* : rationem subdit) : DABITUR ENIM ILLI FIDEI DONUM ELECTUM. — Laudavit virginem feminam, hic a pari laudat virginem virum, illumque virgini feminæ combinat et adæquat, q. d. Sicut dixi felicem esse feminam sterilem et incoquinatam, id est virginem, sic pariter felicem esse prædico virum virginem, qui scilicet per propositum vel votum castitatis, quasi spado vel eunuchus, se castravit propter regnum cælorum, juxta consilium Christi, *Matth. XIX, 12*, puta qui ex amore puritatis omnem libidinis usum sibi interdixit, ideoque « non operatus est per manus suas iniquitatem, » puta pollutionem, tactus impudicos, aliaque scelera, tum libidinis, tum aliorum vitiorum; « nec cogitavit adversus Deum nequissima, » græce *πονηρία*, id est *mala et prava*, q. d. Qui nec per actus manuum, nec per pravas cogitationes mentis in Deum peccavit; qui manus ab opere vetito, et mentem a mala cogitatione, præsertim venerea (hac enim sæpe peccatur etiam a continentibus, per internam libidinis delectationem morosam, etiamsi actus externus absit, imo horridi sit) cohibuit, imo manibus multa bona operatus est, et mente multa pia cogitavit et destinavit. Est misos, virgines enim liberæ ab oneribus conjugii totæ vacant Deo piisque cogitationibus et operationibus, ideoque merentur tantum præmium, quantum subdit.

spadonem
 1 in-
 1 genu-
 1 co-
 rat?
 Minus apposite Dionysius *spadonem* accipit per naturam, qui scilicet natus est eunuchus, vel castratus ab hominibus : « hic enim, inquit, cogitare potest contra Deum, ac murmurando dicere : Cur me creasti eunuchum et impotentem ad generandum? » ab hoc enim murmure abstinere est præceptum, ideoque laus exigua, quæ tamen magna huic spadoni datur, cum subditur : « Dabitur enim illi fidei donum electum, » etc.; ergo *spado* hic non per naturam, sed per voluntatem et virtutem intelligitur, puta cælebs et virgo. Magis apposite noster a Castro *spadonem* accipit virum conjugatum, sed orbem liberis, propter uxoris fortasse sterilitatem, qui ita fidelis est legi Dei, ut superet filiorum cupidinem, quæ adeo populum illum occupabat, ut multi non vererentur ex alienis uxoris filios sibi procreare contra Dei præceptum. Ille ergo *eunuchi* nomine hic commendatur, qui ita adhærebat divino præcepto, ut, ne illud transgrediretur, sua fidelitate

vinceret amorem filiorum, et opprobrium quod sterilibus eo tempore oriebatur : nam id ostendit quod dicit : « Felix sterilis immaculata, quæ nescivit thorum in delicto, » et felix eunuchus, « qui non est operatus iniquitatem; » at infelices impii, qui ex adulterio filios procreant : nam ejusmodi filii profani erunt, et delebuntur tanquam ex iniquo thoro nati. De ejusmodi ergo eunuchis loquitur hæc ipse : licet enim *spado* significet proprie eunuchum, qui nequit esse maritus, utpote impotens ad copulam conjugalem, tamen ad orbem, qui filios alia de causa procreare nequit, extendi potest. Omnia hæc eo spectant, ut præferant carentiam filiorum cum virtute, copiam filiorum cum vitio; unde capite sequenti, vers. 1, Græcus habet, *melius est esse sine filiis cum virtute*.

DABITUR ENIM ILLI FIDEI DONUM ELECTUM, ET SORS IN TEMPLO DEI ACCEPTISSIMA. — Græce, *dabitur enim fidei gratia electa, et sors in templo Domini acceptior, jucundior, vel gratior*; vel, ut S. Hieronymus in *Isai. LVI, delectabilis*; græce est, *θυμω ἀρίστερον*; id est *animo placentior*, a *θυμω ἀρίστερον*, id est *animo placeo*; alii qui legunt, *θυμω ἀριστερον*, id est *animo delectabilior*, a *θυμω ἰδω*, id est *animum oblecto*; sed eodem redit sensus.

Quæres, quodnam *fidei donum electum* hic promittatur spadoni voluntario, puta virgini? primo, Lyranus accipit *fidei donum* omnibus electis commune; secundo, S. Bonaventura et Vatablus accipiunt *fidem*, non quamlibet, sed efficacem et eminentem, quæ in spe beatificat, esto necdum in re, atque ex Dei electione datur, ac homines efficit perfectos; tertio, Cantacuzenus accipit collocationem ad dexteram Christi in die judicii, hoc enim est proprium et eximium electorum donum; quarto, Dionysius accipit donum puritatis internæ et interioris profectus; quinto, magis plane et genuine noster a Castro explicat, q. d. Ut fides, id est fidelitas ejus in Deum, qua contra tentationes carnis, quæ creberrimæ et vehementissimæ sunt, constanter dimicavit, coronetur insigni et exquisita gratia Dei, quam explicat dum subdit : « Et sors in templo Dei acceptissima, » græce, *gratior et jucundior*. Hæc ergo sors et gratia electa, promissa virginibus, est peculiaris sensus et gustus rerum spiritualium, cælestium et divinarum, quem Deus eis impertitur : congruum enim est, ut qui amore Dei privant se voluptatibus carnis, spiritus consolationes persentiscant, ut qui hominem sponsum renunt, sponsum accipiant Deum et Christum, ut qui liberos a se abdicant, angelorum et sanctorum consortio fruuntur : sic enim fruuntur virgines, quæ in templis et oratoriis vacant orationi, lectioni, concioni, meditationi rerum cælestium, ac piis operibus. Hæc est beata sors Magdalene, quam ei attribuit Christus, dicens *Luc. X, 42* : « Optimam (id est sanctissimam, perfectissimam, summe meritoriam æque ac jucundissimam) partem

Donum
 electum
 virgi-
 nis quod?

sibi elegit Maria, quæ non auferetur ab ea. »

Donum electum virginum et conjugum, quodnam?

Gratia ergo electa virginum est, vita et conversatio angelica, qua liberi et vacui cura conjugum, filiorum, ancillarum, quietam agunt vitam in Dei obsequio et cultu, ubi crebro sentiunt multitudinem dulcedinis Domini, delicias charitatis, gloriam conscientiae, pacem et gaudium spiritus: quæ est unctio docens de omnibus, et manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit, juxta illud Apostoli, I *Corinth.* VII, 34: « Virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro; » et mox virginitatis fructum et mercedem affert: « Quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi, » vel, ut alii legunt, *observandi*, quod sane est donum electum, imo angelicum, quod summam in cælis laudem et gloriam promeretur; unde Holcot et Lorinus per *donum electum* accipiunt peculiarem coronam virginum, quæ *aureola* dicitur, hæc enim dabitur fidei, id est fidelitati eorum, qua respicientes omnes maritos terrenos, uni Christo ceu sponso, fidem castitatis dederunt et servarunt, juxta illud, II *Cor.* XI, 2: « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Hinc rursum *fides* hic proprie accipi potest, virgines enim, quæ tota vita se continent, et assiduos carnis insultus mortificando strenue pro castitate decertant, merentur *fidei donum electum*, id est eximiam rerum cælestium, quas fide credimus, cognitionem, amorem, sensum et gustum, ut jam explicui. Denique *fidei donum electum* posse tribui, non solis virginibus, sed et conjugibus illiberis, utrosque enim opponit et anteponebat adulteris, prole adulterina abundantibus: conjugii enim et conjugum *donum electum* est triplex, scilicet fides, proles et sacramentum: *fides* est fidelitas et conjugalis amor, qui supplet defectum *prolium*, unde Elcana dicebat Annæ uxori sterili, I *Reg.* I, 8: « Numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii; » *sacramentum*, quia conjugium in nova lege est sacramentum, et gratiam confert: verum *donum electum* magis proprie et plene competit virginibus.

Sors virginibus promissa, quænam?

ET SORS IN TEMPO DEI ACCEPTESSIMA. — Quænam hæc sors virginibus promissa? Aliqui hanc sortem interpretantur peculiarem curam, et singulare Dei patrocinium; verum hæc mystica est sors. Litteralis ergo est illa, quam dixi, scilicet peculiaris gratia, quæ datur virginibus, ut aveant et gustent totæ servire Deo, ideoque ire de virtute in virtutem, ut animas suas perficiant, quo plene placeant sponso suo Deo et Christo, quæ est sanctissima, æque ac quietissima et jucundissima sors et vita Magdalene, uti jam exposui. Alludit ad eunuchos per naturam: hi enim velut exsecti, mutili et semiviri, ecclesia mosaica arcebantur, *Deuter.* XXIII, 1, uti etiamnum jure canonico arcentur sacerdotio. Sensus est, *q. d.* Eunuchi per naturam arcentur templo Dei; at ego

eunuchos per virtutem et gratiam in meo templo, id est in mea Ecclesia, tum militante, tum triumphante, velut primos primo optimoque loco collocabo: in Ecclesia enim militante a Christo, apostolis et Patribus, virgines præferuntur viduis et conjugatis; unde a Tertulliano, lib. *De Pudicitia*, S. Cypriano, S. Athanasio, S. Basilio, ac S. Chrysostomo, tract. *De Virginitate*, status virginum vocatur, *flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis, flos ecclesiastici germinis, gaudium prophetarum, gloria apostolorum, angelorum vita, corona sanctorum, beata species Deoque digna, cui nihil comparandum, angelica corona, super hominem perfectio*. De Constantino Magno refert Eusebius, lib. IV *Vitæ* ejus, ipsum virgineum chorum tantum non adorasse; istic se habere Deum, cui puellæ se devoverunt, arbitratur.

Floris Virginitatis.

Alludit ad illud *Isai.* LVI, 5: « Dabo eis (eunuchis, id est virginibus) in domo mea, et in muris meis locum, » hebraice *7' iad*, id est *manum*, hoc est separatam atque selectam sortem, gradum, locum; « et nomen melius a filiis et filiabus. » Quod S. Hieronymus et Cyrillus, ac S. Basilius, lib. *De S. Virgin.*, interpretantur, ut casti non solum in domo Dei habitent, sed ea etiam gloria et dignitatis excellentia illustrentur, quæ omnem splendorem, quem liberorum procreatio et successio afferre potuissent, longe superet: imo, ut docet S. Augustinus, *De S. Virgin.* cap. XXV, gloria quadam propria et excellenti præ aliis sanctis potiantur, quæ a scholasticis *aureola* nuncupatur. Addit noster a Castro, olim spadones et castos in templo præcipuis quibusdam ministeriis fuisse deputatos, uti de Rechabitis ob similem sanctionem asserit Jeremias, cap. XXXV, vers. 19. Videntur ergo cælibes inter levitas et sacerdotes honore et dignitate excelluisse, ac præsertim inter cantores: sicut hodie videmus eunuchos et exsectos in templis, cæteris voce et cantu eminerere, idque innuitur vers. 16, ut ibi ostendam. Rursum apud Judæos in templo erat gynæceum, id est locus honoratus virginum, inter quas præsentata et educata fuit B. Virgo; unde illæ dicuntur excubare ad ostium tabernaculi, *Exod.* XXVIII, 8; I *Reg.* II, 22; II *Machab.* III, 19: ibi enim vacabant orationi, jejuniis, mortificandis passionibus, sanctitati, perfectioni, æque ac operi manuali, texendo, sarciendo, ornando vestes et res templi.

Inter aureolas potior est aureola virginitatis.

Sic pariter apud christianos nemo admittitur ad ministerium templi, ut sit episcopus, sacerdos, diaconus, nisi virgo aut cælebs profiteatur castitatem; in monasteriis vero, quæ sunt semina et templa Dei, solemne ab omnibus fit castitatis votum, quibus proinde mirus honos a regibus et principibus omni ævo tributus legitur. Ut taceam alios, S. Helena imperatrix, Constantini Magni mater, teste Ruffino, lib. II *Histor.* cap. VII, virgines, quas Hierosolymis reperit Deo sa-

Virginitas vel cælibatus requiritur ad ministerium templi.

cratas, ad prandium invitatas tanta devotione curavit, ut indignum crederet si famularum uterentur officiis, sed ipsa manibus suis habitu succincta eis cibum apposuit, poculum porrexit, aquam manibus infudit.

Virgoan-
g. lo for-
tior.

Audi S. Bernardum, epist. 42 ad Henricum Senonensem archiepiscopum, cap. III: « Quid castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus et angelus, sed felicitate, non virtute; sed etsi illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis et loco et tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemniam, morem beatæ illius vindicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubuntur, præbens quodammodo terris cœlestis jam illius conversationis experientiam. » Et mox: « Hoc itaque tantæ pulchritudinis ornamentum digne dixerim sacerdotium honorare, quod dilectum Deo et hominibus faciat sacerdotem: cujus quippe memoria, non in carnis successione, sed in spiritali benedictione sit, reddatque similem in gloria sanctorum, in hac licet adhuc regione dissimilitudinis constitutum. »

In tem-
plis pri-
mo loco
erant vir-
gines.

Rursum in templis olim (uti etiamnum Romæ, et per totam Italiam fit) separatus a viris erat locus feminarum, in eoque primo loco degebant virgines: testis est S. Clemens, lib. II *Constitut. Apost.* cap. LXI: « Adolescentulæ, ait, si sit locus, seorsum maneant, etc., virgines, et viduæ, et anus primæ omnium, vel stent, vel sedeant. » S. Gregorius Nazianzenus in *Somnio Anastasiæ*: « Sanctæ virgines, ait, una cum gravibus matronis e sublimi lecto castissimas sermonibus meis aures inclinabant. » Clarius et nervosius S. Ambrosius ad *Virg. lapsam*, cap. VI: « Nonne, ait, vel illum locum tabulis separatum in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ et nobiles certatim currebant, tua oscula petentes, quæ sanctiores et meliores te erant? Nonne vel illa præcepta, quæ oculis tuis ipse scriptus paries ingerebat, recordari debuisti? Divisa est mulier, et virgo, quæ non est nupta, cogitat quæ Domini sunt, quomodo sit sancta corpore et spiritu, I Corinth. VII, 34; tu autem in contrarium vertens dictum, ita cogitans, ita ageus, ut nec corpore esses sancta nec spiritu: corpore quidem fornicando, spiritu autem virginitatem mentiendo. » Præclare Tertullianus, *De Cultu feminarum*, cap. I: « Cum omnes, ait, templum simus Dei, illato in nos et consecrato Spiritu Sancto, ejus templi antistes et æditua pudicitia est, quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinit, ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat. »

Virgi-
nitas oc-
cupatio

Virginum ergo, præsertim religiosorum et religiosarum, *donum electum*, et *sors in templo Dei acceptissima*, est occupatio nobilissima ac digni-

nissima, puta Deum et sponsum suum Christum et digni-
tas.
assidue contemplari, Deum perfecte amare, cupiditates ressecare, animam omni virtute et sanctitate imbueri et roborare, ut tentationibus, dæmonibus, totique mundo superiores existant, iisque dominantur: quia « judicabunt nationes, et dominabuntur populis. » Hi ergo sunt electi et dilecti, quos Deus, ut perfectos, ideoque charissimos filios singulariter amat; B. Virgo, ut proles pulcherrimas, diligit; sancta Ecclesia, ut pretiosissimas gemmas, quibus illustris et splendida ac decora procedit, cordi habet. Ipsi denique sunt aliis Ecclesiæ filiis meliores et pulchriores, quia curiam Dei ornant, palatium æterni Regis ædificant, et nobilitatem Ecclesiæ constituunt. Vide quo pacto perfectio sit arctissima cogitatio cum Deo, quæ perfectos viros, non utcumque filios Dei facit, sed filios charissimos Dei, et patri simillimos et conjunctissimos efficit. Qui ut filii Dei, et hæredes regni cœlestis, omnibus virtutibus, tanquam regalibus indumentis vestiuntur, cibis delicatissimis sanctorum desideriorum et piarum cogitationum reficiuntur, et angelis velut regiis ministris cinguntur, et patris sui occupatione, scilicet divina contemplatione, delectantur, et nihil aliud quærunt, nisi Dei similes esse, et in omnibus Dei filios et servos ob divinum honorem sese exhibere. Ita noster Alvarez de Paz, lib. IV *De Dignit. perfectionis*, part. I, cap. VIII et IX. Ita et S. Hieronymus in *Isaiam*, cap. LV, et interpretes hoc loco. In Ecclesia vero triumphante virgines proxime sequuntur Agnum quocumque ierit, et cantant canticum novum, quod nemo potest dicere nisi virgo, *Apoc.* XIV, 3; unde de iis subdit: « Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno: » vide ibi dicta.

Denique per *fidei donum electum*, et per *sortem in templo Dei acceptissimam*, possent accipi filii parentum sterilium, quos ob castitatis et sanctitatis meritum Deus parentibus dedit, fecitque gloriosos atque eximios, suos quasi in templo administratos, uti fecit Samuelem, Joannem Baptistam, et Jesum Christum, aliosque de quibus dicam vers. 16: audi S. Gregorium, III *part. Past.* cap. XXIX: « Eunuchi quippe sunt, qui, compressis motibus carnis, affectum in se pravi operis abscindunt; quo autem apud Patrem loco habeantur ostenditur, quia in domo Patris, videlicet in æterna mansione, filiis preferuntur. Audiant quod per Joannem dicitur, *Apocal.* cap. XIV, vers. 4: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocumque ierit. »*

Donum
electum
filii pa-
rentum
steri-
lium.

Porro, quia « vita sanctorum est interpretatio Scripturarum, » ut ait S. Hieronymus, discere ex vita S. Emerici (quam ex Bonifinio et aliis descripsit Surius 5 nov.) quam castitas in templo Dei sit clara et pulchra, quæ non solum illam possidentes, sed et per illos etiam alios atros et spurcos efficiat Deo speciosos et fulgidos: nam S. Emeri-

Mira S.
Emerici
virginitas.

cus, filius S. Stephani primi Hungarorum regis, cum nocte orans in Ecclesia S. Georgii, cogitaret quodnam posset gratissimum Deo munus offerre, ecce cum cœlesti fulgore vox de cœlo: « Præclara, ait, res est virginitas: itaque mentis et corporis virgineam integritatem a te exigo: hanc offeras Deo, et in ea constanti animi proposito perseveres. » Obsecutus est ille, statuitque virgo permanere; verum cum pater juberet ut uxorem forma, genere et moribus spectatissimam duceret, quæ filios regni hæredes pareret, paruit ipse, sed cum uxore quasi cum sorore vixit in perpetua virginitate. Rarum hoc in juventutis flore et regis deliciis puritatis exemplum; sed ipse carnem, ne lasciviret, jejuniis edomabat. Contigit ut Conradus quidam, qui spurcissima et enormia scelera perpetrarat, illorum pœnitens, pontificis jussu loriceam ferream ad nudum corpus astringeret, cum charta, in qua ejus crimina scripta erant, ac varia sanctorum sepulcra viseret, donec lorica solveretur, et scriptura obliteraretur. Cum varia visisset incassum, venit tandem ad sepulcrum S. Stephani, ubi orans ab eo audit: « Surge, amice, et Emerici filii mei monumentum, quod juxta est, adito. Ille, quod carnis servanda integritate præcipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum veniam tibi impetrabit: ex eorum enim numero est, qui non inquinaverunt vestimenta sua sequunturque Agnum quocumque ierit, et ante thronum Dei cantant canticum novum. » Evigilat homo illico, ad B. Emerici sacellum se confert, fundit preces, atque opinione celerius dissiliunt ferrei nexus, charta resignata nullum habet litteræ vestigium: id audiens Ladislaus, Hungariæ rex, honorifice elevari curavit corpus S. Emerici, eumque *Sanctorum Catalogo* ascribi ad diem 5 novembr.

Vers. 15.
Virgini-
um la-
bores
gloriosi
qui?

15. BONORUM ENIM LABORUM GLORIOSUS EST FRUCTUS, ET QUÆ NON CONCIDAT RADIX SAPIENTIL: — *gloriosus*, qui scilicet non tantum ad præsens tempus, sed et in æternum coram Deo et angelis duraturam gloriam conciliat. Virginum labores gloriosi, ideoque gloriosos præmiorum fructus producentes (cujus rei symbolo apud Romanos olim, ad templum Honoris non patebat aditus, nisi per templum Virtutis, teste Plutarcho in *Moral.*) sunt assidue luctæ cum carne, orationes, jejunia, eleemosynæ, studium, doctrina, prædicatio, zelus animarum, quibus vacant virgines, quia rebus terrenis non occupantur, etc.; hinc virginibus a Christo assignatur fructus centesimus, viduis sexagesimus, conjugibus trigesimus, *Matth.* XIII, 23; hinc et Christus noluit virginitatem, utpote rem adeo arduam, præcipere, sed tantum consulere, *Matth.* XIX, 12: « Qui potest, inquit, capere, capiat, » nam, ut ait S. Augustinus, *serm.* 250 *De Temp.*: « Sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna et rara victoria. » Hinc lectulum castum Salomonis ambiunt sexaginta ex fortissimis Israel, *Cantic.* III,

7. Quin et veteres Palladem virginitatis et sapientiæ deam, armatam pingebant. Et Astrologi signum Virginis in cœlo medium collocant inter Libram et Leonem, ut indicent virginitatem indigere leonina fortitudine, et librata temperantia. Vide S. Gregorium, lib. VI, in I *Reg.* cap. I et II. Porro fructus virginitatis sunt ejus præmia et aureola, quæ recensui versu præcedenti.

Fallas
armata,
cur?

ET QUÆ NON CONCIDAT RADIX SAPIENTIL, — græce, et quæ cadere nequit (id est firma et stabilis est) *radix sapientiæ*; dat causam, cur bonorum laborum gloriosus perennisque sit fructus, quia scilicet eorundem radix est sapientiæ, quæ nunquam concidit, nec marcescit, sed semper viva, virens et vegeta fructus hosce progerminat. Per *sapientiam* intellige, non speculativam, sed practicam, puta prudentiam et virtutem, præsertim castitatem et cælibatum: hæc enim juges profert orationis, mortificationis, eleemosynæ aliorumque bonorum operum fructus. Hunc fructum opponit et præponit fructui, id est proli impiorum et luxuriosorum, qui ex alienis uxoribus, vel ex alienigenis (quod lege veteri vetitum erat) proles suscitabant; unde de iis subdit: « Filii autem adulterorum in inconsumatione erunt. » Porro *radix sapientiæ* accipi potest ipsa sapientiæ, uti jam dixi, sicut virtus castitatis est ipsa castitas; vel præcise radix sapientiæ, id est virtutis, est timor Dei, juxta illud, *Eccli.* I, 16: « Initium sapientiæ timor Domini, » vide ibi dicta: hic enim timor non decidit, nec deperit, sed manet in æternum. Aliter noster Lorinus, qui per *radicem sapientiæ* accipit cognitionem Dei et sui ipsius, scilicet scire se nihil esse, nec posse esse castum suis viribus, sed hoc esse donum Dei, ut et cætera omnia: hoc enim practice nosse est radix et causa castitatis, uti docet Sapiens cap. VIII, vers. 31; additque apposite: Recte autem de castitate prius locutus, quæ est *σωφροσύνη*, radicem ejus dixit esse *φρόνησις*. Maxima enim requiritur ad castitatem prudentia et sapientiæ, eaque est ceu radix illius: rursus vero prudentiam atque sapientiam *σώζει*, id est *conservat* et custodit, castitas atque temperantia; unde illud Apostoli, quod legimus *Rom.* XII, 3: « Sapere ad sobrietatem, » *εἰς τὴν σωφροσύνην*, S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinian.* vertit, *ad pudicitiam*; licet S. Augustinus, *epist.* 47, legat, *ad temperantiam*; Irenæus, lib. V, cap. XI, *ad prudentiam*.

Bonorum
laborum
fructus
perennis,
cur?

Posset, *secundo*, per *fructum bonorum laborum* accipi proles sterilium; hæc enim directe opponitur proli adulterorum, *q. d.* Proles, quas Deus subinde dat parentibus sterilibus, sed castis et piis, eo quod noluerunt quærere proles ex alienis vel alienigenis uxoribus, quia hoc lege erat vetitum, sunt gloriosus castitatis et pietatis eorum fructus, ideoque Deus eas solet evahere, facereque prophetas, pontifices, vel sanctos eximios et gloriosos: uti Abrahæ et Saræ sterilibus dedit filium Isaac patriarcham, ex quo prognati

Sterili-
um et
illustra.

sunt Jacob omnesque patriarchæ et Israelitæ, ipseque Christus, qui proinde recte a Deo vocatus est *Isaac*, id est *risus* et *gaudium* parentum, æque ac posteriorum omnium. Sic Deus Manue et uxori sterilibus filium dedit Samsonem, qui fuit robur et vindex Israelis, *Jud. XIII, 24*: sic Annæ sterili dedit filium Samuelem, qui fuit iudex Israelis, ac sub Heli Deo in templo ministravit, *I Reg. I, XX et II, 18*; Zachariæ et Elisabeth sterilibus dedit filium Joannem Baptistam, qui fuit præcursor et index Christi, ideoque in eremo, velut in templo, quasi angelus inter angelos vixit: sic denique B. Virgini non ex natura, sed ex voto virginitatis sterili filium dedit Christum Jesum, qui fuit salvator et redemptor totius orbis. Vide ergo ut Deus sterilitatem castam et sanctam remuneretur fructu, id est prole sancta et gloriosa, quæ Deo velut in templo jugiter assistat, famuletur et obsequatur, uti fecere omnes jam nominati. Ubi nota, omnes qui ex parentibus sterilibus nati fuere, evasisse in viros eximios et gloriosos, utpote dono Dei datos parentibus et mundo, ad ejus salutem: ideoque Deus singulis nomen proprium imposuit, quod officium et gloriam eorum præsignificaret; et hoc est « donum fidei electum, et sors in templo Dei acceptissima, » de qua dixit vers. 14. Hisce jam opponit *fructum*, id est prolem, impiorum qui, cum ex suis uxoribus proles non habeant, vel deformes habeant, quærent contra jus et fas alias pulchras, ut ex iis filios pulchros suscitent. De his ergo ait:

16. FILII AUTEM ADULTERORUM IN INCONSUMMATIONE (ita legendum cum Græcis et Romanis, non in *consummatione*, uti legunt multi, nec inepte, sensus est enim, *q. d.* Cito consummabuntur, id est consumentur et morientur) ERUNT. — Græce est, ἀτελεισταί, quod duo significat: primo, *inconsummati* vel *imperfecti erunt*, ad consummationem vel perfectionem, sive corporis, sive ætatis, sive prosperitatis, non pervenient; secundo, *non initiati, nec sacri erunt*, sed profani; unde Tigurina vertit, *filii adulterorum vero sacris arcebuntur*; sic et Osorius: sensus est, *q. d.* Filii parentum fidelium et castorum solent esse consummati et perfecti, tum in natura, tum in gratia, ideoque sacri et quasi sacerdotes Dei; filii vero parentum adulterorum non semper, sed crebro sunt imperfecti, tum in natura, ut ad plenam perfectamque ætatem non perveniant, ideoque imbecilles, languidi vel manci misere vivunt, ac parum vivaces cito moriuntur; tum in gratia et virtute, ideoque profani et exosi Deo, quasi adulterorum parentum adulterini et impii filii. Sic filius Davidi natus ex adultero cum Bethsabee, a Deo, cita morte percussus est, *II Reg. XIV 18*; Her et Onan filii Judæ luxuriosi nullos genuerunt filios, sed et ipsi celeri nece a Deo mulctati sunt, *Genes. XXXVIII, 7 et seq.*; Abimelech, filius spurius Gedeonis, occidit 70 fratres suos, seque fecit tyrannum Israelis, ideoque paulo post a

muliere interfectus est, *Judic. IX, 53*. Causa duplex est, *prima* divina, quod scilicet Deus hac pœna congrue puniat adulteros; ut in quo peccaverunt, puta in filiorum generatione, in eodem puniantur; *secunda* naturalis, quod adulteri cæterique libidinosi crebro veneris usu spiritus viresque exhauriant, itaque vim generandi debilitent; quo fit ut languidos et debiles, æque ac vitiosos sibi que similes generent filios.

Hunc esse sensum liquet, quia sic se explicat Sapiens cum subdit: « Et ab iniquo thoro semen exterminabitur, » *q. d.* Filii nati ex adulterio, vel ex conjugio cum alienigenis lege vetito, ad plenam et perfectam ætatem non excrecent, non pervenient ad statum et gradum honoratum et stabilem, sed præmature et dedecorose moriuntur. Causam dat Theognis:

Non etenim, *inquit*, e squilla rosa nascitur aut hyacinthus, Sed neque ab ancilla filius ingenuus.

Rursum, exterminabuntur ab Ecclesia Domini, juxta legem, *Deuter. XXIII, 2*: « Non ingredietur mamzer, hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem: » ita a Castro. Sic, ut alios taceam, hoc sæculo Henricus VIII, Angliæ rex, cum ex Catharina uxore sua non posset habere prolem masculam, eam repudiavit, et duxit Annam Bolenam, ex eaque Elisabetham genuit, sed in ea omnis ejus stirps et progenies defecit, etiamsi successive sex duxisset uxores. Sic et principes mystice adulteri, id est apostatæ, puta qui a fide et Ecclesia deficientes fiunt hæretici vel idololatræ, sæpe non habent proles, vel non longævas, quæ in secunda vel tertia generatione deficient, uti contigit Zamri, Osee, Jehu et aliis regibus Israel idololatris. Lege lib. III et IV *Regum*. Idem hoc sæculo fieri vidimus in nobilissimis familiis. Quocirca Optatus Milevitanus, lib. IV *Contra Parmen.*: « *Filii adulterorum inconsummati*: hoc, *inquit*, de hæreticis dictum est, apud quos sunt sacramentorum falsa connubia, et in quorum thoris iniquitas inventum, ubi in exterminium fidei corrupta sunt semina: dum Valentinus Filium Dei in phantasmate, non in carne fuisse contendit, fidem suam suorumque corrumpit. Nativitatis eorum semen exterminatum est, qui non crediderunt Filium Dei in carne natum de Virgine Maria, et passum in carne. »

Porro Gratianus, dist. 58, can. XII *Cenomanensem*, sic legit, sicque explicat, *q. d.* Filios adulterorum, utpote vitiosos, juxta canones, non esse sacris initiandos: sic enim ait: « Quod autem vitium originis semini imputari negatur, videtur esse contrarium illi sententiæ: *Adulterorum filii abominatio sunt Domino*; sed, sicut supra dictum est de presbyterorum filiis, ita et hoc de filiis adulterorum intelligendum videtur, ut illi dicantur esse *abominatio Domino*, ad quos paterna flagitia hæreditaria successione descendunt. » Unde

Filii adulterini præmature moriuntur.

Filii adulterini imperfecti.

Et sacris initiari nequeunt.

ibidem cap. IX, scribit S. Bonifacius martyr Anglorum regi, vitia adulterorum in proles proseminari: « Si gens Anglorum, inquit, spretis legalibus connubiis, adulterando et luxuriando, ad instar Sodomiticæ gentis fœdam vitam duxerit, de tali commixtione meretricum æstimandum est degeneres populos, et ignobiles, et furentes libidine fore procreandos, et ad extremum universam plebem ad deteriora et ignobiliora vergentem, et novissime nec bello sæculari fortem, nec in fide stabilem, nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse venturam, sicut aliis gentibus Hispaniæ, et Provinciæ, et Burgundiorum populis contigit, quæ sic a Deo recedentes fornicatæ sunt, donec vindex talium criminum ultrices pœnas per ignorantes legem Dei, id est per Saracenos, venire et sævire permisit. »

De Christi genealogia solvitur objectio.

Objicit S. Justinus, Quæst. LXXVIII ad *Orthod.*, qua ratione vera sit hæc sententia, cum genealogia Christi ducatur ex David adultero? Respondet David pœnituisse, atque Uriæ defuncti relictam viduam, quam prius, vivente viro, violaverat, uxorem duxisse, Deumque pœnitentiam David eo quoque modo honorare voluisse, ut mentio nominatim fieret uxoris quondam Uriæ. S. Ambrosius vero, *De Joanne Baptista*, serm. 65, adulterorum filios non initiatos, ut ipse pariter legit, interpretatur viles, spurios et infames: agens enim contra concubinariorum sic scribit: « Sed dicit aliquis: Uxorem non habeo, ideo mihi ancillam sociavi. Audi quid dicat Scriptura ad Abraham, *Genes. XXI: Ejice ancillam, et filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Si igitur ancillæ filius hæres non est, ergo nec filius est. Cur autem quæritur tale conjugium, de quo susceptus filius nec successionis possit hæres esse, nec sanguinis? nec enim habere potest hæreditatis consortium, qui non habet originis privilegium. Cur, inquam, quæritur tale contubernium, de quo nati non filii sunt matrimonii, sed testes sint adulteri? cur hujusmodi suscipiuntur adulteri qui patri pudori sint, non hõnori? Dicit Scriptura, *Sapient. III, 16: Adulterorum filii in consumptione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur.* Mulier igitur tua si talibus moribus prædita est ut mereatur consortium, mereatur et nomen uxoris: præsta concubinæ tuæ libertatem et nomen uxoris, ne tu adulter sis potius quam maritus. »

Multitia et pena adulterii.

ET AB INIQUO THORO SEMEN EXTERMINABITUR. — *Iniquo*, id est injusto, puta adulterino: adulterium enim est contra justitiam, adulter enim corpus ex justitia debitum addictumque uxori, illi subtrahit, datque adulteræ: quare uxori gravem facit injuriam: rursum, *iniquo*, græce *παράνομον*, id est *illicito* et lege vetito, qualis est copula soluti cum meretrice vel alienigena et idololatra, quæ licet non sit contra justitiam, lege tamen Dei est prohibita, utpote nocens educationi prolis ac bono reipublicæ. Unde S. Hiero-

nymus in *Ose. cap. IX*, legit, *ex iniquo concubitu semen peribit*; Vatablus, *ex illegitimo concubitu semen adolebitur*; Osorius et Carthusianus, *conjugati adulteri privabuntur prolis fœcunditate*, aut si quæ proles eis nascatur, infelix vivet, et interibit immatura: ita sæpe fiebat olim et etiamnum fit, at non semper, ob alia secreta Dei iudicia.

Porro hæc sententia vera est, non tantum in adulterinis filiis, sed et in legitimis: sæpe enim ex hac lege sterilitatis a Deo lata contra adulteros fit, ut qui ex alieno thoro filios querit, neque ex suo quidem suscipiat: sic *Genes. XX, 18* « concluderat Dominus omnem vulvam domus Abimelech, propter Saram uxorem Abrahæ, » quam sibi vindicarat Abimelech: quare si adulter fuerit rex, regno dejicietur posteritas; si castus, proles in regno firmabuntur. Ita non raro fit.

17. ET SI QUIDEM LONGÆ VITÆ ERUNT, IN NIHILUM COMPUTABUNTUR (*q. d.* Impii et adulterini impiorum adulterorum filii, si quando diutius vivant, sintque longævi, nullius tamen erunt pretii, viles et abjecti), ET SINE HONORE ERIT NOVISSIMA SENECTUS ILLORUM, — *q. d.* Quo diutius vivent, eo magis erunt inhonorati et dedecorosi, tum quia cum ætate crescit eorum impietas et infamia; tum quia, cum juxta legem, *Deuter. XXIII, 1*, velut infames repellantur ab Ecclesia et societate cæterorum Israelitarum, quo diutius vivent, diutius majusque erit eorum dedectus, infamia et probrum, præsertim quia senectus ipsa tot miseris onusta, per se solet esse despicibilis et contemptibilis; cui si accedat ignominia natalium æque ac morum et vitæ, duplex, imo triplex et quadruplex consurget turpitudinis et infamiae: candorem enim argentiæ quasi canitie plumbo, imo cæno inspergunt turpitudinis. Hinc S. Hieronymus in *Osee. cap. IX*, sic legit, *cum longi fuerint temporis, reputabuntur in nihilum, et ignobilis in novissimis erit senectus eorum.* Vere Ecclesiasticus, cap. *XXV*, vers. 3: « Tres, inquit, species odit anima mea, et aggravor (nauseo et indignor) valde animæ illorum: pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum et insentatum, » græce, *senem adulterum et immutatum intellectu*, quales fuere senes illi, quos increpat Jeremias, cap. *XXIX*, vers. 22, et illi insidiantes Susannæ, *Daniel. XIII, 10*.

Egregie hanc gnomen pertractat S. Fulgentius, *epist. II*, cap. III et IV, ubi Gallam de morte mariti juvenis consolatur: « Tales, inquit, quantumlibet longævi moriantur, acerbo funere demerguntur, et quamvis ætas eorum matura videatur in corpore, mortifera tamen mundi dilectio, immaturæ mentis acerbiter retentat in corde; christianus autem, qui in timore Dei vixerit, quacumque fuerit defunctus ætate corporis, non acerbo funere mergitur, sed placita Deo subnixus maturitate transfertur: legitimus namque in eodem Sapientie libro, cap. IV, vers. 9: *Quia senectus*

Bonus christianus et juvenis non mergitur acerbo funere.

honorabilis est non diuturna, neque numero annorum computata: cani sunt autem sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. » Et inferius: « Sicut enim vita mala, quanto magis fuerit temporaliter prolongata, tanto magis delinquentibus multiplicat pœnam: sic vita bona, quamvis hic brevi tempore terminata, magnam sempiternamque conquirat bene viventibus gloriam. Vita igitur mala immaturos acerbosque senes dimergit in tartarum; vita vero bona defunctos juvenes maturos perducit ad regnum. »

Vers. 18.

18. ET SI CELERIUS DEFUNCTI FUERINT, NON HABEBUNT SPEM, — melioris, honoratioris et felicioris vitæ, quia cum in vita vixerint impie et infamiter, nullam post mortem sperare possunt aliam mercedem, nisi supplicium et opprobrium sempiternum in gehenna, juxta illud, *Isai. LXVI, 24*: « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur: et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. »

Nec in die agnitionis (græce διαγνώσεως, id est *dijudicationis*, discretionis, examinis, animadversionis, condemnationis, puta in die judicii, quo causa cujusque cognoscetur et dijudicabitur, ac pro meritis condemnabitur) ALLOCUTIONEM. — Græce παραμύθησις, id est *consolationem*, q. d. Non habebunt impii in die judicii ullam allocutionem, qua vel sua scelera excusent, vel eorum supplicium deprecantur, vel suas miserias consolentur: nec enim ipsi loqui pro se poterunt, nec quis alius pro eis loqui audebit; sed omnes obmutescent et obstupescunt: erunt enim ab omnibus omnino hominibus et creaturis deserti, imo omnibus invisi et exosi, ideoque in summa rerum desperatione: omnis enim creatura consurget contra impios ad vindicandam injuriam sui Creatoris, juxta illud, cap. v, vers. 21: « Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. » Magna hæc erit damnatorum afflictio, cum nec a Christo, nec a B. Virgine, nec ab angelis, nec ab amicis, nec a parentibus, nec ab ullo mortali vel verbum unicum blandæ allocutionis aut consolationis accipient. Sic *allocutio* pro consolatione, ac doloris lenimine, vel medicamento accipitur a Seneca in *Troad.*:

Alios parentes alloqui in luctu decet.

Ubi vide nostrum Delrio, qui plura hujus significationis affert testimonia. Et a Catullo in *Hendec. ad Cornific.*:

Qua solatus es allocutione.

Porro S. Fulgentius, *epist. II, cap. III*, pro agnitionis legit, *magnitudinis* (nescio unde), sicque pie et pathetice explicat: « Non habebunt spem, nec in die magnitudinis allocutionem. Quæ est autem dies magnitudinis, nisi dies in qua non judicandus, sed judicaturus veniet Dominus? Nunc enim, cum venit ut pro nobis judicaretur, non fuit dies magnitudinis, sed minorationis, in qua minoratus est paulo minus ab angelis; tunc autem erit dies magnitudinis, quando secundum Joannis attestationem *Apocal. VI, 17* omnes mali abscondi cupient in cavernis montium, dicentes montibus et petris: *Cadite super nos, et abscondite nos a conspectu Patris sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ illorum, et quis poterit stare?* In hac die magnitudinis, mali non habebunt allocutionem, sed increpationem: non enim audient, *Matth. XXV, 34*: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi*; sed dicetur eis, *ibid. vers. 41*: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* »

Vers. 19.

19. NATIONES ENIM INIQUÆ DIRE SUNT CONSUMMATIONES, — id est diri fines, diri exitus, q. d. Impiorum fines et exitus sunt acerbissimi, tristissimi, funestissimi, quia fulminante Christo sententiam damnationis, ibunt in mortem præsentem et æternam, puta in gehennam et ignem æternum. Minus recte nonnulli codices legunt, *nationes enim iniquæ diræ sunt consummationis*, licet eodem redeat sensus. Adde adulterium a plerisque gentibus, etiam hæreticis, quin et ab infidelibus, morte puniri, uti ostendit Tiraquellus, *leg. 13 connub. num. 6* et seq.

Porro harum omnium minarum et pœnarum, quæ hic impiis et adulteris intentantur, exemplum illustre est in filiis Heli, quos propter incestas libidines, adulteria, sacrilegia, Deus cum patre Heli hisce pœnis mulctavit, *I Reg. II, 32*: « Ecce dies veniunt, inquit, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel: et non erit senex in domo tua omnibus diebus. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed ut deficiat oculi tui, et tabescat anima tua: et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni et Phinees: In die uno morientur ambo. »

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit castam piamque sobolem præferre incestæ et impiæ, quod illa sæpe longæva sit, honorata et prospera; hæc brevis ævi, infamis et infausta: esto enim casti justique subinde morte cita præoccupentur, ac velut flos purpureus aratro succidantur, tamen excipit eos melior vita, ac major fama et gloria. Quare ætas senectutis est vita immaculata, et justus consummatus in brevi explevit tempora multa.

1. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius: quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. 2. Cum præsens est, imitantur illam: et desiderant eam cum se eduxerit, et in perpetuum coronata triumphat incoinquatorum certaminum præmium vincens. 3. Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, et spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. 4. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, a vento commovebuntur, et a nimietate ventorum eradicabuntur. 5. Confringentur enim rami inconsummati, et fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti. 6. Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiae adversus parentes in interrogatione sua. 7. Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. 8. Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, 9. et ætas senectutis vita immaculata. 10. Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est. 11. Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. 12. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia. 13. Consummatus in brevi explevit tempora multa: 14. placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia: 15. quoniam gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius. 16. Condemnat autem justus mortuus vivos impios, et juvenus celerius consummata longam vitam injusti. 17. Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, et quare munierit illum Dominus. 18. Videbunt et contemnent eum: illos autem Dominus irridebit: 19. et erunt post hæc decedentes sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, et commovebit illos a fundamentis, et usque ad supremum desolabuntur: et erunt gementes, et memoria illorum peribit. 20. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.

Vers. 1.

1. O QUAM PULCHRA EST CASTA GENERATIO (id est casta natio, puta casti homines, hos enim opponit nationi pravæ, de qua cap. præcedenti, vers. ultimo: ergo significat omnes genitos, sive natos) CUM CLARITATE! — Græce, *καλοῦσθαι ἀρετῆν μετὰ δόξης*, hoc est, *melior est orbitas sive carentia filiorum cum virtute*; melius est esse illiberem, id est sine liberis, et virtute præditum, scilicet quam habere liberos ex adulterio, adulterinos et improbos, uti præcessit; unde S. Ambrosius, lib. I *De Virg.*, legit, *melior est sterilitas cum virtute*; S. Hieronymus in *Ose. cap. ix*, *melius est filios non ha-*

bere cum virtute; S. Cyprianus, lib. *De Singular. Cleric.*, *melius est esse sine filiis cum claritate*; Syrus, *melius est esse sine filiis cum gloria*; Arabicus, *res præclara privatio filiorum cum virtute*. « Integritas, ait B. Petrus Chrysologus, *serm. 146*, est cæleste consortium; virginitas juncta Christo copula est virtutis. » Virgines ergo sunt angeli terrestres et homines cælestes, ideoque sponsæ Christi. Noster pro ἀρετῆν videtur legisse ἀπεργονία, id est *casta generatio*, vel castitatis, aut castorum generatio, licet enim hæc vox composita Græcis non sit in usu, simplicia tamen, ex quibus com-

ponitur, sunt usitata: auctor enim libri hujus multas voces novat, noveque componit. Sane videtur Noster aliud habuisse græcum exemplar diversum a modernis, nam moderna non habent exclamationem *o*, nec *quam pulchra*.

Melior castitas quavis fecunditate. Aut potius Noster solenter per *orbitatem filiorum* intellexit, non nudam orbitatem et sterilitatem: hæc enim non est pulchra, sed potius deformis; prudenter ergo adverte sterilitatem ex virtute, puta ex pulchra castitate, manantem; unde vertit, *O quam pulchra est generatio casta*, id est natio, *q. d.* O quam pulchri sunt homines casti! o quam pulchra est castitas et cæsus, sive ii sint conjuges, sive cælibes et virgines! Sapiens enim per antithesin hic opponit et anteponit castos steriles adulteris prole abundantibus: casti enim cum virtute, id est ex virtute, puta ex amore castitatis, vel conjugalibus, vel virginalibus, malunt orbari filiis, quam perdere virginitatem, aut se polluere adulterio, esto ex eo liberos sperare possent: horum enim virtus, puta castitas et virginitas, clarior et illustrior est omni laude et gloria, quam sperare possent ex filiis. Sensus ergo est, *q. d.* Melius, id est præclarior, laudabilior et gloriosior est carere filiis, si iis careas ex virtute, puta ob amorem castitatis, qua non vis adulterari aut perdere virginitatem, quam prolem habere copiosam adulterinam et improbam: ita S. Ambrosius, lib. I *De Virgin.*, ubi hanc gnomen applicans virginibus, sic videtur explicare, *q. d.* Melior est sterilitas, id est melior est virginitas: quia enim illo legis veteris ævo ob expectationem Messæ, quem singuli ex sua stirpe nasci optabant, sterilitas erat probrum, censebaturque maledictio et infamia; fecunditas vero æstimabatur benedictio et gloria; hinc multi, qui uxores habebant steriles, ut ex eis suscitare filios non possent, divertebant ad alias, etiam alienigenas et idololatras, ut ex iis proles procrearent. Horum insipientiam et perversitatem redarguit hic Sapiens, docetque longe præstantiorem esse castitatem quamlibet, etiam illiberam et orbam, quavis fecunditate et prolibus, præsertim spuris, adulterinis et improbis, eo quod castitas sit virtus illaque ximia, fecunditas vero adulterina ingens sit vitium et scelus; unde pudicitiam et puritatem Ægyptii hieroglyphice denotabant per ignem et aquam, quod his elementis omnis lustratio fiat et expiatio, ait Horus Apollo, lib. II *Hierogl.* cap. xli. Jam quantum castitas illustrat et quasi inargentat hominem, tantum libido conspurcat et deturpat: quam enim gloriosa est puritas, tam probrosa est impuritas, quæ ex hominibus facit sues et porcos, uti docet S. Basilias in *Psalm.* i. Sensus ergo est, *q. d.* Filius vel filia est pulcher facie, at castus et virgo pulchrior est virtute: filia decora est vultu, at sæpe indecora et impudica mente; virgo vero et vultu speciosa est; et mentis virginitate longe speciosior. Pulcher pater pulchrum sibi que similem sæpe ge-

nerat filium, juxta illud Virgillii, VI *Æneid.*:

Teucris pulcherrima proles.

Et libro VII:

Satus Hercule pulchro.

Et libro IV:

Quo pulchrior alter
Non fuit Æneadam.

At hanc pulchritudinem corporis sæpe deturpat deformitas libidinis: nam «lis est cum forma magna pudicitiae,» uti deturpavit filias Augusti imperatoris, de quo Suetonius in ejus *Vita*: «Cujus felicitatem, inquit, infelicem fecerunt filia, neptis et nepotes; adeo ut ipse ad eorum mentionem proclamare soleret utile esse sine nuptiis manere, et absque liberis interire; appellare quoque illos vomicas et carcinomata sua.» Quæ ratione Euripides dixit, «ἀ-εὐχὴ», id est *carentem liberis*, infortunio esse felicem.» Ruben, *Genes.* xlii, 3, dicitur *principium*, seu *præcipuum et caput* doloris patris, quia paterni thori violator fuit.

Audi Tertullianum, lib. *De Bono pudicitiae*, Epitheta pudicitiae et impudicitiae. cap. i: «Pudicitia, ait, flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis; quanquam rara, nec facile perfecta, vixque perpetua, tamen aliquatenus in sæculo morabitur, si natura præstruxerit, si disciplina persuaserit, si censura compresserit.» Tertullianum seu magistrum secutus more suo S. Cyprianus, lib. *De Bono pudic.*: «Pudicitia, ait, est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiae caput, etc. Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo: hæc expugnat omnia de membris illicita desideriorum prælia, pacem nostris corporibus inducit: beata ipsa, et beatos efficiens.» Et paulo post impudicitiae hæc dat epitheta: «Pudicitatum infesta rabies, incendium conscientiae bonæ, mater impoenitentiae, ruina melioris ætatis, contumelia generis, expugnans sanguinis et familiarum fidem, alienis affectibus suos inserens filios, in aliena testamenta sobolem ignoti et corrupti generis inducens.» S. Gregorius Turonensis, lib. *De Gloria Confess.* cap. cvi, narrat se vocatum ad exequias S. Radegundis tum defunctæ, aitque de ea: «Sancta facies Radegundis de feretro ita fulgebat, ut liliorum rosarumque sperneret pulchritudinem;» et cap. li, narrat de S. Severo presbytero liliam ab eo templo oblatam, cum per totum annum jam esset aridum; tamen recurrente ejus transitus anniversaria die in vere, quotannis revirescere et refflorere solere.

Porro cum triplex sit castitas, scilicet conjugalibus, virginalibus, quælibet præstat fecunditate et filiis adulterinis ac infamibus: cas-

Elogia triplicis castitatis.

titas enim conjugalis pulchra est, vidualis pulchrior, virginalis pulcherrima : de conjugali hanc gnomen accipiunt Lyranus et Holcot, cæteri de virginali, ut S. Cyprianus (vel potius Origenes, ut censet Pamelius) tract. *De Singul. Cleric.*, S. Ambrosius, lib. I *De Virgin.*, S. Bernardus, *epist.* 42, Petrus Blesensis, *epist.* 36; imo Ecclesia in *Offic. SS. Virgin.* : sic et Cantacuzenus aliique interpretes hic. Hinc S. Aldhelmus, lib. I *De Virg.*, narrat angelum triplicem castitatem, scilicet virginalem, vidualem et conjugalem, hisce gradibus discriminasse, « ut sit virginitas aurum, castitas argentum, jugalitas (conjugium) ærumentum; ut sit virginitas divitiæ, castitas mediocritas, jugalitas paupertas; ut sit virginitas pax, castitas redemptio, jugalitas captivitas; ut sit virginitas sol, castitas lucerna, jugalitas tenebræ; ut sit virginitas dies, castitas aurora, jugalitas nox; ut sit virginitas regina, castitas domina, jugalitas ancilla; ut sit virginitas patria, castitas portus, jugalitas pelagus; ut sit virginitas homo, castitas semiviva, jugalitas corpus; ut sit virginitas purpura, castitas rediviva, jugalitas lana. »

Apolo-
gus fructus
et
floris.

Hanc gnomen insigni rosæ, lilii et ficus apologo graphice representat Cyrillus, lib. IV *Apolo-
g. moral.* cap. VIII : « Rosa, inquit, et lilium juxta ficulneam sunt exortæ; quæ cum expandissent floribunda folia nitore splendentia, et rorem suavitatis manantia, aromaticique odoris fragrantiam effudissent, et illa floris luce orbata acerbum in fructum pariter pullulasset, invidentiæ lacte pruriens mox invectivam proposuit, dicens : Post tam amœnam rutilantiam floridam, ubi fructus vestri? vanum quippe est florere sine fructu. Siquidem ligat natura sagax fructum in flore, et ob ipsum vernantem florem germinat. At illæ, mox radicem eloquii subodorantes, pacifica ratione dixerunt : Bene scimus quod propter prurimum generationis perdidisti gloriam floris, et ideo jam exspoliata es foliis, dum sic loqueris. Nempe fructum paris dulcissimum, sed tamen pateris in radice prurimum, quo florem amisisti. Nobis autem ex plena puritate et suavitate substantiæ, flos ipse fructus est; unde in nobis flos et fructus minime distinguuntur, quoniam redundante puritatis flore, et odoriferæ sublimitatis humore in nobis idipsum factum est flos et fructus. Nonne vapor terræ purissimus, totus floridum in aurum concrevit, et ros dulcissimus cœli virginitate vernante in margaritam congemmascit? Igitur rosa, et lilium, et flores fructiferi, et fructus floridi sunt. » Deinde plura in laudem virginitatis subjiciens, eandem comparat lilio, rosæ, magneti, sapphiro, smaragdo : « Fructus, inquit, est dulcissimus, decor præstantissimus, odor suavissimus, valor totus : nimirum ipsa est naturæ ac virtutis clarissima gemma, summa temperantia, perfecta victoria, spiritus supra germen, gloria tota. Ut rosa igitur

Virginitas
est
flos et

fragrans, et lilium rutilans est sancta virginitas, flos et fructus; ad cujus quidem fragrantiam unicornis attractus suaviter currit, cujus dulcedine ferocitas ejus mansuescit, cujus puritate validissima ejus potestas delectata, quasi victa in nitido gremio virginali, reverentialiter prostrata recumbit. O virtus magnetica virginitatis, ad se trahens naturam! o sapphirus mirabilis castitatis, omnem fugans et destruens famam venenosam! o smaragdus rutilans perpetuæ viriditatis, puritas inviolatæ integritatis amatrix, fetidam Veneris nullatenus patiens corruptelam! Ad hæc ficulnea stupefacta conticuit. »

Vis pulchritudinis sanctæ virginitatis specimen et speculum? S. Pulcheria Augusta filia Arcadii imperatoris virgo fuit perpetua et gloriosa, utpote quæ Theodosium imperatorem fratrem suum juniorem, in pietate omnique virtute ad regimen educavit, eoque mortuo ipsi succedens in imperium, nupsit Marciano, eumque creavit Augustum, ut majori auctoritate regnum administraret; sed virginitatem, quam antea Deo voverat, in matrimonio conservavit, ac totam se fidei tuendæ, et hæresi Eutychetis extirpandæ impendit. Quapropter tota Synodus Chalcedonensis ei acclamavit : « Nova Helena, munimen Orthodoxorum, et gloria Ecclesiarum. » Denique quod in imperatoribus rarum est, sua castitate, justitia et sanctitate meruit *catalogo Sanctorum* adscribi die 10 septembris. Talis quoque fuit S. Cunegundis, quæ castitatem pariter cum Henrico imperatore marito suo conservavit, atque in ejus testimonium nudis pedibus illæsa super candens ferrum ambulavit, ac mortuo marito monasterium a se fundatum ingressa, monachamque professa, quindecim annos mira humilitate, abstinentia et pœnitentia traduxit; unde sanctorum fastis adscripta legitur die 3 martii. Nimirum in tanto imperii fastigio castitas, quasi sol toti orbi clarius effulget. S. Elzearius, comes Ariani, cum conjugæ Delphina intactam servavit virginitatem : quocirca D. Mabliana nobilitate et pietate illustris vidit in spiritu sanctum juvenem splendide indutum, per amplam planitiem manibus ferentem vexillum candidum et illustre, cujus elegantia et splendor totum aerem et planitiem illam illuminaret; sequebatur autem eum innumera multitudo hominum cujusvis ætatis, sexus et ordinis. Cumque illa visionis explicationem a Deo posceret, audivit : « Hæc est virginitas et sanctitas Elzearii, quem totus orbis venerabitur, et multi eum sequentur : » ita habet ejus *Vita* apud Surium cap. XVI, ad diem 17 septembris.

Pulchra
virginitatis
exempla.

Præclare S. Ignatius, *epist.* 13 *ad Heronem* : « Virgines, ait, serva, ut pretiosa Christi monilia; » et S. Cyprianus, lib. *De Habitu virginum* : « Flos, inquit, est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctitatem

tem Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiae matris gloriosa foecunditas, quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augetur. » Sic Vestalium virginitas Romanis erat admirationi, cum tamen illa esset emptitia, temporaria, ac fastu plena, ait S. Ambrosius in Symmachum : nam ut ait Naumachus illustris poeta, sed gentilis :

Pulchrum est corpus castum habere, intactamque manere
Virginem, et puris semper cogitationibus delectari, etc.
Permanere quasi reginam imbecillum mulierum,
Oculum splendidum ad eam vitam erigendo,
In qua gloriosae veraque sunt nuptiae, ubi commixta
Divinis verbis, lumine plenas meditationes parit.

Mira S.
Casimiri
et Jacobi
Ledesmae
castitas.

His virginitatis elogiis accensus S. Casimirus, regis Poloniae filius, eam ita adamavit, ut, etiamsi medici assererent eum morbo, quo laborabat, liberari non posse, nisi uxorem duceret, ad idque pater et regni proceres eum urgerent, ipse tamen constanter responderit : « Malo mori virgo, quam vivere non virgo. » Dixit, et fecit, ideoque velut virginitatis hostia, in sanctorum virginum album ab Ecclesia inscriptus est die 4 martii. Fuit ergo ipse velut armelinus, qui a venatoribus luteo aggere circumdatus, mavult capi et mori, quam egredi et foedari; unde cives ejus Lithuani hoc ei anagramma dederunt : « Casimirus, sum ac iris, » in quam scilicet irradians Sol justitiae suum ei castitatis fulgorem afflavit. Et hoc epitaphium :

Sponte cadis, sed amore cadis, Casimire, pudoris.
Mirus, te Christo mirificante, cadis.

Fuit e primis Societatis nostrae patribus P. Jacobus Ledesma, insignis theologus, ac religiosa morum sanctitate conspicuus. Huic sub initium vocationis de perpetuanda castitate formidanti, Brixiae apparuit B. Virgo sole pulchrior, comitata S. Maria Magdalena, S. Catharina Alexandrina, et S. Catharina Senensi, eique donum castitatis per omnem vitam promisit : quae dum in caelum rediret, tres ejus comites jam recensitae hoc carmen suaviter modulabantur : « O quantum est donum castitatis, quod Deus confert pietati ! » ita refert noster P. Franciscus Sacchinus, part. II *Histor. Societ. Jesu*, lib. I, num. 63. Lege vitam S. Juliani et Basilissae conjugum, sed virginum, ac mira hac de re invenies : exstat apud Surium, die 9 januarii. Vide S. Athanasium, Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, Basilium *De Laud. virgin.*, ac Climachum, *gradu* 13, et Casianum, *collat.* XII.

Audi unicum S. Athanasium hac exclamatione tract. *De Virg.* concludentem : « Magna virtus continentia, magna gloria castitas, magna sunt virginitatis praeconia. O virginitatis divitiae incomprehensibiles ! O virginitas corona immarcescibilis ! O virginitas templum Dei et Sancti Spiritus domus ! O virginitas margarita pretiosa

apud multos latens ! a paucis vero vix invenitur. O continentia amica Dei, et apud sanctos laudata ! O continentia vulgo invisita, sed iis, qui te digni sunt, nota ! O continentia mortem et inferos effugiens, et immortalitati adhaerens ! O continentia gaudium prophetarum, et apostolorum gloria ! O continentia angelorum vita, et sanctorum hominum corona ! beatus qui te tenet, beatus qui per patientiam tibi constanter adhaeret, quoniam postquam paululum laboraverit, multa recipiet munera in te. Beatus qui per totum hoc tempus jejunavit, quia in aeterna Hierosolyma habitabit, cumque angelis choreas ducet, cumque sanctis prophetis et apostolis requiem habebit. »

Symbolice, quam pulchra est generatio Christi, tum aeterna et divina, tum temporalis et humana ! utraque enim est casta et virginea, quia aeterna facta est sine matre, humana sine patre ex Spiritu Sancto ; unde Christus in caelis est ἀμήτωρ, id est *carens matre* ; in terris vero ἀπάτωρ, id est *carens patre*. Utraque pariter est clara, imo clarissima ; unde de priori dicitur, *Psalm. cix* : « Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te. » Ita Angelus de Paz, *Expos. in Symbol.* cap. xiv.

CUM CLARITATE. — Graece *cum virtute*, inter quas quia eminet charitas, hinc S. Bernardus et Petrus Blesensis, *epist.* 36, legunt *cum charitate* : audi S. Bernardum, *epist.* 42 *ad Henricum* : « Castitas sine charitate lampas est sine oleo ; subtrahere oleum, lampas non lucet ; tolle charitatem, castitas non placet. Sed, o quam pulchra est (ut Sapiens clamat, *Sapient. iv, 1*) casta generatio cum charitate ! cum illa, inquam, charitate, quam describit Apostolus, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. » Noster vertit, *cum claritate*, quia graecum ἀρετή, et latinum *virtus*, saepe significat vires, robur, excellentiam, praestantiam, celebritatem, gloriam ; unde illud Virgilii :

Tunc pudor incendit vires, et conscia virtus.

Igitur τὴ *cum claritate* accipi potest primo, ut sit idem quod graecum *cum virtute*, virtus enim sola parit laudem et claritatem ; unde a poetis *virtus* saepe vocatur *laus*, uti alibi ostendi. Secundo et genuine, τὴ *cum claritate* idem est quod *clara*, ac jungendum est cum τὴ *quam pulchra*, q. d. O quam pulchra et clara est casta generatio, sive natio ! castitas enim solet sibi sociare ceteras virtutes ; habet ergo laudem, decorem, claritatem et gloriam aliarum virtutum, eo quod sit ἀρετή, id est *robur* et fortitudo martia, quae omnia superat, ac victrix de omnibus cupiditatibus triumphat : quae sane ingens est ejus claritas et gloria.

Mystice, Lyranus accipit *claritatem* conscientiae, quae justis datur, praesertim castis : quocirca experientia constat castitatem esse matrem sapientiae, facereque ut conscientia aequae ac ingenium et mens mira charitate polleat et resplendeat.

Porro graecum ἀρετή, id est *virtus*, indicat casti-

Duplex
Christi
genera-
tio divi-
na et hu-
mana, a-
liaque
casta et
virginea.

Claritas
pro vir-
tute.

Virtutis
etymon.

tatem egere magna fortitudine et robore militari, et quasi martio : ἀρετή enim dicta est ab Ἄρης, id est Mars; virgines ergo sunt quasi martes, qui assidue pro castitate duro ac difficili prælio confligunt : sic et virtus dicta est a vi, et a viro, quasi virilis, castitas enim facit viragines viriles, et quasi viros, ac virili vi omnibus tentationibus mundi, carnis et dæmonis resistit. Sensus ergo est, q. d. Filii, stipantes suos parentes, illis sunt pulchritudini et robori, indeque claritati et gloriae; at major est castitatis et virginitalis pulchritudo, robor et claritas, quam ipsa castis communicat, ut ob hasce tres dotes celebris et gloriosa sit, castosque gloriosos faciat apud Deum, æque ac apud angelos et homines universos.

Denique S. Cyprianus (sive Origenes, ut voluit nonnulli), tractat. *De Singul. Cleric.* paulo ante finem, totum hunc locum citat, et ex eo probat clericos et castitatis studiosos non posse habitare cum feminis : sic enim ait : « Melius esse sine filiis cum claritate; non est sine filiis cum claritate, nisi singularitas sola, quam non solum conscientia sua nullis sordibus maculat, sed etiam nullæ opinioniones suspectæ parilitatis infamant : nam si castitas, quod est difficile, masculinum et feminam pariter in virginitate conservet, non habet claritatem, quia communitas ipsa non potest nisi quibusdam probrositatum tenebris obscurare; singularitas vero ita clara est omnibus et exerta, ut cunctis splendore sui candoris pura manifestetur et lucida. »

IMMORTALIS EST ENIM MEMORIA ILLIUS : QUONIAM ET APUD DEUM NOTA EST, ET APUD HOMINES, — quam proinde nulla temporum, nulla vicissitudinum, nulla sæculorum delebit oblivio; sed ejus memoria et gloria perennis florebit tamdiu, quamdiu Dei et angelorum hominumque omnium durabit æternitas.

Vira im-
mortalitas
in virtute
et Castitate.

Probat castæ generationis, sive nationis et gentis pulchritudinem et claritatem, ex eo quod immortalis sit memoria, et æterna gloria illius apud Deum et homines, quam proinde opponit et anteponit fluxæ et caducæ filiorum propagationi, cujus memoria et fama ad modicum tempus durat, et cum filiis interit. Errant ergo, qui per filios quærunt immortalitatem, ac suum nomen et stirpem æternare satagunt, cum vera immortalitas quærenda sit ex virtute et castitate : hæc enim apud Deum et homines æternam habet laudem et gloriam. Generatione perpetuatur corruptibilem speciem, cum individua perpetuari nequeant, teste Aristotele *De Generat.*; at justique memoria, quin et anima, ejusque felicitas et gloria, perpetuatur in ipso ejus individuo.

Græca significantius habent, ἀθάνατος γὰρ ἐστὶν ἐν μνήμῃ ἀθανάτου, id est immortalitas enim est in memoria illius, scilicet virtutis, quæ præcessit; virtutis, inquam, qua quis sterilis esse præcavit et illiberis, ex amore virginitalis vel castitatis conjugalis, quam ex alienis vel alienigenis filios procreare :

hoc est quod ait Ecclesiasticus, cap. XLIV, vers. 14 : « Nomen eorum (justorum, præsertim herorum, quales sunt virgines et martyres) vivit in generationem et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia; » et cap. XLIX : « Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii; in omni ore, quasi mel indulcabitur ejus memoria, et ut musica in convivio vini; » et Psaltes, *Psalm. CXI*, 7 : « In memoria æterna erit justus. »

ET APUD HOMINES, — tum probos castosque, tum improbos et incestos, qui virgines et castam vitam suspiciunt et admirantur, ut angelicam et divinam, quæ ipsorum omnisque naturæ vires superet et transcendat, ut docent S. Ambrosius, lib. II *De Virg.*, et S. Basilius, *De Virgin. Symbolice* noster Alvarez de Paz, lib. IV *De Dignit. perfect.* parte III, cap. XXXVII, totum hunc locum de justis et sanctis sic exponit : Casta generatio, inquit, non est alia quam multitudo justorum, quæ mente pulchra est, quia gratiæ decore nitet; et corpore casta, quia honestatis nitore emicat; et luce sapientiæ clara, quoniam rerum cœlestium cognitione resplendet : cujus memoria, nec apud Deum, nec apud homines perit; non apud Deum, quia sanctos semper secum habet, et nunquam a proposito eos clarificandi discedit; non apud homines, quia hi celebrem eorum memoriam non deserunt, quos sibi semper patronos apud Deum et mediatores agnoscunt, adeo ut, quia non potest Ecclesia omnium sanctorum festa sigillatim celebrare (sunt enim illi innumerabiles), neque potest omnes perfectos et justos ex nomine cognoscere, aut eorum specialem memoriam habere, dies festos celeberrimos quotannis instituerit, in quibus (jubente Deo) sanctorum omnium choros honoraret, et eos ad memoriam fidelium adduceret. Omnes etiam illos frequenter invocant, dum in supplicationibus publicis canit : « Omnes sancti et sanctæ Dei, intercedite pro nobis. »

Castæ generatio
justorum
multitudo.

2. CUM PRÆSENS EST, IMITANTUR ILLAM : ET DESIDERANT EAM, CUM SE EDUXERIT. — S. Cyprianus legit, *cum se adduxerit*, cum scilicet per martyrium aut mortem castorum vel virginum, castitas vel virginitas cum eis se in cœlum subduxerit : græce est, *desiderant recedentem*, ideoque absentem : sensus est, q. d. Castitas adeo speciosa est, ut, cum se præsentem in castis exhibet, multos trahat ad sui amorem et imitationem; cum vero absens est, sui acuat desiderium : præsentia bona enim sæpe fastidimus, absentia desideramus et studiose requirimus, juxta illud Horatii, III *Carm. Ode 24* :

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis querimus invidi;

et illud : « Minuit præsentia famam. » Verum viris probis castitas cum adest, mirabilis et imitabilis est; cum vero abest, desiderabilis. Exem-

plum est in S. Augustino qui concubinae astrictus, ab ea se expedit per exempla sanctarum virginum. Audi eum, lib. VIII *Confess.* xi: «Aperiatur, inquit, ab ea parte, qua intenderam faciem, et quo transire trepidabam, casta dignitas continentiae, serena et non dissolute hilaris, honeste blandiens, ut venirem, neque dubitarem, et extendens, ad me suscipiendum et amplectendum, pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri et puellae; ibi juvenus multa, et omnis aetas, et graves viduae, et virgines anus, et in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fecunda mater filiorum gaudiorum de marito te, Domine. Et iridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris, quod isti et istae? an vero isti et istae in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, et non stas? Projice te in eum, noli metuere, non se subtrahet ut cadas. Projice te, securus excipiet te, et salvabit te. Et erubescbam nimis.» Quocirca S. Basilius, hom. *De S. Gordio martyre*, ait: «Cum in sanctis voluminibus Mosis vitam, morum lenitatem, nostrae naturae magnopere optatam audimus, statim aemulamur. Joseph dum audimus, aut legimus vitam illius, assequi castitatem magnopere cupimus. Si vero Samsonis narratur historia, ad illius imitandum fortitudinem accendimur.»

ET IN PERPETUUM CORONATA TRIUMPHAT INCOINQUINATORUM CERTAMINUM PREMIIUM VINCENS. — Graece est, ἀμάρτων ἀδίων ἀγῶνα νικῶσα, id est *immarcescibilem vel incorruptibilem certaminum, vel praeiorum* (ἀδίων enim, si ab ἀδία; masculino derives, idem est quod *certaminum*; sin a neutro ἀδίων, idem est quod *praeiorum*, quae certamina merentur *agonem vincens*, q. d. Castitas, ac praesertim virginitas, quia durum agonem certaminum et tentationum libidinis, quibus ingentia et immarcescibilia a Deo praemia proposita sunt, generose vincit, hinc corona gloriae, et laurea sive aureola virginitatis coronata in caelis triumphat. Hinc S. Cyprianus legit, *incoquinatorum certaminum praelium vincens*; ubi nota, *incoquinata certamina accipi possunt impolluta*, quae scilicet cum tentationibus libidinis, multorum corpora et mentes polluentibus, ita ut vix quis eas evadat, illibatus et impollutus, a castis ita suscipiuntur et superantur, ut ipsi prorsus maneant ab iis intacti et coinquinati. Sin veritas, *incoquinatorum praeiorum*, per ea intellige, *immarcescibilem gloriae coronam castis a Deo propositam*, quae nunquam marcescit, nullo mœrore, dolore aut timore inquinatur, polluitur vel maculatur. Addit Petrus Faber, lib. II *Agonist.* cap. xii, et lib. III, cap. iv, *incontaminatos dici agones sanctarum virginum*, qui Deo dicantur, ut distinguat eos a contaminatis agonibus, qui in honorem deorum, id est daemnonum a gentilibus celebrantur.

Noster pro ἀγῶνα, id est *praelium*, vertit, *pra-*

mium metonymice, quia in agone agonothea vincenti certamen, sive praelium, bravii loco proponebat praemium, q. d. Castus et virgo in tam periculoso tentationum carnis agone praelium vincens, praemium reportat, scilicet coronam gloriae, cum qua in aeternum triumphat. Posset quoque per hypallagen sic exponi: «Incoquinatorum certaminum» vel «praeliorum praemium vincens,» id est incoquinatorum praemiorum certamen vel praelium vincens: sic *Psal.* xviii, 6, dicitur: «In sole posuit tabernaculum suum,» pro, *in tabernaculo suo posuit solem*; et *Psal.* xxxii, 7: «Ponens in thesauris abyssos,» pro, *ponens in abyssis thesauros*. Sic alibi dicitur: «Misit civitatem in ignem,» pro, *misit ignem in civitatem*; et: «Calceamenta habebitis in pedibus,» pro, *habebitis pedes in calceamentis*, sive *calceatos*, Exod. xii. Quomocumque veritas et exponas, eodem semper redibit sensus. De corona sive aureola virginitatis vide D. Thomam, et S. Bonaventuram, caeterosque scholasticos in IV, dist. 33.

Audi virginum, ideoque martyrum, gloriosas coronas et triumphos celebrantem S. Ambrosium, lib. III, epist. 23 *ad Eccles. Vercell.* sub finem: «Apud nos, inquit, et puellae de mortis appetentia sublimes, usque ad caelum erexere virtutum gradus. Quid Theclam, quid Agnetem, quid Pelagiam loquar, quae tanquam nobilia vitulina pullulantes, ad mortem, quasi ad immortalitatem festinaverunt? Inter leones virgo exsultavit, et rudentes bestias expectavit intrepida. Et, ut nostra cum Indorum gymnosophistis conferamus, quod ille verbis gloriatus est, S. Laurentius factis probavit, ut vivus exureretur, et flammis superstes diceret: Versa, manduca. Haud degener Abrahamidarum et Machabaeorum concertatus puerorum, quorum alii super flammam canebant, alii cum exurerentur, non rogabant ut parceretur, sed invehantur ut amplius persecutor inflammaretur. Liber igitur sapiens.» Subjicit deinde raram S. Pelagiae fortitudinem: «Quid S. Pelagiae autem sublimius S. Pelagia, quae vallata persecutoribus, priusquam tamen in eorum conspectum veniret, aiebat: Volens morior, nemo me continget manu, nemo oculo protervo violabit virginem! Mecum feram pudorem, mecum incolumem verecundiam; nullum praedones lucrum suae capient insolentiae: Pelagia Christum sequetur, libertatem nemo auferet, nemo captivam videbit liberam fidem, insignemque pudicitiam et prosapiam prudentiae. Quod servum est, hic manebit, nullos in usus debitum.» Dixit et fecit: nam antequam a satellitibus comprehenderetur, ex alto se praecipitans, virgo et martyr evolavit in caelum, uti refert idem S. Ambrosius, lib. III *De Virg.*, S. Chrysostomus et alii.

Audi et triumphos S. Victoriae virginis et martyris: hanc enim hisce verbis ad virginitatem servandam impulit S. Anatolia: «O Victoria, vince diabolum, et esto vera victoria! Ego die qua ex-

Triumpho virginitatis.

Puella
virginitatis
corona.

S. Pelagiae.

S. Victoriae.

plicui pretium ornamentorum meorum in pauperes Christi, vidi per visum juvenem auro diadematum splendidum, in vestibus purpureis atque gemmatis, qui grata facie et læto vultu me inspiciebat ait: O virginitas, quæ morte non vinceris, quæ a morte perpetua liberas! O virginitas, quæ non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris! Virginitas purpura regalis est, quam qui induit, reliquis fit eminentior. Virginitas gemma est pretiosa. Virginitas thesaurus est regis immensus. Huic fures insidias tendunt. Hanc tu evigilans sollicite custodi: quantumque te plus habere cognoscis, instantius custodi ne perdas. » His et similibus verbis et factis incitata Victoria, omne pretium ornamentorum suorum et ipsa distraxit pauperibus: sicque factum est ut, agentibus sponsis earum Aurelio et Eugenio, quia nubere illis virgines Christi noluerunt, a Decio imperatore urbe Roma pulsæ, ad prædia sponsorum ducerentur, ubi fame et inedia ita afflictæ sunt, ut vix ad vesperum modicus panis cibarius eis daretur; nulloque pacto efficere sponsi potuerunt, ut vel ad nubendum, vel sacrificandum animi illarum inclinarentur. Beata igitur Victoria in virginitatis proposito invincibiliter persistens, post multa miracula facta, inter quæ plurimas virgines Domino aggregaverat, percussa est gladio in corde a carnifice Taliarcho, qui leprosus factus, intra sex dies vermibus consumptus exspiravit. Hæc omnia ad verbum habet Ado in *Martyrol.* die 29 decemb.

Quoniam. Huc facit illud S. Hieronymi in *Epitaph. Paulæ*, de duabus coronis, martyrii scilicet et puritatis: « Illa, inquit, corona de rosis et violis plectitur, ista de liliis. » Et illud Prudentii *Peri Stephanon*, hymno 14:

Duplex corona est præstita martyri,
Intactum ab omni crimine virgini,
Mortis deinde gloria liberæ.

Continentia Hinc et gentiles in agone certaturi vino et venere abstinebant, ut fortiores evaderent, et victoriæ coronam reportarent: experientia enim constabat fortiores, si veneri vacarent, a debilibus, si ea abstinerent, superari. Audi S. Paulinum, epist. ad Severum: « Confirmemus, inquit, animam castitate, quam Apostolus docet, quam etiam carnales athlete diligenter tuentur, quo nobis impensiore studio servanda est pro immarcescibili corona illa luctantibus, cum etiam pro temporali et fragili corona decernentibus excolatur; » et S. Ephrem, *De Virgin.*: « Fac sis continentiam animo, vigil spiritu, abstinens cibo, abstinens risu, cogitationum quoque continentiam servans, ut per omnia veluti perfectus athleta innotescas; » et de Iustamine spirituali: « Continentiam habeto, inquit, in habitu, continentiam habeto in cibo, continentiam habeto in lingua; abstinentiam in aspectu, in cogitatu, in risu, ut athleta pietatis perfectissimus in omnibus de-

monstreris: » similia habet S. Basilius, *De Sacra virgin.* Porro virgines a gentilibus florea corona, vel ramis pini (pinus enim est symbolum virginitatis) coronari solitas docet Carolus Paschasius, lib. II *De Coron.*, cap. xv, et lib. VI, cap. xxviii.

Denique virginitas triplex debetur corona: **Virginitas triplex coronæ.** *prima*, virginitatis; *secunda*, nuptialis, quia nubunt Deo: olim enim virgines, dum nubebant, coronabantur; *tertia*, athleticæ, quia instar athletarum difficilem et durum cum luxuria agonem subeunt et superant; hinc omnes pene gentes virgines, dum moriuntur, rosis et floribus coronant: virgo enim est libidinis domitor, dæmonum profligator, passionum et sensuum victor. Cui per omnia quadrat illa Machabæi præclara laudatio I *Machab.* III, 4: « Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione. Et persecutus est iniquos, perscrutans eos: et qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis: et repulsi sunt inimici ejus, et omnes operarii iniquitatis conturbati sunt; et directa est salus in manu ejus. »

MULTIGENA (græce, πολύγονον, id est *multiplex*, Vers. 3. multiplicata, multa) **AUTEM IMPIORUM MULTITUDO NON ERIT UTILIS.** — Est antithesis, q. d. Pii et casti sua virtute et castitate pariunt sibi coronas et triumphos æternos; at turba impiorum, esto plurima, inutilis est, imo sua impietate sibi et proximis noxia: sibi enim accersit ignes et tormenta gehennæ.

Dices: Cur ergo Deus creat homines, quos scit fore impios, et cur eos tolerat? Resp. *primo*, ut in eis ostendat suam justitiam vindicativam, sicut in piis suam ostendit misericordiam per gratiam et gloriam, quam eis elargitur, uti docet Apostolus, *Rom.* ix; utque per justitiam exercitam in impios, pii magis agnoscant misericordiam sibi præstitam, Deoque majores gratias agant. *Secundo*, ut per impios exerceantur, purgentur et perficiantur pii: sic Cain exercuit Abelem, Ismael Isaacum, Esau Jacobum, Pharaon Mosen, Saul Davidem, Aman Mardocheum, etc. Audi S. Augustinum, serm. 52 in *Evang. S. Joannis*: « Præclare, inquit, videtis ergo quia et mali necessarii sunt bonis. In fornace quodam modo aurificis sumus, hoc est in hoc mundo. Si aurum non es, simul ardes; si autem es, palea tua est malus; si et tu palea es, simul eritis fumus. » Et in illa verba *Psal.* LI: « Sicut novacula acuta fecisti dolium: Ecce, ait, quid faciunt bonis mali, capillos radunt, hoc est, ut mox explicat, oblaturus est malus bona temporalia. » *Tertio*, impii piis multa exhibent ministeria circa artes mechanicas, mercimonia, aliasque res temporales quibus excellunt, utpote toti intenti lucris, fabricis, politiæ, etc.

ET SPURIA VITULANINA NON DABUNT RADICES ALTAS, NEC STABILE FIRMAMENTUM COLLOCABUNT. — q. d. Sicut spurie plantæ non agunt altas radices, ideoque cito exarescunt et pereunt, sic adulterorum

Virginitas triplex coronæ.

Vers. 3.

Solvitur obiectio de creatura impiorum.

et impiorum adulterini et impii filii cito deficiunt, nec stirpem aut familiam propagant : spuriae plantae enim sunt filii nothi et illegitimi. Unde Syrus verlit, *et qui sunt ex alieno semine, non dabunt radices in profunditate*; Arabicus, *non fundabunt radices alias germina eorum*. Spuria vitulamina ergo sunt adulterinae plantationes, uti legunt hic S. Bonaventura, Lyranus, Hugo, Holcot et Dionysius: has enim significat graecum $\mu\sigma\chi\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\alpha$, id est *nothae, vel spuriae et adulterinae plantae*: nam vox *vitulamina* in nullis lexicis, vel auctoribus classicis modo reperitur; unde S. Augustinus, lib. II *De Doctrina Christ.* cap. XII: « Quia, inquit, $\mu\sigma\chi\epsilon\upsilon\tau$ graece vitulus dicitur, $\mu\sigma\chi\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\alpha$ quidam non intellexerunt esse plantationes, et vitulamina interpretati sunt. Qui error tam multos codices praecoccupavit, ut vix inveniatur aliter scriptum; et tamen sententia manifestissima est, quia clarescit consequentibus verbis: namque adulterinae plantationes non dabunt radices altas, convenientius dicitur, quam vitulamina, quae pedibus per terram gradiuntur, et non haerent radicibus. Hanc translationem in eo loco etiam caetera contexta custodiunt. » S. Augustinum sequitur Jansenius, qui lectionem Vulgatam, quae habet *vitulamina*, velut vitiatam, aut minus congruam rejicit, uti S. Bonaventura, Hugo, Vatablus, Clarius et Polydorus Virgilius in *Adag. Sacr.*, lib. II, adagio 379.

Verum *spuria vitulamina* legunt hic omnes codices Vulgatae editionis, quam, quia authenticam probavit Concilium Tridentinum, sess. IV, nulli catholico jam rejicere fas est: sic quoque Optatus Milevitanus, lib. IV *Contra Parmen.*, legit, *spuria vitulamina*, et *filios adulterarum*, et explicat de haereticis: « Apud quos, inquit, sunt sacramentorum falsa connubia, et in quorum thoris iniquitas invenitur, ubi in exterminium fidei corrupta sunt semina. » Videtur ergo vox *vitulamina* illo aeo fuisse usu recepta.

Porro *spurius* vocatur, qui ex matre nota, patre ignoto vel ignobili nascitur; unde veteres denotabant spurium per S. P., quasi dicas, *sine patre*. *Spurius* autem dicitur a $\sigma\upsilon\rho\iota\sigma$, id est *semen*, quod nil habeat a patre nisi semen: nec enim in patris familiam, statum et haereditatem succedit: ita S. Isidorus, lib. IX *Orig.* cap. V, Plutarchus in *Quest.*, Sigonius *De Nom. Rom.*, et alii. Addit S. Isidorus, *spurium* dici quasi *extra puritatem*, id est immundum; alii *spurium* dici censent *spurcum*; verum prius etymon est genuinum.

Dico ergo apte nostrum Interpretem vertisse, *vitulamina*: primo, quia graecizat, ac imitatur Graecum, qui a $\mu\sigma\chi\epsilon\upsilon\tau$ vocat $\mu\sigma\chi\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\alpha$, id est a *vitulo* vitulamina; $\mu\sigma\chi\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\alpha$, id est *vitulamina*, Graecis sunt surculi, qui ex arbore dempti seruntur sive plantantur, ut in fruticem arboremve excrescant; item rami tenelli, qui ex arbore in humum deferuntur, ut talea sive clavola ex olea,

malleolus ex vite: $\mu\sigma\chi\epsilon\upsilon\tau$ enim idem est quod *surculis ex arbore demptis sero*, ramos tenerissimos ex arbore avulsos planto, plantaria seu vivradices instituo. Sic S. Bonaventura ait S. Ambrosium in quadam epistola scripsisse, *vos estis nobilia vitulamina*; dici autem a vite, quae est generosa plantatio. Adde, *radix arboris* vocatur *taurus*, cur non et *vitulus*, vel *vitulamen*? Audi Quintilianum, lib. VIII, cap. II: « Sicut in his, quae homonyma dicuntur, ut taurus animalne sit, an mons, an signum in caelo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum, non intelligitur. » Sic $\mu\sigma\chi\epsilon\upsilon\tau$ graece et *vitulum*, et *pampinum*, et *vivradicem*, id est plantam, quae cum viva radice seritur, quasi vivam radicem habens, significat: unde $\mu\sigma\chi\epsilon\upsilon\mu\alpha$ vocatur *stolo*, planta tenera, novellus ramus, malleolus vitium, viviradix. *Secundo*, quia *vitulamen* est vox latina, et apposite significat vagam, petulantem et instar vituli petulantem et lascivientem luxuriam spuriarum plantarum, aequae ac adulterorum: *vitulari* enim Latinis idem est quod *latari*, *exultare*, *lascivire* instar vituli, unde *vitulamen* est ipsa *lascivia*: ita Festus, Nonius et alii. Jam sicut homines dicuntur lascivire et vitulari metaphorice, sic et plantae cum ramis luxuriant: est enim analogia et similitudo inter propagationem plantarum, bestiarum et hominum: unde sicuti vitulari dicuntur homines, cum more vitulorum saltant et lascivunt, sic et plantae: quare apposite Interpres noster a stolidia et petulca vituli vitulatione, stolidas et lascive luxuriantes plantas, sive stolones vocavit *vitulamina*.

Paulo aliter Cervantius: Vox *vitulamina*, inquit, significat degenerantes, infructuosas, stultas, luxuriantesque plantas, quae ad truncum vitis, a qua nomen accipiunt, nasci solent, et vitibus officiant, et in pabulum vitulorum a terra proferuntur a vitulis, seu bobus arata: sic impii ignobiles, degeneres, steriles, stulti et molles in adversis sunt, ut eis succumbant facile: et Christo Domino, « viti verae, *Joan. xv*, et palmitibus » ejus, sive Ecclesiae, vineae Deo jucundissimae, speciosissimae et pretiosissimae, pro viribus detrimentum afferre amant et ardent; sed non diu vigeant, non maturescent, ut ingenio respondeant; certa manent supplicia plantas istas, *Isai. v*; *Jerem. xii*; *Ezech. xv*. Sic et alii *vitulamina* non a vitulo, sed a vite deducunt; sed sic potius dicenda essent *vitilamina*, sicut dicitur *vitiligo*, non *vitulamina*, nisi dicas $\tau\omicron$ *vitulamina* ad *vitulum*, aequae ac ad *vitem* alludere.

Sed cur *vitulamina*, id est plantae, vel rami, vocantur *spurii*, qui altas radices non agant?

Resp. primo: Spuriae herbae et plantae sunt, quae a genuinis degenerant, item falsae, quae genuinarum speciem habent, at non vim et indolem: sic olea in terra sterili sylvescit, et degenerat in oleastrum; spurius ergo ramus oleastri, si inseratur in oleam, vel non coalescit cum ea, nec

Vitulamina impii, cur?

Spuria plantae, quae? Respondeo primo.

erescit, vel certe indolem et bonitatem oleæ non capit, nec imbibit; unde Theophrastus, lib. I *De Caus. plant.* cap. VII, urbanas arbores ait inserendas esse per inoculationem sylvestribus, non vero sylvestres urbanis, puta oleam inserendam esse oleastro, non vero oleastrum oleæ: « Quamobrem, inquit, satis oleastris inserere postmodum, vel inoculare præcipiunt: coeunt enim et apprehendunt validius, et radix plus atrahens nutrimenti probe fructificare arborem facit: nam si e contrario sylvestre in urbano se veris, tametsi differentia quædam erit, tamen bonæ frugis arbor nunquam profecto redditur. »

Secundo. *Secundo*, per spuria vitulamina, id est spurias plantas et surculos, accipi possunt rami multiplices et densi, quos arbor, vel vitis humore luxurians ad radices suas progignit, sed deinde deficiente humore et succo alere nequit; unde eodem sua umbra enecat. Audi Plinium, lib. XVII, cap. X: « Natura et plantaria demonstravit, multarum radicibus pullulante sobole densa, et pariente matre, quas enecat: ejus quippe umbra turba indigesta premitur, ut in lauris, punicis, platanis, cerasis, prunis. Paucorum in hoc genere rami parcunt soboli, ut ulmorum palmarumque; nullis vero tales pulli proveniunt, nisi quarum radices amore solis atque imbris, in summa tellure spatiantur. Omnia ea non statim moris est in sua locari, sed prius nutrici dari, atque in seminariis adolescere, iterumque migrare. Qui transitus mirum in modum mitigat etiam sylvestres: sive arborum quoque, ut hominum natura novitatis et peregrinationis avida est; sive discedentes virus relinquunt, mansuescuntque tractatu (seu feræ), dum radici avellitur planta. » Pullos Plinius vocat ramos teneros, qui molles sunt et delicati, instar pullorum et puellorum: simili modo luxuriosi et adulteri magnam spuriorum sobolem progenerant, sed ob exhaustas libidine vires debilem et infirmam, quam deinde ægre et neglectim alunt; unde omnis illa facile deficit et emoritur, vixque sobolem longævam post se relinquit.

Tertia. *Tertio*, plantæ a nativa sua bonitate et indole degenerant, fiuntque spurie, si in alium locum priori dissimilem, vel minus sibi commodum transferantur et transplantentur, tuncque facile exarescunt: audi Columellam, lib. III, cap. V: « Depositæ stirpes valido solo, quamvis celeriter comprehendant atque prosiliant, tamen cum sint vivradices factæ antequam transferantur, rectorrescunt, nec adolescere queunt; » et clarius cap. IX: « Tantum retulerit, ut in transferendis seminibus similem statum cæli locique, et ipsius vitis habitum observemus: quoniam plerumque degenerat surculus, si aut situs agri aut aeris qualitas repugnent, aut etiam si ex arbore in jugum deferitur. Itaque de frigidis in frigida, de calidis in similia, de vineis in vineas transferemus. »

Quarto, spurie plantæ sunt, quæ a vermibus

erosæ aut carie exesæ, aut arrugine aliove vitio *Quarto* percussæ, vigorem suum perdidere, ideoque marcescunt et labescunt. Tales rami sunt stolidi stolones, qualis est talea, sive clavola ex olea, malleolus e vite, qui proinde plantari nequit, ut radices agat et pullulet.

Quinto et optime, spurie plantæ et rami sunt, *Quinto* qui alterius speciei ramis semine injecto innascuntur, qui quia in iis altas radices agere nequeunt, hinc crescere non possunt, sed cito exarescunt: sic Theophrastus, lib. *De Causis plantarum*, cap. XXXIII, narrat visam esse terebinthum nasci in olea, et polypodium in arboribus, et laurum in platano et quercu, causamque subdit: « Cum enim, inquit, in partem arboris putredine pene in terram conversam, semen deciderit, pullulat vivitque, alimentum capiens ex subjecta arbore; » sed quia id modicum est, hinc modice pariter vivit, et crescit.

Rursum sunt quædam plantæ, quæ natura *Planta* sua non nisi ramis alienæ arboris innascuntur, *qua non nisi ramis alienæ arboris innascuntur et crescit.* quas si ab iis avellas et plantes, ut fiant vivradices, arescunt et moriuntur. Talis est viscus, qui est frutex, ex quo fit viscus, sive gluten: hic enim frutex arborum nonnullarum ramis adhærens, per hiemem virens, baccas autumno ferens, quibus vescuntur turdi, merulæ, palumbes. Nascitur in quercu, pomis, piris, tiliis, betulis, salicibus, mespilis, cotoneis et aliis arboribus. Si in terra seratur, non prodit; solius arboris comes est, nec nascitur nisi semine per avis alicujus alvum reddito. Fertur, inquit Athenæus, lib. IX, si avis visci semen comederit, super quacumque arbore ventrem exoneraverit, viscum nasci. Unde Virgilius, VI *Æneid.*:

Quale solet sylvis brumali frigore viscum
Fronde virere, nova, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fatu teretes circumdare ramos.

Idem docet Theophrastus, lib. II *De Causis plantarum*, cap. XXIII et XXIV: « Hyphear, inquit, et stelis in abiete pinoque nascuntur, viscum in quercu, terebintho, » etc.; et cap. XXV, docet quasdam plantas indigere aliis, quibus incumbant, ac proinde iis adnasci, quales sunt smilax, serpyllum, hedera, quæ proinde si separentur, per se consistere nequeunt, sed exarescunt. Et Plinius, lib. XVI, cap. XLIV: « Quædam, inquit, in terra gigui non possunt, et in arboribus nascuntur: namque cum suam sedem non habeant, in aliena vivunt, sicut viscum. » Tales proprie sunt adulteri, qui ex aliena uxore adulterinos filios progignunt, quasi spuria vitulamina, quæ proinde in terra hac generationis et prosapie radices non agunt. Subdit Plinius: « Est et in Syria herba, quæ vocatur *cadytas*, non tantum arboribus, sed ipsis etiam spinis circumvolvens sese: item circa Tempe Thessalica, quæ *polypodion* vocatur, et quæ *dolichos*? ac *serpyllum*? oleastro quoque deputato (amputato, resecto) quod

gignitur vocant *phaunos*; quod vero in spina ful-
lonia, *hypophæston*, calyculis inanibus, foliis par-
vis, radice alba, cujus succus ad detractiones in
comitiali morbo utilissimus habetur. Visci tria
genera: namque in abiete, ac larice stelin dicit
Eubæa nasci, hyphear Arcadia; viscum autem in
quercu, robore, ilice, pruno silvestri, terebintho,
nec aliis arboribus adnasci, plerique. Copiosis-
simum in quercu, quod dryos hyphear vocant.
In omni arbore, quercu et ilice excepta, differen-
tiam facit odor virusque; et folium non jucundi
odoris in utroque, visco amarum et lentum. »
Atque hi sunt fructus amari, quos hic subdit Sa-
piens, dicens: « Et fructus illorum inutiles, et
acerbi ad manducandum. »

Impia
et adul-
terina
proles
non vita-
lis, cur?
Concludit Plinius de visco: « Omnino autem
satum nullo modo nascitur, nec nisi per alvum
avium redditum, maxime palumbis et turdi. Hæc
est natura, ut nisi maturatum in ventre avium
non proveniat. » Sicut ergo fungi et viscus innas-
cuntur alienæ arbori, nec ab ea se avelli sinunt;
sed si eos avellas et plantas, radices non agunt,
quin imo emoriuntur et exarescunt, fructus vero
eorum sunt insipidi et amari: sic prorsus impio-
rum et adulterorum impia et adulterina proles
non nisi in adulterio, quasi in alieno solo nasci-
tur; hinc per se vitalis non est, nec per se consis-
tere, aut stirpem propagare, et familiam propriam
fundare prævaleat, sed exarescit et deperit; fruc-
tus quoque eorum amarus et acerbus est, uti
mox ostendam.

Exem-
pla.
Exemplo sit Augustus Cæsar, qui, libidinibus
et stupris vacans, proles non nisi similes sibi,
nempe duas Julias, filiam scilicet, et ex ea nep-
tem, utramque luxuriosam ad suum probrum
reliquit, in eisque vitæ soboles extincta est.
Idem contingit Julio Cæsari, C. Caligulæ, Neroni,
cæterisque imperatoribus adulteris et luxuriæ
dediis, qui nullam prolem tanti imperii hære-
dem reliquere. Lege Suetonium, aliosque, qui
vitas Cæsarium scripsere.

S. Augustinus unum ex concubina filium sus-
cepit, nomine Adeodatum; sed et hunc puerum
mors abstulit, ita providente Deo, ne tanto Ec-
clesiæ doctore futuro infamiam, vel remoram ali-
quam crearet, de quo ipse ita scribit lib. IX *Con-
fess.*, cap. vi: « Munera tua tibi confiteor, Domine
Deus meus, creator omnium, et multum potens
reformare nostra deformia: nam et ego in illo
puero præter delictum nihil habebam, etc.; cito
de terra abstulisti vitam ejus, et securior eum re-
cordor, non timens quidquam pueritiæ, nec ado-
lescentiæ, nec omnino homini. » Sic Deus occidit
parvulum natum Davidi ex adulterio cum Beth-
sabæe: causam quærit Theodoretus in lib. II
Regum, Quæst. XXVI, ac respondet: « Vivus erat
futurus argumentum sceleris paterni; pii ergo
regis qui erat etiam Propheta, curam gerens
Deus, non sivit eum vivere. »

Vers. 4. 4. ET SI IN RAMIS IN TEMPORE (id est ad tempus,

græce enim est $\pi\rho\tau\epsilon\varsigma\ \kappa\alpha\rho\iota\omega\upsilon$) GERMINAVERINT, INFIRMI-
TER POSITA (græce $\beta\epsilon\lambda\lambda\omega\tau\alpha$, id est *ascendentia*, suc-
crescentia) A VENTO COMMOVEBUNTUR, ET A NIMITATE
VENTORUM ERADICABUNTUR, — *g. d.* Esto spurie
plantæ, id est spurii et adulterini filii, ad modi-
cum tempus succrescant et prosperentur, tamen
mox vento quopiam adversitatis concutientur et
convellentur, eoque crescente eradicabuntur,
præsertim dum vident cogitantque se ab infami
parentum luxuria progenitos, ab iisdem negligi,
et ab aliis contemni; quo fit, ut et ipsi vicissim
parentes parvipendant, nec ab iis concupiscen-
tiam et luxuriæ indulgeant, itaque vitam sibi ab-
brevient, opesque, famam, vitam et animam
perdant, idque justa Dei vindicta, qui impios
cum suo semine et propagine funditus exstirpat,
sæpe in hac vita, et semper in futura, juxta illud,
Isai. LXIV, 6: « Cecidimus quasi folium uni-
versi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstule-
runt nos. »

Sapientem de more secutus Siracides de adul-
terinis filiis, ita ex Deo ominatur: « Non tradent
filii ejus radices, et rami ejus non dabunt fruc-
tum: derelinquet in maledictum memoriam ejus,
et dedecus illius non delebitur, » etc., *Eccli*
cap. XXIII, 35: vide ibi dicta.

5. CONFRINGENTUR ENIM RAMI INCONSUMMATI, ET
FRUCTUS ILLORUM INUTILES ET ACERBI (græce $\acute{\alpha}\omega\rho\epsilon\varsigma$, Vers. 5.
id est fructus intempestivus, immaturus, crudus,
necum calore solis percoctus, ideoque acerbus)
AD MANDUCANDUM, ET AD NIHILUM APIL. — Idem di-
cit, aliisque et aliis verbis exaggerat: a capite
enim præcedenti, vers. 16, hucusque iterando ur-
get et inculcat adulterinorum filiorum vilitatem,
infamiam, sterilitatem et vitæ brevitatem; unde
eos vocat *ramos inconsummatos*, id est, qui non per-
veniunt ad perfectionem et consummationem, et
fructus illorum *acerbos*, id est proles eorum pra-
vas et malignas: imitantur enim suos parentes,
quæ proinde ante maturitatem, quasi fructus
crudi decerpuntur et avelluntur. Rursum *fructus*,
id est opera, consilia et machinationes eorum
aliis sunt acerba, id est noxia et exitialia. $\tau\epsilon\ \text{con-}$
fringentur significat eos mori violenta morte,
utpote immatura, et subinde per vim illata. Huc
facit illud, *Job. XXII, 16*, de impiis: « Qui sublati
sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fun-
damentum eorum. » Ad hanc Sapientis gnomen
alludens S. Paulinus, epist. 35 *ad Desiderium*,
ita pie precatur: « Deinde ego ad vigilantiam sol-
licitudinis excitatus, omni hora paratus assistam
et Domino absente sim trepidus, ut adveniens
securus sim; omni tempore, omni die me fer-
tilem sibi Christus inveniat, id est ut nunquam
cuiquam operi voluntatis illius immaturus ap-
paream; sed si forte in tempore iracundiæ desi-
deraverit a me pacem suam, non sit mens mea
per iracundiæ acerbiteratam cruda concordia, nec
expectem ut sol occidat super iram meam,

ne occidat vita mea, si ante clauserit vesper diem, quam exstinxerit pax furorem. » Causamque subdit : « Et hoc est, quod voluit intelligi per Evangelistam nobis indicando, non suo tempore fructum ab arbore se petisse, ut omni tempore homo se fructum Deo debere cognoscat : quia bonus Dominus, qui hominem mortalem immortalitati præparat, jam et in hoc sæculo vult eum speciem perpetuitatis induere, ut fructum non accipiat de tempore, sed omni tempore sit maturus illi, cum quo vel in quo mansurus est sine tempore. »

Vers. 6. 6. EX INIQUIS ENIM SOMNIS (perperam multi pro somnis legunt omnes, græce enim est *ὄνειδος*, id est somnis) FILII QUI NASCUNTUR, TESTES SUNT NEQUITIÆ ADVERSUS PARENTES IN INTERROGATIONE SUA, — q. d. Filii nati ex iniquo concubitu (qui fieri solet noctu, tempore somni : sic cap. VII, vers. 2; ait auctor se conceptum *delectamento somni conveniente*, ubi plura hac de re: est honesta periphrasis rei turpis, per somnum enim recte notat concubitus) testes et indices sunt nequitiae, puta luxuriae et adulterii parentum, de iisque tacite, sed reipsa illos accusant in interrogatione sua, id est in inquisitione seu examine, q. d. Si quis inquirat, examinet, aut interroget filios spurios : Quis tuus est pater, quæ mater? intelligit eos fuisse fornicarios, vel adulteros, ideoque sceleratos et infames. Filii ergo spurii testes sunt nequitiae, id est luxuriae et illiciti concubitus parentum : quare parentes, qui suæ famæ consultum volunt, filios spurios celant, et a se ablegant, ac secreto educari curant, qui enim in iis gloriantur, de sua turpitudine et infamia gloriantur. Rursum spurii sunt testes nequitiae parentum, quia sepe per semen vitiatum parentum, luxuriam, levitatem, iracundiam, aliaque vitia contrahunt, eaque palam ostendunt : fructus enim mali sunt indices arboris malæ.

Spurii salaces, cur?

hinc videmus non raro spurios esse salaces, versutos, fallaces et vitiosos; qua de causa, æque ac ob infames natales arcentur sacerdotio et sacris. Adulterina ergo proles est infausta, et laborat infamia, quæ nunquam eluitur : quare de adulterio recte dixit Job, cap. xxxi, vers. 12 : « Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina. » Legitimi ergo filii probiores sunt spurii, quia illi virtutem, hi vitium parentum participant : hanc causam dat Aristoteles, III *Polit.* cap. vi. Idem apud Stobæum, serm. 88 : « Causas, ait, jam diximus, quoniam videlicet nobilitas virtus est generis; virtus autem res laudabilis studioque digna est. Item genus in quo multi studiosi bonique fuerunt, laudem studiumque meretur; fit autem tale genus cum principium ejus laudabile fuerit : principium enim hanc facultatem habet, ut multa efficiat quale ipsum est. Hoc opus, hæc vis est principii, ut plurima sibi reddat similia. Cum igitur unus talis in aliquo genere fuerit, adeoque bonus,

ut virtus ab ipso in multas ætates transfundatur, hoc certe genus omni laude studioque dignissimum erit : sic enim permulti fient studiosi homines, si genus humanum sit, nam in equis etiam et canibus, aliisque animalibus eadem ratio est. » Plura hac de re dixi *Proverb.* xxx, 16.

7. JUSTUS AUTEM, SI MORTE PRÆOCCUPATUS FUERIT, IN REFRIGERIO ERIT. — Occurrit tacite objectioni, dixit enim impios et adulteros, eorumque filios, quasi acerbos fructus præmatura morte abripi. Objiciet quis etiam justos, eorumque filios, subinde præmature mori : occurrit, et respondet mortem eorum, licet respectu naturæ et ætatis præmatura videatur, ipsis tamen esse maturam, tum quia transfert eos ad quietem et gloriam æternam, tum quia ab ipsis prævisa est, imo expectata et optata : quare mors eos paratos invenit et expectantes eam, quasi transitum ad meliorem vitam. (In refrigerio), græce, in requie « erit : » in purgatorio enim etiam est requies, ait Dionysius, propter certitudinem de salute, suffragia vivorum, et consolationem angelorum. Mors ergo justo est requies, somnus, cessatio a labore et dolore, recreatio, ideoque non immatura, sed ipsa maturitas; unde ex Græco verti potest, *justus si præverterit vel præoccupavit finire* (scilicet vitam vitæque labores; vel) *justus si assequatur quod contendit* (si voti compos fiat, si perveniat quo cupit, scilicet ut finiat vitæ labores), in requie erit.

Justus ergo hoc sensu non præoccupatur morte, quia ipse mente præconcepit, antevertit et præoccupat mortem : dum enim mane surgit, præmeditatum habet illud Antonii : « Cogita hunc diem tibi fore ultimum : » sic ergo age, sic vive, quasi opera et merita cum vita finiturus hodie; et illud S. Hieronymi : « Sic vive, tanquam quotidie moriturus, sic stude, tanquam semper victurus. » Quare justus et sapiens bona quæ destinata non differt in crastinum, sed eodem die, si potest, exsequitur; si non potest, bonam voluntatem, et exsequendi, cum licebit, propositum Deo offert : memor enim est illius dicti, *Eccl.* ix, 10 : « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. » Faciebat id noster P. Joannes Maldonatus, suo ævo Franciæ oraculum, qui quotidie quater faciebat examen mortis : examinabat enim conscientiam, num quid in ea esset, quod illi angorem aut molestiam creare posset in hora mortis, et si quid tale inveniebat, illico amovebat : quare componebat se suasque rationes quotidie, quasi eo die moriturus : nam, ut ait Climachus, *gradu 6* : « Non est præsentem diem pie pertransire, nisi hunc esse ultimum totius vite nostræ existimemus. »

Transit ab hypothesis ad thesin, a specie ad genus, puta a casto ad justum : qui enim castus est, facile est et justus; qui vero incestus, injustus : ratio est, *prima*, quod inter cæteras justitiæ chris-

Vers. 7.

Mors justis præmeditata

Examen mortis

Castus est justus.

tianæ partes et virtutes castitas sit difficillima; unde ipsa ut se tueatur et conservet, cæterarum virtutum præsidio indiget: quare qui eam habet, cæteras quoque habeat oportet; qui vero illas non habet ac proinde injustus est, difficile, imo impossibile est, ut diu castitatem conservet. *Secunda*, quia sapientiæ (de qua toto hoc libro agit Sapiens), hoc est prudentiæ et virtutis, individua comes est castitas, sicut insipientiæ comes est libido. *Tertia*, quia omnis probus castus est, omnis improbus adulter coram Deo: violat enim, per inobedientiam et peccatum, fidem Deo in circumcissione vel baptismo datam, aut dari debitam, juxta illud, II *Corinth.* XI, 2: « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo: » quocirca Salomon in Proverbiis, maxime cap. IV, V, VI et VII, operose filium sive discipulum, quem ad sapientiam instruit, dehortatur a libidine, utpote summo sapientiæ impedimento.

Mors justis
tunc
peccato-
ris vero
pessima.

Audi nunc S. Bernardum, epist. 105 ad Romanum: « Justus quippe mortem etsi non cavet, tamen non pavet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidem et justus, sed secure, quippe cujus mors, ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors si peccato moriaris, ut justitiæ vivas. Hæc mors necesse est præcurrat, ut sequatur illa segura. In hac vita quamdiu durat, compara tibi illam quæ semper durat. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis Deo vivere incipias. Quid enim si conciderit mors saccum corporis tui, dum te subinde circumdet lætitia? O quam beati mortui, qui in Domino moriuntur, audientes a Spiritu, Apocal. XIV, 13, ut requiescant jam a laboribus suis. Non solum autem, sed et succedit jucunditas de novitate, ac de æternitate securitas. Bona proinde mors justis propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contra mors peccatorum pessima, Psalm. XXXIII, 22; et audi unde pessima. Mala siquidem est in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis ignisque duplici contritione. Eia ergo festina, exi, recede: moriatur anima tua morte justorum, quo fiant et novissima tua horum similia. O quam pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus Psalm. CXV, 16. Fuge, quæso, in via peccatorum ne steteris. Quomodo vivere potes, ubi mori non audes? » Audi et S. Augustinum (vel quisquis est auctor) lib. De Vita Christiana, cap. V, tom. IX: « Sed dicit aliquis: Quid est, quod videmus bonos etiam perire cum malis? Illi non pereunt, sed evadunt, quasi de malorum consortio et persecutionibus liberantur, et ad requiem transferuntur. Illi et plane moriuntur et pereunt, quos de hoc mundo recedentes majoris adhuc judicii supplicium expectat et pœna: vocantur enim ante tempus boni, ne diutius vexentur a noxiis; mali vero vel impii tolluntur, ne bonos diutius persequantur. Justis de pressuris, tribulationibus et angus-

tiis vocantur ad requiem; iniqui vero de luxuriis, opibus et deliciis rapiuntur ad pœnam. Illi vero vadunt, ut judicent; isti, ut judicentur. Illi, ut vindicentur; isti, ut in eos vindicta celebretur, ut scriptum est Sapiens, IV, 7: *Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit; et iterum, vers. 8: Vivens inter peccatores translatus est; et iterum, vers. 14: Placita enim erat Deo anima ejus, et ideo properavit de melio iniquitatis eripere eum; et iterum: Cum impii eunt ad mortem, illi autem sunt in pace.* »

Vis exempla? accipe. Robertus Holcot hoc loco narrat quemdam bene doctum probumque inter libros repertum esse mortuum, cumque adventantes hoc casu perculti curiosius in eum intuerentur, viderunt ejus digitum intentum in hanc sententiam: « Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. » B. Jordanus, proximus a S. Dominico Ordinis Prædicatorum generalis, cum navigans Hierosolymam, tempestate navi fracta, fluctibus haustus suffocatusque foret, anno Domini 1236, multique mirarentur et dolerent tam subitum tristemque tanti viri casum, apparuit ipse magna luce æque ac cruce insignitus, dixitque: « Exivi ex hoc sæculo ad gloriam beatorum, et inter apostolorum choros et prophetarum evectus sum; » et rursus: « Hoc firmiter teneas, nec dubites, quia salvus erit omnis, qui usque in finem Domini nostro Jesu Christo servierit, » qualicumque morte obierit. Ita habet Leander in ejus Vita, quæ exstat apud Surium, tom. II, die 13 februarii. Simeon Stylites (non ille celebris de quo Theodoretus et alii, sed alius, de quo Joannes Moschus in Prato Spirit. cap. LVII) fulgure percussus interiit, cujus animam Julianus Stylita vidit cum tripudio et exultatione ascendere in cœlum. Sic S. Fulgentius, epist. II, cap. IV, hac sententia: *Justus si morte, etc.*, consolatur Gallam de morte mariti in ætate florenti, additque: « His nempe verbis S. Scriptura nos docet, in hoc sæculo christianis fidelibus non vitam longam prodesse, sed bonam, et ad cognoscendum quantum possibile est cujuslibet defuncti meritum, non quantum vixerit, sed qualiter quisque vixerit, intuentum: sicut enim vita mala quanto magis fuerit temporaliter prolongata, tanto magis delinquentibus multiplicat pœnam, sic vita bona, quamvis hic brevi tempore terminata, magnam sempiternamque conquirat bene viventibus gloriam. »

Adde justos subinde cita et violenta morte abripi, ut per eam ceu purgatorium, expientur nonnulla levia eorum delicta. Sic Nadab et Abiu repentino incendio deflagrarunt, ut eorum leviores defectus hoc igne consumerentur, Levit. X. Idem de Anania et Sapphira a S. Petro subitanea morte percussis, Actor. V, multi pie opinantur. Exemplum memorabile est, quod narrat Anastasius Nicenus, Quæst. XVII in S. Script. Contigit, inquit, ut anachoretæ cujusdam discipulus ingrediens

Exemplum
subit:
sed san-
tæ mo-
tia.

Cita
mors est
purgato-
rium.

Exem-
pla

in urbem, videret principem ejus jam mortuum efferrī ad sepulcrum cum magna pompa, unguentis et suffitibus. Cum autem rediisset in desertum, invenit suum præceptorem ab hyena devoratum. Cœpit itaque angi animo, et promodum judicio cum Deo contendere, et dicere: Ubi est, o Domine, justum tuum judicium? quomodo sceleratus iste princeps, qui te sæpe ad iram provocavit, mortuus est adeo gloriose? hic autem sanctus, qui tibi multum servivit, a fera captus mortem obiit? Cum his ergo et hujusmodi verbis ipse cum Deo disceptaret, adstitit ei angelus Domini et dixit: « Ille princeps cum esset omnino sceleratus, habuit unum opus bonum, et per honorem illum quem assecutus est dum efferreretur, accepit mercedem hujus unius boni, et illuc abiit absolute ac perfecte condemnatus; tuus autem præceptor cum omnia fecisset quæ Deo erant grata, habebat ipse quoque ut homo parvum aliquod delictum, et per hanc mortem hoc amisit, et abiit illuc plene purgatus et expiatus. »

Vers. 8
et 9.

8 et 9. SENECTUS ENIM VENERABILIS (græce τίμων, id est pretiosa, digna, honorata, reverenda, veneranda; S. Hieronymus in Zachar. cap. IV vertit, honorabilis) EST NON DIUTURNA (græce πειλοχρόνιον, id est longæva; S. Hieronymus, multi temporis, (NEQUE ANNORUM NUMERO COMPUTATA : CANI AUTEM SUNT SENSUS HOMINIS, ET ÆTAS SENECTUTIS VITA IMMACULATA. — Vatablus, neque enim honorifica senectus est ea, quæ longo tempore constat, aut quam annorum numero metiaris, sed canos hominibus sapientia conciliat, et ætas senectutis sine labe vita est; Syrus, canities et intelligentia hominis; status autem senectutis, habitaculum quietum; Arabicus, veneratio senectutis non est in multitudine annorum, quia canities sapientia hominis, et ætas senectutis semen in quo non est macula.

Est hoc alterum discrimen justī ab impio, quod justus, etiamsi in ætate juvenili morte præoccupetur, tamen jam prudentia et virtute sit senex: quia senectus non annis, sed virtutibus et meritis æstimatur; impius vero, etiamsi sit ætate senex, tamen ob insipientiam et vitia puerilia vere sit puer, et inter pueros computandus, juxta illud, Isai. LXV, 20: « Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. » Ratio a priori est, quod senectus venerabilis sit duas ob causas: prior est, ob multi temporis experientiam indeque comparatam prudentiam; posterior, ob humorum indeque morum compositionem; in senibus enim fervor sanguinis et calor deficit, ejusque loco succedit frigus, per quod restinguitur æstus libidinis, iræ, cæterarumque passionum: quare si cui seni hæc duo desint, scilicet prudentia et mores compositi, hic nil habet e senio quod pretio, æstimatione et veneratione sit dignum; si cui vero juveni hæc duo adsint, is habet omne id quod in senio est pretiosum æstimandum et honorandum; unde sequitur: « Cani autem sunt sensus hominis, » q. d.

Canī capilli, puta canities hominis æstimatur et censetur esse non coma cana, sed ipse sensus et prudentia: nam græce est, καλία δὲ ἰστί φρόνησις ἀθροῦσι, id est canities autem est prudentia hominibus. Et ita legit S. Epiphanius, hæresi 67. S. Hieronymus in Zachar. cap. VIII vertit, canī (capilli) autem sunt hominum prudentia; idem in Isai. cap. XXIV legit, canī hominis sapientia ejus; alii, sensata mens hominibus est canities, id est facit eos venerabiles, perinde ac si senes et cani essent. Hoc est quod ait Salomon, Proverb. XVI, 31: « Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur; » et Siracides, Eccli. XXV, 8: « Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei: » vide utrobique dicta.

Porro physice aliquos pueros canescere, imo canos nasci, tradunt historici; unde Cassiodorus Senecam putat dici a senis canis, quod cui primum cognomen hoc impositum fuit, canus sit natus, quod et de Numa Pompilio traditur. Tyrhenum autem, a quo Tyrhenia, ab ineunte pueritia incanuisse, Strabo et alii fabulosum putant: ego facile crediderim esse verum, etenim patri meo unius noctis lucubratione, adolescenti adhuc idipsum contigisse scio, ait noster Delrio in Hercule. Furent. Senecæ, sub initium actus primi. Idem disertè tradit S. Isidorus et Nonius Marcellus, ac Lipsius in Vita Senec., cap. 1, qui omnes dicunt Senecam idem esse, quod senem vel senectionem.

Hæc sententia est axioma, ab omnibus fidelibus æque ac ethnicis receptum et probatum. Audi fideles. S. Ambrosius, epist. 12 ad Valent. Imper.: « Erubescat, ait, senectus, quæ emendare se non potest: non annorum canities laudanda est, sed morum; » idem lib. I Hexæm. cap. VIII: « Laudanda est senectus in bonis moribus dulcior, in consiliis utilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior; » lib. III, epist. 21 ad Anysium: « Vere, ait, senectus ista venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit: ea enim est reverenda canities animæ, in canis cogitationibus et operationibus effulgens. Quæ est enim vera vita senectutis, nisi vita immaculata, quæ non diebus aut mensibus, sed sæculis propagatur, cujus sine fine est diuturnitas, sine debilitate longævitæ? quo enim diuturnior, eo fortior; et quo diutius eam vitam vixerit, eo fortius in virum perfectum excrescit; » idem, serm. 55 in Domini Resurrect.: « Ætates, inquit, quædam sunt meritum: nam et senectus morum invenitur in pueris, et innocentia infantium reperitur in senibus. Denique quod in junioribus senectus quædam sit honestatis, dicit Propheta: Senectus enim venerabilis, non diuturna, neque annorum numero computatur; canities enim est sapientia in hominibus. » Idem, lib. X in Luc. cap. XXIV sub finem: « Bona senectus, inquit, non vitæ longævitæ imbecilla ad usum, sed maturitate virtutis ad martyrium

Canities est prudentia. Græcæ Patrum latinorum.

præparata, quæ lasciviam corporalium reprimat voluptatum, nec indulgeat cupiditatibus, dulcia quæque declinet, speciosa non appetat. Caro enim concupiscit adversum spiritum, et transversarios tramites gradiendi qua velit, diversarum sibi invenit voluptatum. Bona vero mentis senectus, quæ non id quod suave corpori, sed quod menti utile putat, eligit, nec voluptuario corporis rapitur appetitu, sed repugnandi moderamine, quasi in vita, revocatur. » Idem, lib. I *De Cain et Abel*, cap. III, Abel juniorem præferens Cain seniori : « Seniori, inquit, junior antefertur, quia, etsi tempore junior, virtute præstantior est : innocentia enim tempore posterior est quam malitia, et quadam suppar ætate, sed meritorum nobilitate antiquior : senectus enim venerabilis est, non annis cana, sed moribus. Et ætas, inquit, senectutis vita immaculata. Ubi ergo generatio exprimitur, perveniat Cain; ubi disciplinarum fit prædicatio, præcurrat Abel. »

S. Anacletus, tertius a S. Petro romanus pontifex, ex hac gnome, æque ac ex simili, *Prov. xx*, 29, ac ex facto Mosis, *Num. xi*, 23, probat in presbyteros eligendos esse seniores, non tam ætate, quam sapientia : sic enim ait distinct. 84, cap. finali : « Porro Mosis præcipitur, ut eligat presbyteros, id est seniores; unde et in Proverbiis dicitur, cap. xx, vers. 29 : *Gloria senum est canities*. Illic vero canities sapientiam designat, de qua scriptum est, *Sapient. iv*, 8 : *Canities hominum prudentia est*. Cumque nongentis et amplius annis ab Adam usque ad Abraham vixisse homines legamus, nullus alius prius appellatus est *presbyter*, id est senior, nisi Abraham, qui multo paucioribus vixisse annis vincitur. Non ergo propter descriptam ætatem vel senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur. » S. Gregorius, lib. II *Dialog.* cap. I, laudans S. Benedictum : « Fuit, inquit, vir vitæ venerabilis, gratia *Benedictus* et nomine, ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerens senile : ætatem quippe moribus transiens, nulli voluptati animum dedit; sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter libere uti potuisset, despexit jam quasi aridum mundum cum flore. »

S. Hieronymus, epist. 13 *ad S. Paulinum* postea Nolæ episcopum : « Noli, inquit, frater charissime, annorum nos æstimare numero, nec sapientiam canos reputes, sed canos sapientiam, Salomone testante, *Sapient. iv*, 8 : *Canis hominis prudentia ejus*. Nam et Moyses septuaginta presbyteros jubetur eligere, quos ipse sciret esse presbyteros, utique non ævo, sed prudentia judicandos. Et Daniel adhuc puer longævus iudicatur, atque impudicos senes ætas lasciva condemnat. Noli, inquam, fidem pensare temporibus : nec me idcirco meliorem putes, quod prior in Christi exercitu cœperim militare. Paulus Apostolus, vas electionis de persecutore mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est : quia ex-

tremus licet, plus omnibus laboravit. Judas, qui quondam audierat : *Tu autem homo, qui simul mecum dulces capiebas cibos : dux meus et notus meus, in domo Dei ambulavimus cum consensu*, Psalm. LIV, 14, proditor amici et magistris, Salvatoris arguitur voce :

Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.

E contrario latro crucem mutat paradiso, et facit homicidii pœnam martyrium. Quanti hodie diu vivendo portant funera sua, et quasi sepulcra dealbata plena sunt ossibus mortuorum ! Subitus calor longum vincit teporem. Denique et tu, audita sententia Salvatoris, *Matth. xix*, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veni, sequere me*, verba vertis in opera, et nudam crucem nudus sequens, expeditior et levior scandis scalam Jacob. »

Cassianus, *Collat. II*, cap. XIII : « Divitiæ senum, inquit, non sunt canitiæ capitis, sed industria juventutis ac præteritorum laborum stipendiis metiendæ. Quæ enim non congregasti, inquit, in juventute, quomodo invenies in senectute tua ? *Senectus enim honorabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata*, » *Sapient. iv*, 8. Unde post pauca subjicit : « Sunt enim nonnulli, quorum etiam, quod est lugubrius, major est multitudo, qui in tepore suo quem ab adolescentia conceperunt, atque ignavia senescentes, auctoritatem sibi, non maturitate morum, sed annorum numerositate conquirunt : de quibus exprobatio illa Domini proprie satis dicitur per Prophetam, *Ose. vii*, 9 : *Et comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit : sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit*. Hos, inquam, in exemplum junioribus non vitæ probitas, nec ulla propositi hujus laudabilis, atque imitanda districtio, sed annositas sola provexit. Quorum canitiem callidissimus inimicus ad deceptionem juniorum in præjudicata auctoritate proponens, etiam illos, qui ad viam perfectionis vel suis vel aliorum potuerunt monitis incitari, subvertere, ac decipere exemplis eorum fraudulentâ subtilitate festinat, vel in teporem eos noxium, vel in lethalem desperationem doctrinis eorum institutisque perducens. »

Cassiodorus in *Psalm.* lib. XXIV, et lib. IX *Variar. epist.* : « Quidam senes, ait, morum levitate maculantur, cum vice versa multi juvenes morum gravitate maturi, eadem decorentur. » S. Bernardus, epist. 42 *ad Henric. Senon.* : « Multos juniorum, inquit, videmus super senes intelligere, et moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, et quod ætati deest compensare virtutibus. »

Audisti gnomas Patrum latinorum, accipe nunc eis antistrophas græcorum, quas citat Antonius in *Meliss.* part. II, cap. XVIII. S. Basilius : « Nihil interest inter ætatem puerilem et mentem

Gnomæ
græcorum
Patrum.

pueros imitantem. Novi quosdam, qui cum in juventute in carnis vitia prolapsi essent, in eis propter consuetudinem ad canos usque perseverarunt. » S. Gregorius Nazianzenus : « Turpe est ætatis vigorem deferuisse, libidinem autem non deferuisse. Discit aliquid etiam canities, nec cujusvis senectus prudentiæ satis nacta esse videri debet. » S. Chrysostomus : « Ergo cum senex iisdem quibus juvenis morbis laborat, maximum vitium est, ac ne de juventute quidem excusationem habet : neque enim illa potest dicere, *Psalm. xiv, 7* : *Peccata juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris*. Vide igitur, ne propter senilia facta juvenilium peccatorum venia te privet. » Philo : « Qui multum ævi in vitia corporis contriverint sine ulla virtute et probitate, eos *longi temporis pueros* appellare licet, ut qui nullis disciplinis eruditi sint senectute dignis. Quousque tandem nos senes adhuc pueri erimus? corporibus quidem propter temporis longinquitatem veteres, animis autem propter ignorantiam et hebetudinem adhuc pueri. »

Gnomæ
philoso-
phorum.

Salomonem secuti sunt non tantum Patres, sed et philosophi. Plato in *Timæo* Græcos vocat pueros ob ignorantiam antiquitatis, juxta illud : « Bis pueri senes. » Zeno turpe esse aiebat seni ex commentario sapere, uti refert Seneca, *epist. 33*. Cicero, lib. *De Senectute* : « Non canis, ait, non rugæ repente auctoritatem afferre possunt, sed honeste acta superior ætas fructus capit auctoritatis extremos. » Alexander Magnus apud Curtium, lib. IX : « Ego, inquit, me metior non ætatis spatium, sed gloriæ, » quia ætatis arctæ spatium extendit gloria : cæpit enim ipse regnare anno ætatis *xx*, ac anno *xxxii* totum pene orbem subjugavit. Seneca, lib. *De Brevit. vitæ*, cap. viii : « Non est, inquit, quod quemquam propter canos aut rugas putes diu vixisse : non ille diu vixit, sed diu fuit : quid enim si illum multum putes navigavisse, quem sæva tempestas a portu exceptum huc et illuc tulit, ac viribus ventorum ex diverso furentium per eadem spatia in orbem egit? Non ille multum navigavit, sed multum jactatus est. » Idem, *epist. 36* : « Turpis, ait, et ridicula res est elementarius senex : juveni parandum, seni utendum est, » juxta illud : « Juvenis congrega, senex eroga. »

Exem-
pla.

Vis exempla, accipe e Veteri Testamento Salomonem, qui duodennis, ut vult S. Ignatius, vel vicennis, puta cum esset circiter viginti annorum, uti verius censent Pineda, Salianus et alii, judicium meretricum stupenda, et plusquam senili maturitate ac sagacitate peregit, III *Regum*, cap. iiii, 16. Accipe et Samuelem, Jeremiam et Danielelem, qui pueri prophetarunt, et senes iniquos condemnarunt, de quibus audi S. Bernardum, *epist. 42* : « Meliores bonæ indolis adolescentes inveteratis dierum malorum. Puer centum annorum maledictus est, et est e regione *senectus venerabilis, non diuturna, neque numero annorum com-*

putata, Sapient. iv, 8. Bonus puer Samuel, qui loquenti Deo promptus aderat auditor, dicens, I *Reg. iii, 9* : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus*. Ac si diceret : *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua*, Jerem. i, 6. Bonus et Jeremias, qui ante sanctificatus quam natus, cum se excusaret de pueritia, nihilominus constitutus est super gentes et super regna. Bonus quoque Daniel, cujus spiritum suscitavit Deus, ut convinceret iniqua judicia, et sanguinem innoxium liberaret. Denique *canis sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata*, » Sapient. cap. iv, vers. 9. « Tobias albescebat, non canis, sed meritis, » ait S. Ambrosius, lib. III, *epist. 21*. S. Agnes, anno ætatis 13, agonem martyrii obiit incredibili sapientia, æque ac fortitudine, de qua proinde ex S. Ambrosio, canit Ecclesia in ejus *Officio Ecclesiast.* : « Infantia quidem computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa. » In ea ergo erat canities, id est *candities*, non annorum, sed morum : « canities enim, inquit S. Isidorus, lib. XI *Origin.* cap. ii, vocata est a *candore*, quasi *candities*, unde illud : Florida juvenis, lactea (id est candida) canities. » S. Alexander puer et martyr, sextus S. Felicitatis filius, judicij objicienti teneram ætatem respondit sibi canam esse mentem, uti habet martyrium S. Felicitatis et septem filiorum ejus. Macarius Alexandrinus vocatus est *παιδαγωγός*, id est *puer senex* (puta Seneca, sive senex canus), quod in puerili ætate senex videretur, ac supra ætatem sapientia et virtutibus præstaret, teste Palladio in *Lausiaca*, cap. xvii. S. Dorotheus narrat Dositheum, discipulum suum, paucis temporibus æquasse sanctitatem seniorum, idque se ex Dei revelatione accepisse. S. Bernardinus Senensis puer ita erat moribus gravis et compositus, ut senex videretur, adeo ut ex viso, condiscipuli ejus omnes ad modestiam et gravitatem se componerent, dicentes : « Tacete, Bernardinus adest, » uti habet ejus *Vita*.

Ex Ethnicis : « Demophilus, ait Pindarus, ode 4 *Pyth.*, inter pueros erat juvenis, in consiliis vero senex, consecutus centenale ævum. »

10. PLACENS DEO FACTUS EST DILECTUS, ET VIVENS Vers. 10.
INTER PECCATORES TRANSLATUS EST. — Clarior erit sensus, si cum Vaticanis ponas comma post *dilectus* et post *peccatores*; unde Vatablus vertit, *quia Deo placuit ille, charus est habitus, cum inter peccatores viveret, de medio sublatus*.

Sensus est, q. d. Justus cum placeret Deo, vel quia per justitiam placuit Deo, hinc ab eo dilectus est, ideoque dum viveret inter peccatores, ab iis translatus est ad cælum patriarcharum in limbo, et post Christum ad cætum sanctorum in cælo, ne, si diutius inter peccatores degeret, pravus eorum verbis et exemplis, velut contagio afflaretur, corrumpereetur, macularetur, et in eorum sortem transiret. Hunc esse sensum liquet ex Græco : ita quoque se explicat Sapiens dum

subdit : « Raptus est ne malitia (peccatorum, inter quos vivit) mutaret intellectum ejus. » Al-
ludit ad Henoch, qui, ut ait Moses, *Genes. v, 21* :
« Cum trecentis sexaginta quinque annis vixisset, ambulavit cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus. » Quæ verba Septuaginta sic transtulerunt, et placuit Henoch Deo, et non inveniebatur, quia transtulit eum Deus: quam lectionem secutus Ecclesiasticus, dicit cap. XLIV, vers. 16 : « Henoch placuit Deo, et translatus est in paradysum, ut det gentibus pœnitentiam. » Et Paulus, *Hebr. xi, 5* : « Henoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus : ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. » Tertullianus, lib. III *Carm. adversus Marcion.* cap. II, scribit Henoch zelo Dei accensum, scelestissimæ illo ævo gentis, ac præsertim gigantum facinora lugentem, eosque a sceleribus revocare conantem, cum se frustra laborare videret, a Deo tandem cum gemitu et lacrymis petiisse et impetrasse, ut a consortio pessimorum hominum abriperetur in paradysum. Ad Henoch alludi censet S. Ambrosius, *Orat. de obitu fratris Satyri*, et scribens in *Psalm. xl et xlv*, ac eum secutus Jansenius. Dixi alludit, nam ex præcedenti et sequenti liquet proprie et rigide agi hic non de Henoch vivente, sed de justo per mortem abrepto. Sensus ergo est, q. d. Sicut Henoch inter peccatores vivens, ne eorum contagio pollueretur, præmature, si vitam cæterorum illius ævi hominum spectes, a Deo raptus et translatus est in paradysum : sic quilibet justus et electus, ne sociorum vitis et colluvie maculetur, a Deo cito abripitur, et in limbum ante Christum, post Christum vero in cælum transfertur. Est tertium discrimen inter citam mortem justi et impii, quod justus rapiatur e colluvie impiorum ad cœtum sanctorum, impius vero ex colluvie peccatorum rapiatur ad tartara damnatorum.

11. RAPUS EST NE MALITIA MUTARET INTELLECTUM
EJUS (græce *σύνεσις*, id est mentem, intelligentiam, prudentiam ejus; S. Ambrosius legit *cor ejus*), AUT NE FICTIO (græce *δολος*, id est dolus) DECIPERET ANIMAM ILLIUS. — Syrus, raptus est ne transmutaret malitia conceptum ejus; Arabicus, translatus est raptus est antequam mutaret contemptio intelligentiam ejus, aut operiret fraus animam ejus; Vatablus, abreptus est ne malitia immutaretur sensus ejus, neve anima ejus fraude circumveniretur, q. d. Justus a Deo dilectus raptus est, ne hominum sui ævi pravitas pravis opinionibus mentem ejus imbueret et depravaret, aut ne illa pravis pravæ generationis consiliis consentiret, aut ne illius dolo deciperetur, sed ut in sua justitia et gratia Dei persistens usque ad finem vitæ, moreretur et salvaretur. Sic ergo justus cito raptus, antequam mutaretur, est prædestinatus, ait S. Augustinus; *De Corrept. et gratia*, cap. VIII et sequent.

Nota : *fictio*, vel, ut græce est, *dolus* : solent

enim impii, ut pium pervertant, dolos et fraudes illi neectere, subornando viros in speciem probos; item mulieres, quæ eum in sui amorem et peccatum illiciant. « Porro simulata æquitas duplex est iniquitas, » ait S. Augustinus, in *Psalm. LXXIII*; est enim iniquitas, est et simulatio. Hac simulatione et fictione plenus est mundus, pravæ opiniones mundi sunt, ambiendos esse honores, voluptati indulgendum, si quis te læserit esse vindicandum, etc. Audi S. Cyprianum, *De Mortal.* : « Sed et Spiritus Sanctus, ait, per Salomonem docet, eos qui Deo placent, maturius isthinc eximi, et citius liberari, ne, dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur. Raptus est, inquit, ne malitia mutaret intellectum illius : placita enim erat Deo anima illius, Sapien. IV, 10. Per malitiam, accipe malitiam proprie dictam, puta nequitiam cum S. Ambrosio in *Psalm. XLV*, juxta illud, *Isai. LVII, 1* : « A facie malitiæ collectus est justus. » Nonnulli tamen per malitiam accipiunt afflictionem, laborem, molestias hujus vitæ, quæ sæpe ad peccatum incitant : sic Judas Machabæus, exhortans suos ad pugnam, ait, I *Mach. III, 59* : « Melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ. » Sic Possidius ereptum tradit S. Augustinum ex hac vita, tædio malorum patriæ suæ, præsertim Hipponensis civitatis, cum dimissionem de hoc sæculo poposcisset a Deo. Anastasium papam scribit S. Hieronymus, *epist. 16*, idcirco raptum atque translatum esse, ne orbis caput (Roma) sub tali episcopo truncaretur, et ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.

Hac gnome S. Hieronymus consolatur S. Paulam mœrentem de obitu Blæsillæ filiæ, *epist. 24* : « Cur dolemus, inquit, quemquam mortuum? ad hoc enim nati non sumus, ut maneamus æterni. Abraham, Moyses, Isaias, Petrus, Jacobus, Joannes, Paulus vas electionis, et super omnia Filius Dei moritur, et nos indignamur aliquem exire de corpore : qui ad hoc forsitan raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus : placita enim erat Deo anima ejus : propter hoc properavit edurere eam de media iniquitate, Sapien. IV, 9, ne longo vitæ itinere devius oberraret anfractibus. Lugeatur mortuus, sed ille, quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat, in cujus pœnam æternus ignis æstuat. Nos, quorum exitum angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravemur magis, si diutius in tabernaculo isto mortis habitemus : quia quamdiu hic moramur, peregrinamur a Domino, II Corinth. V, 6. Illa, illa nos cupido teneat, *Psalm. CXIX, 5* : *Hei mihi, quia peregrinatio mea prolongata est a me, habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea. Si Cedar tenebræ sunt, et mundus iste sunt tenebræ, quia lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt, » Joan. I, 5. Deinde hæc accommodans Blæsillæ, ista subjicit : « Faveamus*

Blæsillæ nostræ, quæ de tenebris migravit ad lucem, et inter fidei incipientis ardorem, consummati operis percepit coronam. Revera si sæculare desiderium, et, quod Deus a suis avertat, delicias vitæ hujus cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat, et omni lacrymarum fonte ploranda. Nunc vero cum, propitio Christo, ante quatuor ferme menses, secundo quodammodo propositi se baptismo laverit, et ita deinceps vixerit, ut calcato mundo semper monasterium cogitarit; non vereris, ne tibi Salvator dicat: Irasceris, Paula, quia tua filia mea facta est filia? indignaris de judicio meo, et rebellibus lacrymis facis injuriam possidenti? Scis enim quid de te, quid de cæteris tuis cogitem. »

Expositio
Curiel de
futuris
contingen-
tibus.

Porro Commentatores, inter quos est Alfonsus Curiel, scribens in hunc Sapientiæ locum, eum sic interpretantur, ut dicant Deum cognoscere futura, non tantum absolute, sed etiam sub conditione, v. g. quid facturus esset Petrus, si tali loco et tempore tanta carnis tentatione pulsaretur, illine consentiret, an non? scit enim, aiunt, quid in re futurum esset, si conditio tentationis poneretur, etiamsi ipsa nunquam reipsa ponatur. Ideo enim justum sibi dilectum et electum e vita rapit, ne, si vivat, tentatione cadat et pereat. Si dicas: Rapit eum ob periculum casus, ut illo eum eximat; respondit id verum esse, at non sufficere: non enim dicitur hic quod rapiat Deus justum, ut eum periculo lapsus subducat, sed ut lapsui revera futuro eum subtrahat; ait enim: « Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. » Sciebat ergo certo Deus, quod justus hic nisi raperetur, malitia de facto mutaret intellectum illius, et fictio deciperet animam illius, etiamsi communia et ordinaria gratiæ auxilia, quæ cæteri habent, ipsi non deessent. Alioqui enim si non fuisset mutandus, nec decipiendus, Deus hic contrarium judicans et dicens, in hoc suo judicio falsus fuisset et errasset, quod absit: Dei enim cognitio est scientifica, ideoque certa et infallibilis, cum hominum sæpe sit conjecturalis, probabilis et incerta, ideoque fallibilis et erronea.

Certitudo
Dei
providentia
circa justos
et
impios.

Rursum certa Dei circa justos æque ac improbos providentia, inquiunt, quam hic Sapiens describit, exigit certam futurorum, etiam sub conditione duntaxat, præscientiam: illi enim velut fundamento incumbit, et innititur, v. g. decernit Deus rapere justum e tentatione, aut tantam gratiam illi dare, qua scit fore ut de facto tentationi resistat, eamque vincat: prius ergo hanc conditionatam sciat oportet: Si Petro taliter tentato tantam dederit gratiam, fiet omnino ut resistat; dabo ergo illi tantam: alioqui enim aliam majorem illi dare decrevisset. Volebat Deus ostendere suam potentiam et vires in Pharaonem et Ægyptios, cogendo eum ut dimitteret Hebræos, ideoque volebat multiplicare in eo sua prodigia, ac plagis minoribus majores addere usque ad decem. Sciebat

ergo antequam decerneret immittere primas plagas ranarum, sciniphum, muscarum, locustarum, quod, si eas immitteret, Pharaon eis non flecteretur ad dimittendum Hebræos, itaque ipse occasionem haberet majores plagas grandinum, pestis, fulminum, et necis primogenitorum in eum immittendi, ac potentiam suam toti mundo ostendendi. Si enim Pharaon primis plagis cessisset, et dimisisset Hebræos, Deus juste non potuisset in eum posteriores et majores immittere, quod tamen facere destinavit, ut sui terrorem mortalibus inculceret. Præsciebat ergo, antequam primas plagas immitteret, Pharaonis cor iis non flectendum, itaque sibi copiam fore cæteras infligendi. Hoc est quod Mosi prædixit Deus ante omnes plagas, *Exod. vii, 3*: « Ego indurabo, » id est indurari permittam, « cor ejus (Pharaonis), et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti, et non audiet vos, » etc.; et *cap. ix, vers. 16*, ait Deus ad ipsum Pharaonem: « Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra; » et *cap. x, vers. 1*, ait ad Mosen: « Ingredere ad Pharaonem: ego enim induravi cor ejus, et servorum illius, ut faciam signa mea hæc in eo, et narres in auribus filii tui, et nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, etc., et sciat quia ego Dominus. » Deus enim scit omne verum: e contradictoriis autem propositionibus de futuro, sive eæ absolute sint, sive conditionate, necessario alterutra est vera. Scit ergo determinate Deus utra pars erit vera, quia scit omne verum. Sicut ergo in absolute futuris scit id quod absolute futurum erit, ut quod Antichristus peccabit, etiamsi nullum hujus rei vestigium exstet, nec exstabit nisi post multa sæcula: ita pariter scit id, quod conditionate futurum erit, ut si Antichristo talis vel talis tentatio objiciatur, scit quod illi succumbet, vel non succumbet, prout verum erit, par enim et similis utrorumque videtur ratio: in futuris enim sive absolute, sive conditionate necessario altera pars contradictionis est vera, v. g. si ponatur talis tentatio, erit in Petro consensus, vel non erit: alterum enim necessario accidat oportet, ut sit, vel non sit; nullum enim inter hæc duo contradictoria datur medium. Deus ergo, qui scit omne verum, scit determinate quod erit, vel quod non erit.

Ratio a priori est, inquiunt, immensitas mentis et aciei divini: ipsius enim vis penetrandi, cernendi, cognoscendi quaquaversum est infinita, quare plene usque ad fundum penetrat, perspicit et comprehendit omnes res et causas, etiam contingentes et liberas. Scit ergo quid liberum arbitrium cujusque hominis vel angeli sit facturum, si hæc illave tentatio aut conditio ponatur: quia propensiones, nutus, actus etiam abditos, latentes et occultissimos, plane et plene pervidet, et comprehendit: perinde ut homo acutissimi visus perspicit omnia, quæ in vitrea pyxide conclusa

Immensitas
scienti

sunt. Hinc Davide interrogante, I Reg. xxiii, 12: « Si tradent me viri Ceilæ et viros qui sunt mecum, in manus Saul? dixit Dominus: Tradent, » et tamen de facto non tradiderunt, quia David id a Deo audiens profugit ex Cella, uti ibidem subditur. Sic Christus ait, Matth. xi, 21: « Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent; » et cap. xxiv, 22: « Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi. » Hæc Alfonsus Curiel et commentatores jam citati; verum quæstionis jam dictæ pertractatio proprie pertinet ad scholasticos: vide Suarez, Vasquez, Molinam, Gregorium de Valentia, etc., I part. Quæst. XIV, art. 13, et Curiel hic: mihi enim magnum mare restat arandum, ideoque ad ulteriora pergendum.

S. Augustinus hoc loco confutat semipelagianos.

Denique S. Augustinus, lib. I De Prædest. Sanctorum, cap. xiv, recte valideque ex hoc loco confutat semipelagianos, docentes quemque a Deo prædestinari et gratia donari, vel reprobari et gratia privari ex cujusque merito vel demerito, non absolute, sed conditionate præviso, v. g. Deum hunc parvulum in infantia moriturum prædestinasse, quia præsciebat eum bene operaturum, recteque sua gratia usurum, si supervixisset; illum vero reprobasse, quia præsciebat eum male operaturum, maleque sua gratia usurum, si ei vita superstes fuisset. Directe enim contrarium docet hic Sapiens, scilicet ideo rapi e vita justum a Deo, ne malitia eum mutet: mutandum ergo prævidebat Deus, ni prius eum raperet; rapuit ergo ne mutaretur, sed perstaret in justitia, itaque eligeretur ad gloriam, et salvaretur; alioqui sic raptus reprobatus erat et damnandus, non prædestinandus et eligendus, juxta sententiam semipelagianorum. Audi S. Augustinum: « Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus. Dictum est enim secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est quod ei mortem immaturam fuerit largiturus, ne tentationum traheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. De hac quippe vita legitur in libro Job, cap. vii, vers. 1: Numquid non tentatio est vita humana super terram? sed quare aliis concedatur, ut ex hujus vitæ periculis, dum justi sunt, auferantur; alii vero justi, donec a justitia cadant, in eisdem periculis vita productiore teneantur? quis cognovit sensum Domini? Et tamen hinc intelligi datur, etiam illis justis, qui bonos piosque mores usque ad senectutis maturitatem, et diem vitæ hujus ultimum servant, non in suis meritis, sed in Domino esse gloriandum: quoniam qui vitæ brevitate rapuit justum, ne malitia mutaret intellectum ejus, ipse in quantacumque vitæ longitudine custodit justum, ne malitia mutet intellectum ejus. Cur autem hic tenuerit

casurum justum, quem priusquam caderet hinc posset auferre, justissima omnino, sed inscrutabilia sunt judicia ejus. » Et inferius id probat exemplo parvulorum, « quorum cum alii baptizati, alii non baptizati, vitæ hujus terminum sumunt, satis indicant misericordiam et judicium: misericordiam quidem gratuitam, judicium debitum: si enim judicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non haberent, morte præveniente, sed habituri essent si viverent, nihil prodesset ei qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus; nihil prodesset eis qui lapsi moriuntur, si ante morerentur, quod nullus dicere christianus audebit. » Per præscientiam initio nominatam S. Augustinus accipit absolutam, ut patet ex ratione quam subjungit, non conditionatam; hanc eum agnovisse liquet, lib. De Bono persever. cap. iii, et Enchir. cap. xciv, et De Corrept. et gratia, cap. viii et seq.; tantum ergo vult dicere S. Augustinus merita sub conditione futura, non esse vere merita, ac proinde non esse absolute a Deo prævisa, ut propter ea præmium pœnamve decernat.

Tropologice ex hoc loco S. Cyprianus, lib. De Mortal. quem citat S. Augustinus, De Prædest. Sanctor. cap. xiv, docet mortem justis esse utilem et appetendam, quia eos eximit periculis et tentationibus hujus vitæ, facitque securos et impeccabiles. « Cur non, inquit ex S. Cypriano S. Augustinus, cum Christo futurus, et de Domini pollicitatione securus, qui ad Christum vocaris, amplecteris, et quod diabolo careas gratularis? » et alio loco: « Pueri, inquit, periculum lubricæ ætatis evadunt; » idemque alio loco: « Quid non, inquit, properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum; frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate securo, adhuc de nostra salute sollicita. » Proprie vero hac gnomo docemur petere a Deo, ut nos rapiat e vita cum sumus in justitia, id est in statu gratiæ, atque ingruunt tentationes, quæ nobis periculum peccandi et a gratia excidendi creant: in hoc enim raptu opportuno consistit nostra prædestinatio, electio et salus æterna, uti docet S. Augustinus, De Corrept. et gratia, cap. viii. Qdem enim Deus ita rapit, is habet magnum illud perseverantiæ donum, cum eoque moritur et salvatur, quod proinde sub meritum non cadit, sed humili prece assidue a Deo flagitandum est, uti ex S. Augustino docet Concilium Tridentinum, sess. VI. Quot sunt in cælo, qui nisi cito e vita et tentatione rapti fuissent, nunc essent in inferno? et quot sunt in inferno, qui si cito rapti fuissent, modo essent in cælo? Mors ergo tempestiva et congrua non odii, sed summi amoris, imo prædestinationis et electionis divinæ certum est signum, imo proprius effectus.

Vidit id ipsum per umbram Seneca, qui in

Tropologice mors justo appetenda.

Consol. ad Martiam, cap. xxiii : « Facilius, inquit, ad superos iter est animis cito ab humana conversatione dimissis : minus enim fœcis ponderisque traxerunt; antequam obducerent, et alius terrena conciperent, liberati, leviores ad originem suam revolant, et facilius quidquid est illud obsoletum illitque, eluunt. Nec unquam magnis ingeniis chara in corpore mora est; exire atque erumpere gestiunt, ægre has angustias ferunt, vagi per omne sublime, et ex alto assueti humana despiciere. Inde est, quod Plato clamat sapientis animum totum in mortem prominere, hoc velle, hoc meditari, hac semper cupidine ferri in exteriora tendentem. » Porro S. Gregorius Nyssenus, tract. *De Infantibus, qui præmature abripiuntur*, pulchram dat similitudinem : Sicut, inquit, pædagogus sapiens puerum cito abducit e convivio longiore, in quo multæ sunt epulæ et vina delicata, quæ gulam insidiosè ad excessum sollicitant, indeque vomitum et crapulam creant : sic Deus infantes ex hoc vitæ convivio cito abducit, ne ejus voluptatibus inebriantur et demorentur. Aliud simile ignis affert Plutarchus, *Consol. ad uxorem* : « Nam sicut ignis, ait, si eum extinxeris, mox accendas, excitatur, et concipit flammam ocys : ita animus, si quam citissime hinc avolet,

pervolat extemplo fera timina Ditis,

prius quam ingenti rerum humanarum amore sit imbutus et delinitus, atque quasi ex veneno contabescat. »

Vers. 12. 12. FASCINATIO ENIM NUGACITATIS OBSCURAT BONA, ET INCONSTANTIA CONCUPISCENTIÆ TRANSVERTIT SENSUM SINE MALITIA, — græce δεικνον, id est malitiæ expertem, insontem, innocentem; Vatablus, *fascinum enim vanitatis, quæ honesta sunt obscurat; et concupiscentia vaga sinceram mentem pervertit*. Pro *nugacitatis* græce est φαυλότης, id est malitiæ, improbitatis, nequitiae, vel vilitatis, vanitatis, levitatis, ineptiæ; nugacitas ergo est malitiæ nugax, hoc est, nugis suis illiciens, fascino, et in perniciem deducens hominem; unde Syrus vertit; *zelotypia mali corrumpit bona*; Arabicus, *quoniam corpus malitiæ obnigrat bona*.

Fascinum est genus incantationis, quo homines ita ligantur, ut liberi non sint, nec mentis compotes, sæpe ad extremam maciem deveniant; item quo magi perstringunt oculos et sensus, ut videantur sibi videre, audire, sapere res pulcherrimas, quas revera non vident, nec audiunt, nec sapiunt; unde græcum βροχάτω, id est fascino, dicitur quasi φαυλότω, id est φαύλω καίτω, hoc est oculis aspectu occido, juxta illud Virgillii, *Ecloga III* :

Nescio quis teneros oculus mihi fascinet agnos.

Hinc contra fascinum a gentilibus colebatur et invocabatur deus Fascinus, de quo Plinius, lib. XXVIII, cap. IV : « Religione, ait, mutatur et

Fascinum, imperatorum quoque non solum infantium custos, qui deus inter sacra romana a Vestalibus colitur, et currus triumphantium sub his pendens defendit medicus invidiæ, jubetque eosdem recipere. » Jam

Primo, Franciscus Valesius, *Sacr. Philosoph.* cap. LXVIII, censet fascinum nihil esse, nisi falsam vulgi existimationem, et superstitionum timorem, quo ex recepta apud rudes falsa opinione, multi timent infici ab oculis vetularum, vel lipporum, vel invidorum, cum a parte rei oculi hi intuentem lædere nequeant : sapientem igitur hic a vulgi credulitate, licet falsa, mutuare phrasin et metaphoram. « Fascinatio » igitur « nugacitatis, » inquit, vocatur concupiscentia oculorum, hoc est avaritia et cupiditas rerum alienarum : quia enim is morbus concipitur oculis, vocatur per allegoriam *fascinatio*; dicitur vero *nugacitatis*, quia bonorum fallacium, juxta illud, *Psalm. IV, 13* : « Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? » hoc est, vana et mendacia bona. Itaque concupiscentia oculorum est fascinatio nugacitatis : hæc obscurat bona, quia, ut dicitur I *Timoth. VI, 10*, cupiditas radix est omnium malorum; et, ut ibidem *Sapient.* dicitur : « Instantia cupiditatis transvertit sensum sine malitia. » Itaque locutio illa Sapientiæ de fascinatione allegorica est : allegoria vero accipitur a vulgari opinione. Hucusque Valesius. Idem docet S. Hieronymus in *Galat. III, 1*, ac S. Chrysostomus, *ibid.*, et S. Basilius, hom. 11 *De Invidia*, et noster Delrio in *Magicis* lib. I, cap. III, Quæst. IV et seq. Hinc aliqui fascinum derivant a φαυλότω, id est *inideo*; hoc autem idem est quod *nimum video* : qui enim invidet, a videndo et invidendo nequit oculos avertere. Verum hæc vera sunt, si naturam spectes, nullum enim est naturæ fascinum; non autem si magiam : per eam enim dæmon perstringit et fascinat oculos, aures, omnesque sensus et membra, eosque inficit, morboque et morte non raro afficit, ut patet quotidiana sagarum experientia. Vide Delrio in *Magicis*, lib. III, part. I, Quæst. III, sect. 1, ubi fuse ostendit fascinum non fieri per naturam, sed per magiam et dæmonem, ejusque esse præstigias. Hinc

Secundo, aptius noster a Castro *fascinationem* hanc tribuit suasioni et consilio impiorum sociorum, vel doctorum, vel consiliariorum, qui mala velut bona suadent et consulunt, q. d. Malitiæ, seu improbitatis fascinum obscurat bona, hoc est lædit et corrumpit, quemadmodum fascinator oculis aspectuque faciem infantis, quem aspicit, ita inficit, ut quandoque enecat : sic pravitas, vel potius improbus homo, lædit ac corrumpit pravis suis opinionibus, quæ bona sunt, ut simplex vir mala putet; et contra bona putet, quæ vere mala sunt. Huc accedit noster Delrio loco jam citato : « Fascinum nugacitatis, » inquit, est fascinum vile, nugax et nihili. phrasi hebræa :

Respon-
deo pr-
mo.

Fasci-
num,
quid?

Secur

sic enim significat a vilissimis et a minimi pretii quisquiliis terrenis, maxime a nugatoria et adulatoria laudatione, ita nos perstringi et ludificari, ut ad vera bona prorsus cæcutiamus, ut bona pro malis, mala pro bonis habeamus; terrena cœlestibus, sempiternis interitura præferamus: fascinationis vero nomen usurpat, quia vulgus Judæorum falsam illam fascinationem credebat contingere, adeo ut hujusmodi fascinatorem oculum Saræ impii recutiti tribuere non vereantur, quos Abulensis in *Genes.* cap. **xxi** refellit. D. Bonaventura, *Comment. in versum illum 12*, vidit alludi ad fascinationem, et ideo dicit: Secundum quod homines maligni dicuntur laudando pueros fascinare, satis indicans quanti illa faceret. Hæc Delrio. Huc facit illud Festi Pompeii: « Fascinum et fas a *fando* nominantur, » quia fascinum fiebat per verba loquendo, ac præsertim laudando: credebant enim ethnici laudatione fieri fascinum puerorum, vel formosorum: sic pariter laus fascinat et dementat multos, ut plus se esse æstimet, quam sint, planeque alios et eximios præ cæteris sese autument, quæ magna est nugacitas, tum laudantis, et lepore jocisque suis adulatoriis audientem dementantis; tum ejus qui laudibus suis pascitur, et ultro dementari se sinit. Hi ergo laudatores sunt *nugivendi*, quia nugosas suas laudes vendunt: sic olim *nugivendus* dicebatur, qui aliquid mulieribus venderet, ait Nonius: nam omnia quibus mulieres utuntur, pro rebus vanis et inanibus habentur. Rursum ex adverso *βασανία*, id est *fascinatio*, significat invidentiam, criminationem et obtretationem: hæc enim sæpe fascinat, tam invidum, quam eum cui invidet, dum ejus obscurat et evertit bona opera: dum enim ea criminantur impii, ab iis sæpe cessant pii ex metu humano, ne impiorum maledicentiam in se provocent.

Tertia. Posset, *tertio*, qualibet concupiscentia et illecebra peccati vocari *fascinatio nugacitatis*. quia ipsa rationem, virtutem, honestatem obvelat, tegit et obscurat sua nugaci illecebrosaque pulchritudinis et vanitatis specie ac fuco: species enim voluptatis, qua se obtegit malitia et vanitas peccati, ita fascinat rapitque mentem, ut peccati turpitudinem sub ea latentem non videat, non consideret multo minus virtutis decorem et honestatem. Voluptates ergo sunt quasi sirenes, quæ hominem illecebrosa sua specie et cantu fascinant, ligant et necant. Rursum *fascinatio nugacitatis* sunt phantasmata innumera et vivacia, quæ menti suggerunt ira, libido, invidia, superbia, cæteræque passionibus: hæc enim interius in capite tanta vi, turba et tumultu perstrepunt, ut animam obnubilent, fascinent, et sæpe a vero rectoque abducant. Quod ergo dicit Paulus Galatis, cap. **iii**, vers. **1**: « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus? » *q. d.* Quis vos incantavit, et oculis aspectu

maleficis, veluti præstigio imposuit, ut quod coram cernitis non videatis, et quod non est, id vos cernere putetis? Idem dicas guloso, luxurioso, acedo, iracundo, superbo, avaro: Quis te fascinavit, stolide, ut ob fictam et fallacem speciem voluptatis, gulæ, luxuriæ, acediæ, iræ, superbiæ, avaritiæ relinuas et contempnas rationem, virtutem, legem, cælum ipsumque Deum? Quis te suis præstigiis ita dementavit, ut per modicum mellis æternum fel tibi coemas? ut per guttam dulcedinis, mare amaritudinis et dolorum tibi accersas? ut ob gustus tactusque exilem titillationem, velis ardere jugiter in æternis gehennæ incendiis? o stupor! o fascinum! o amentia! o vesania! Quis error, quod fascinum, quis furor te cogit nugas pueriles, viles, exiles rebus veracibus, solidis, pretiosis, terrena cœlestibus, momentum æternitati, gehennam paradiso, creaturam Creatori anteferre? Vide quæ de nugis et nugacitate dixi *Sophon. iii*, 18.

ET INCONSTANTIA (S. Fulgentius, epist. **ii**, cap. **iv**, legit *instantia*, concupiscentia enim instat, sollicitat urgetque hominem, ut rem concupitam prosequatur) CONCUPISCENTIA TRANSVERTIT SENSUM SINE MALITIA. — Pro *inconstantia* græce est *περὶ ἀνομιᾶς*, id est *evagatio*, error (unde gallicum *réver* et *réverie*), agitatio, turbo, vertigo, circuitio, gyratio, circumrotatio: hinc *πέλεκυς* est *funda*, quæ lapidem rotando jacit. Huic voci pariter affinis est *πέλεκος*, id est *turbo*, *rhombus*, quod est instrumentum, cui femine fila, quæ neverunt, circumvolvunt: quo pariter pharmaceutriæ, sive veneficæ, utebantur ad fascinum, puta ad lunam tortis filis deducendam; unde illud Martialis, lib. **ix**:

Quæ nunc Thessalico lunam deducere rhombi.

Et illud Propertii, lib. **ii**, *Eleg. XXI*:

Deficient magico torti sub carmine rhombi.

Hinc Cervantius vertit, et *rhombus* (circumrotans) *cupiditatis mentem simplicem labefactat*. Hæc igitur vagatio et rotatio concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia, græce *ἀνομιᾶς*, id est *innocentem, sinceram, simplicem, puram*. Concupiscentia ergo est turbo, et instar turbinis hominem in orbem gyrat et rotat, ut nunc ad hoc, nunc ad illud, nunc ad aliud concupiscendum, instar turbinis volvatur et rotetur.

Causa est *primo*, quod concupiscentia sit pruriens et petulans; unde petulanter ab una voluptate ad aliam transcurrit et transilit, ut curiose exploret ubinam sit voluptas major. *Secundo*, quod animum eadem non satiet, utpote vilis et exilis, ideoque illico sui fastidium in eo creet; quare animus, ut se hac satie et tedio leveat, aliud et aliud voluptatis objectum quærit dicens: « Affer, affer, » *Proverb. xxx*, 13. *Tertio*, quod voluptates æque ac vitia inter se connexa sint: acedia enim trahit et incitat ad gulam, gula ad

Concupiscentia est turbo.

luxuriam, luxuria ad iram, ira ad superbiam : vide dicta *Thren.* I, 8. Audi Cassiodorum, tract. *De Amicit.* : « Dum post rei desideratæ obtentum majori se sentit indigentia laborare, præoptata incipit fastidire, et denuo in alterius rei succenditur appetitus, non tamen satianda, sed alterius falsæ felicitatis imaginatione fallenda : hic est circuitus impiorum ; hæc est vituperatio multorum commorantium in circuitu ; hæc est mola Samsonis, quam decisis virtutum crinibus, et effossis prudentiæ oculis circumvolvit, sequens cupiditatum circuitum, etiam relicto compendio charitatis. Caput, inquit, circuitus eorum, labor laborum ipsorum operiet eos. » Hoc est quod ait Psaltes, *Psalm.* LXXXII, 14 : « Deus meus, pone illos ut rotam, » *q. d.* ait Origenes : « Sic illos versa et circumvolve, ut nulla sit quies, sicut rotæ hæc est natura, versari et circumvolvi ; » et Euthymius : « Fac, inquit, eos continue instabiles et crebris mutationibus circumactos : sic enim rotæ poterunt comparari. » Addit S. Augustinus : « Pone illos ut rotam, quod rota ex his quæ retro sunt extollitur, ex his quæ ante sunt dejicitur : sic fiunt omnes inimici populi Dei. » Et S. Gregorius, *XVI Moral.* xxv : « Ut rota ponuntur iniqui, quia in circuitu laboris missi, dum ea quæ ante sunt negligunt, et ea quæ deserenda sunt sequuntur, et posterioribus elevantur, et in anterioribus cadunt. » Et Procopius in *Isai.* LIV : « Est, inquit, errantium cor instabile, ebriorumque more cupiditatibus agitur et vacillat ; quolibet enim spiritu circumagitur, et quod est in proverbio, rapiuntur cupiditatum περιστροφῆς, id est *turbine.* » Vide dicta *Isai.* LVII, 20.

Das peccati radices.

Quocirca S. Chrysostomus, hom. 7 in *Acta* : « Πονηρῆς, inquit, id est malus dicitur, πονηρὸν τὸ πονεῖν, id est a laborando ; sic videlicet Scriptura malitiam semper vocat laborem, ut quando dicit, *Psalm.* X, 7 : *Sub lingua eorum fatigatio et dolor.* » Quin et Seneca, *De Vita beata*, cap. xxviii : « Nonne, ait, nunc quoque, etiamsi parum sentitis, turbo quidam animos vestros rotat et involvit, fugientes petentesque eadem ; et nunc in sublime alligatos, nunc in infima allisos rapit ? » Deluduntur ergo ab infido mundo, et a fallaci dæmone, sicut parasiti ab Heliogabalo imperatore, de quo ita scribit Lampridius in ejus *Vita* : « Parasitos ad rotam aquarum ligabat, et cum vertigine sub aquas mittebat, rursusque in summum revolvebat, eosque ixionios amicos vocavit. » Adulatio ergo, æque ac cupiditas, est Ixionis rota. Duas ergo mali et peccati radices hic notat Sapiens, scilicet pravitatem opinionum et consiliorum in intellectu, quæ est fascinatio nugacitatis ; et vagam cupiditatum intemperantiam in appetitu et voluntate, quæ est inconstantia concupiscentiæ : utraque plenus est hic mundus, quare Deus provida sua benignitate justum ex eo cito per mortem educit, ne in hosce ejus laqueos incidat, capiatur et pereat.

TRANSVERTIT, — id est invertit, pervertit, ut vertit Vatablus, transmutat ex bono in malum, itaque in aliam (hoc enim est ἀλλοε) speciem transformat et transfiguratur, ut vertit Noster, cap. XVI, vers. 25 : græce μεταλλάσσει, id est quasi *metalla effodit*, cavat et eruit, ut Noster vertit, *Deuter.* VIII, 9, *q. d.* Sicut fossores fodiendo e terræ visceribus eruunt aurum, argentum cæteraque metalla, sic concupiscentia e visceribus mentis effodit, eruit et exhaurit omnem sensum, omnem prudentiam, omnem sinceritatem, omnem innocentiam et virtutem, eamque per vitium invertit et pervertit : hæc enim est pretiosa ut aurum, imo auro et argento pretiosior ; quæ proinde si cum cupiditate et vitio commutetur, plane depravatur, viliatur et pervertitur, perinde ac si aurum in æs, argentum in plumbum verteretur et perverteretur, juxta illud, *Jerem.* VI, 30 : « Argentum reprobum vocate eos : » vide ibi dicta.

13. CONSUMMATUS IN BREVI EXPLEVIT (S. Fulgen- Vers. 13.
tius legit, *replevit*) TEMPORA MULTA. — Græce μακροβῆς, id est *longa*, *q. d.* Justus, qui brevi tempore per gratiam Dei, suamque cum illa studiosam cooperationem, evasit in prudentia et virtute perfectus, hic censendus est diu et per multa tempora vixisse. Græce est τελευτῆς, id est qui *ad complementum et consummationem pervenit*, virtutis scilicet, et vitæ justæ : in hunc enim cœu unicum finem a Deo vitæ spatium mortalibus datum et dimensum est ; consummatus ergo in virtute, censetur ad suam mensuram perfectæ ætatis (puta virtutis) pervenisse, licet ætate et annis sit juvenis : nam quæalii per multos annos egissent, hic paucis absolvit, eamque sanctitatem brevi adeptus est, quam alius longo tempore sibi non comparasset, ait Clarius. Unde S. Bonaventura explicat, *q. d.* « Perfectus in gratia modico tempore explevit meritum, quod alii acquirunt per multa tempora : » pertinet enim hæc gnome ad illam vers. 8 : « Cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata : » eo enim redit. Ex adverso de impio dicitur : *Isai.* LXV, 20.

« Puer centum annorum morietur. » Consummatus ergo non est idem quod *consumptus*, mortuus, defunctus, ut vertunt Vatablus et Guarinus : *Exiguo*, inquit, *vite spatio perfunctus vel defunctus paucis longa tempora explevit* ; sed *perfectus* in virtute, qui scilicet per crebros, intensos et heroicis virtutum actus, parvo tempore ad culmen sanctitatis evasit ; unde S. Ambrosius in funere Theodosii imperatoris : « Perfecta, ait, est ætas, ubi perfecta est virtus. » Tempora ergo *multa* vocantur, quæ plena sunt bonis operibus ; *pauca* vero aliorum, quæ iis sunt vacua, juxta illud, *Job* VII, 3 : « Sic et ego habui menses vacuos. » Ubi S. Gregorius, lib. VIII *Moral.* cap. v : « In hac vita, inquit, quædam laboriosa sunt, quædam vacua, quædam vero vacua simul et laboriosa : amore quippe Conditoris, præsentis vite tribulationibus

Consummatus, quis?

exerceri, laboriosum quidem est, sed vacuum non est; amore autem sæculi voluptatibus solvi, vacuum quidem est, sed non laboriosum. Amore vero ejusdem sæculi adversa aliqua perpeti, et vacuum simul est et laboriosum: quia ex adversitate mens afficitur, et remunerationis præmio non repletur. In his itaque S. Ecclesia, qui in ea jam positi adhuc voluptatibus defluunt, et proinde fructu boni operis non ditantur, menses vacuos ducit, quia vitæ tempora sine retributionis munere expendit. » Qui ergo sapis, annos vacuos virtutibus imple.

Exem-
pla.

Sic Christus Dominus vixit tantum 33 annis, totidem fere S. Joannes Baptista, iisque paucis ad quantum meritorum cumulum pervenit! S. Antonius de Padua, ardens et apostolicus prædicator, vixit annis duntaxat 36; S. Casimirus, 23. Tres fuere filia S. Sophiae, omnes gloriosæ virgines et martyres, scilicet S. Fides duodennis, S. Spes decennis, S. Charitas novennis martyrium fortiter obiit: Ecclesia earum triumphum celebrat die 1 augusti. Sic P. Gaspar Barzeus Zelandus, S. Francisci Xaverii socius, imo vicarius, vir apostolicus, septem annis quibus in Societate Jesu vixit, e quibus quinque exegit in India, puta Goæ et Armuziæ, tanta vel multitudine quasi infinita, vel rei magnitudine admiranda perpetravit, vere ut dixit quidam de eo ex India scribens, quod in brevi consummatus expleverit tempora multa, ait noster Trigaultius in ejus *Vita*, cap. xiv. Lege *Vitam* ejusdem, et obstupesces. Is autem quem citat, fuit P. Antonius Quadrius India præpositus provincialis Societatis Jesu, ut patet ex fine *Vitæ*. Atque ut alios faciam, B. Aloysius Gonzaga, Societatis nostræ religiosus, consummatus est anno ætatis 24. Quocirca ipse ad raptum hunc et transitum ab hac vita ad cœlestem assidue suspirabat: cum enim cardinalis Bellarminus, ejus tum confessarius, eum hortaretur ut a Deo vitam longiorem postularet, quod ejus exemplo cæteri instruerentur venia petita, negavit id exsequi se posse: « Quia non potest, inquit, a Deo major homini conferri gratia, quam ad se illum evocare, dum in gratia reperitur, » in cujus gratia se tunc esse sperabat. Idem in quadam epist. quam recitat B. Virgilius Ceparius in ejus *Vita*, lib. II, cap. viii in fine: « Dies, inquit, lætos transigo, sperans intra paucos dies futurum, ut evocet a Deo e terra morientium ad patriam viventium; ab hominum consortio, ad angelorum sanctorumque societatem. » Fuit enim ipse puritate et sanctitate angelus; unde merito Auditores Rotæ, Romæ examinato canonizationis ejus processu, eidem titulum *Angelici* dedere: septennis enim cœpit Deo servire, totumque ei se addicere; novennis virginitatem Deo et B. Virgini dicavit et vovit. Nunquam per omnem vitam peccavit lethaliter, nunquam stimulos carnis expertus est, nunquam distractionem in oratione sensit, uti iidem ex testimonio con-

fessariorum ejus, ac nominatim cardinalis Bellarmini, aliorumque virorum gravium affirmant.

Vidit idipsum per umbram Seneca, *epist.* 69: « Portus petendus, inquit, nunquam recusandus; in quem si quis intra primos annos delatus est, non magis queri debet, quam qui cito navigavit. » Sic Homerus Diomedem inter Græcos nuncupat ætate minimum, prudentia maximum; Demophilum vocat Pindarus annis juvenem, consiliis senem; Appium Claudium natu minimum senatoribus natu maximis Livius anteponebat; puer Ascanius a Marone commendatur, IX *Æneid.* :

Ante annos animumque gerens, curamque virilem.

Audi S. Ambrosium in *Psalm.* cxviii, *serm.* 48: « Liqueat igitur, inquit, quod non senectutis longævitas eligatur, sed custodia verborum Dei. Denique ipse Moyses Jesum Nave et Caleb juvenes præ cæteris approbat, quorum consilium in terra electione magis quam multorum seniorum et ipse secutus est, et Deus prætulit. »

Posset rursum ~~deus~~ verti, primo, *immolatus*; secundo, *consecratus*; tertio, *gloria et honore coronatus*, q. d. Justus omnes suas actiones et passiones offerens, immolans et consecrans Deo, per eas, licet modicas et breves, æterna gloria coronatur instar Christi, de quo ait Paulus *Hebr.* II, 10: « Decebat enim eum propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare, » vide ibi dicta. Aliter hanc sententiam explicat S. Bernardus, *epist.* 254 *ad Guarinum*; nimirum, q. d. Justus licet parvo tempore vivat, tamen consummat et implet tempora multa, quia animo amplectitur totam æternitatem, ita ut, si in æternum viveret, vellet semper Deo servire, et ire de virtute in virtutem; audi S. Bernardum: « Quomodo enim non explevit omnia tempora, qui transit ad æternitatem? Quanta sane tempora, non longævitate, sed longanimitate, hoc est non annorum serie, vel dierum numero, sed mentis devotione et inextinguibili semper proficiendi desiderio percurrere potuit, tanta sibi in meritis non immerito vindicavit. Retinet quippe virtute, quod amisit in tempore. Porro vera virtus finem nescit, tempore non clauditur. » Et paucis interjectis: « Justus nunquam dicit: Satis est; sed semper esurit sititque justitiam, ita ut, si semper viveret, semper quantum in se est, justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur: non enim ad annum vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatu. » Unde concludit: « Sempiterna itaque justus esuries sempiternam meretur refectioem, et licet in brevi consummetur pro tempore, judicatur tamen explesse tempora multa pro virtutis perpetuitate. »

Alius
sensus.

14. PLACITA ENIM ERAT DEO ANIMA ILLIUS (per Vers. 14. justitiam inhærentem, et gratiam illi infusam a

Deo ob merita Christi): PROPTER HOC PROPERAVIT (Dominus, qui præcessit) EDUCERE ILLUM DE MEDIO INIQUITATUM. — S. Fulgentius, *de media iniquitate*; Græca habent duntaxat, *propter hoc festinavit de medio iniquitatem*, scilicet egredi justus, uti Abraham ex Ur Chaldæorum, Lot e Sodomis, Moses et Hebræi ex Egypto; verum melius Noster *propter hoc properavit* refert ad Deum, ideoque subaudit *et educere illum*, Deus enim rapuit justum, uti dixit vers. 11; non ergo justus eripuit seipsum, Deus enim omnis gratiæ, liberationis, perseverantiæ, bonæ mortis et salutis nobis est origo, fons et causa prima et præcipua.

POPULI AUTEM VIDENTES, ET NON INTELLIGENTES, NEC PONENTES IN PRÆCORDIIS TALIA: — subaudi, mirati sunt et murmurarunt, vel contra justum, quasi ipse suis sceleribus meritis sit citam mortem; vel contra Deum, quod justum innocentem subita morte mulctarit. Simplicius et germanius per hebraismum exponas, *q. d. Populi infideles, vel imperiti et rudes videntes*, id est viderunt, citam justum mortem, et causas jam dictas *non intelligentes*, id est non intellexerunt, nec eas cordi habuerunt: Hebræi enim sæpe usurpant *benoni*, id est participium, præsertim præteritum (nam in Græco hic sunt aoristi ὄντες; et ὄνσαντες, qui habent significationem præteriti, *q. d. Cum vidissent, non intellexerunt*) pro ipso præterito. Similis enallage est Rom. XII, 11: « Spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, » etc., hoc est, spiritu fervete, Domino servite, spe gaudete, in tribulatione patientes estote, orationi instate; et II Cor. x, 12: « Sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, et comparantes (id est metimur et comparamus) nosmetipsos nobis, » etc. Hunc esse sensum liquet, quia ita Sapiens se mox explicat dicens vers. 17: « Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, » etc.

Vers. 15. 15. NEC PONENTES IN PRÆCORDIIS (græce, ἐν διανοή, id est in mente, intellectu, cogitatione, *q. d. Non cogitant*) TALIA (græce, ταῦτα, nimirum id quod sequitur) QUONIAM GRATIA DEI, ET MISERICORDIA EST IN SANCTOS EJUS, ET RESPECTUS IN ELECTOS ILLIUS, — *q. d. Populi infideles, vel rudes non intelligunt, nec cogitant quod cita mors sanctorum est insignis Dei gratiæ et misericordiæ, qua sanctos hujus mundi periculis eripit, ac respicit visitatque electos suos, transferendo eos a laboribus vitæ præsentis ad præmia æterna, quæ sua continentia, mortificatione et virtute commeruerunt; unde Vatablus, totum hunc versum connectens, clare vertit, vulgus autem videns hoc non intelligit, nec animadvertit hoc ipsum (quod cito e vita rapiantur justus) beneficium ac misericordiam in sanctos ejus esse, electorumque ipsius habitam rationem: putat enim vulgus mortem præmaturam juveni pulchro, diviti et nobili summum esse malum et maleficium, quia ignorat vitam futuram et glo-*

riosam, in quam transcribitur. Sic hodie mundani, qui vident adolescentes nobiles cito in religione, quam amplexi sunt, mori, æstimant eos infelices et miseros, quia nesciunt nec cogitant hæc morte assecurari eis Dei gratiam et gloriam æternam; unde Cervantes sic per amplificationem exponit: « Hoc illos latuit, nempe quod gratia, beneficium et favor, ac misericordia, seu affectus tenerrimus atque suavissimus, gratia misericordissima, et misericordia gratiosissima Dei sit erga sanctos suos, et erga electos suos providentia singularis, inspectio, observatio et visitatio, et illorum ratio maxima habeatur ab eo. » Minus recte Hugo et alii per *gratiam* accipiunt gratiam justificantem, per *misericiordiam* gratiam comitantem, vel subsequentem.

ET RESPECTUS (græce ἐπινομή, id est inspectio, observatio, respectus, ratio, cura, visitatio ad præmiandum justis labores et dolores pro Deo et pietate susceptos, uti dixi cap. III, 6) IN ELECTOS ILLIUS, — quos sibi Deus ab æterno ante omnem prævisionem operum per gratiam prædestinationis elegit, ut per eam toto vitæ tempore perseverantes in justitia, ab eodem eligerentur et destinarentur ad gloriam æternam, *q. d. Deus peculiarem electorum suorum habet respectum, id est rationem, curam et providentiam, ideoque eos rapit antequam in tentationes incidant et peccent, ut eorum juventutem in pietate exactam præmii gloria cœlesti.*

16. CONDEMNAT AUTEM JUSTES MORTUUS (græce, Vers. 16. θανάω, pro quo Vaticana legit κακῶν, id est laborans) VIVOS IMPIOS, ET JUVENTUS CELERIUS CONSUMMATA LONGAM VITAM (Lucifer pro S. Athanasio legit, *longævitate*; græce est, πολυέτης γῆρας, id est multorum annorum senectutem; Vaticana, *longævam senectutem*) INJUSTI. — Est hæc condemnatio non verbalis, sed realis per vitæ comparisonem et exemplum: « justus enim vita redarguit peccatorem, quem tacite auctoritate majore condemnat, quam si voce loqueretur, » ait S. Ambrosius in Psalm. XXXVI, *q. d. Justus mortuus non verbis, sed factis condemnat vivos impios, quia maluit ipse pie mori, quam impie vivere, quod faciunt impii. Pia ergo eorum mors in juventute obita, reipsa condemnat impiam vitam senis injusti, qui serium vitii et sceleribus deturpat et commaculat: quo enim quis diutius et pejus vivit, eo magis est vituperandus et damnandus. Loquitur in genere de quolibet justo, licet Glossa arctet ad martyrem, Cantacuzenus vero ad Christum a Judæis occisum: quia juvenis Christus quamvis interfectus, vitalis tamen mors ejus, in ipsum credentes ab interitu vindicabit, ac immortalitate donabit; illos vero qui non crediderunt, et præsertim qui desævire in ipsum sunt ausi, aperte redarguet atque damnabit; redemptionis quoque mysterium, quod ipse florenti absolvit ætate, peccati legem, quæ consenuerat, de medio tollet. Hæc ipse vere, sed arcte: loquitur enim*

Sapiens de quolibet justo, sed maxime de Christo, qui justorum est princeps, et Sanctus sanctorum. Hinc Barlaam septuagenarius, rogatus a Josaphat quot esset annorum, respondit: Quadragesima quinque: « Quia tot, inquit, duntaxat servivi Deo, reliquos vero quibus servivi mundo, annos non vitæ, sed mortis computo, » juxta illud: « Vixit, dum vivit bene: » ita Damascenus in ejus Vita. Rursus *condemnat*, id est, in die judicii condemnabit justus mortuus iniquos senes, qui diu vixerunt, dum approbabit sententiam Christi eos ob vitia, in quibus consenuerunt, gehenna dignos judicantis.

Vers. 17. 17. VIDEBUNT ENIM FINEM SAPIENTIS, ET NON INTELLIGENT QUID COGITAVERIT DE ILLO DEUS, ET QUARE MUNIERIT ILLUM DOMINUS. — Hæc gnome pertinet non ad id quod immediate præcessit, *condemnat autem justus mortuus vivos impios*; sed more hebræo paulo remotius ad *versus 14 populi autem videntes, et non intelligentes*: hæc enim verba illis ex æquo respondent, explicantque quid videbunt et non intelligent, scilicet quod populi videbunt finem, id est exitum et mortem præmaturam sapientis, hoc est justii, et non intelligent ejus causam, quare scilicet illum tam cito e medio vitæ cursu et flore rapuerit Deus, quidque de eo facere cogitarit, quia presentis vitæ amore ebrii, futuræ vitæ gloriam non capiunt; unde mortem citam reputant summam esse infelicitatem.

ET QUARE MUNIERIT ILLUM DOMINUS. — Triplex est hic lectio, *prima*, Complutensis et Regia, *quare minuerit illum* (vitæ illius annos et dies, ait Rabanus, et ex eo Holcot) *Dominus*: verum Græca et Latina cætera constanter legunt *munierit, non minuerit*. *Secunda* est Græcorum jam codicum, et *quare munierit* *ἐπέδωκεν*, id est *seipsum Dominus, q. d.* Quare suum decretum de justo cita morte rapiendo, tutum firmumque fecerit Dominus. *Tertia* et genuina est Vulgate et aliorum, qui pro *ἐπέδωκεν* legentes *ἀπέδωκεν*, vertunt, et *quare munierit illum Dominus*, id est *quare Deus justum cito sapiens, eum a peccato, lapsu et damnatione tutum rectumque conservavit; cur ejus saluti caverit, omneque ab ea periculum propulsarit: hoc enim significat græcum ἀπαλλάττω, id est securitate donavit, caverit, tutatus sit; hinc Vatablus vertit, et quorsum eum Dominus tuto conservavit; Clemens Alexandrinus, lib. VI Strom.: Videbunt, inquit, mortem sapientis, et non intelligent quid de eo decreverit, et ad quid eum stabilierit Dominus: justus enim, Deo dante, ut palma omnibus renitentibus oblectatur, et quo magis cæditur, eo altius se erigit, magisque efflorescit, juxta illud, Psalm. cxxii, vers. 18: « Inimicos ejus induam confusione; super ipsum autem efflorescit sanctificatio mea; » ubi Arnobius: « Christus, inquit, comparatur ipsi palmæ semper florenti, qui ad dexteram Dei sedens, victoribus suos ramos porrigit, de floribus suis coronam tribuens,*

et de fructibus perpetua refectione saginam impertiens. »

18. VIDEBUNT (inquam finem, id est citam mortem justii), ET CONTEMNENT (græce ἐξουβηνήσουσιν, id est *nihil facient*) EUM: ILLOS AUTEM DOMINUS IRRIDEBIT. — Qui enim justum contemnit, tacite Deum contemnit, sicut qui servum vel legatum contemnit, ejus herum vel dominum contemnit; Deus autem sicut se suosque honorantes honorat, ita vicissim se spernentes spernit, juxta illud ad Heli, I Reg. II, 30: « Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles; » et illud, Isai. xxxiii, 1: « Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? » alludit ad illud Davidis, Psalm. II, 4: « Qui habitat in caelis, iridebit eos, et Dominus subsannabit eos, » et Psalm. xxxvi, 13: « Dominus autem iridebit eum, quoniam prospicit quod veniet dies ejus. »

19. ET ERUNT POST HÆC DECIDENTES SINE HONORE. — *Primo*, Vatablus, *turpiter corruent*; græce, *ἐσονται εἰς πτώμα*; quod *primo*, cum Nostro vertas, *erunt in ruinam vel casum, vel lapsum inhonorum*, id est honoris expertem et ignominiosum, q. d. Impii, esto ad tempus hic opibus et honoribus exalten-tur, tamen tandem ex apice hoc mundanæ felicitatis et gloriæ decident, ruentque in inopiam, miseriam, vilitatem et infamiam, velut in abyssum, præsertim in morte, et post mortem in gehenna. *Secundo*, vertas *erunt in vile cadaver*: mors enim ex vivis, lautis et splendidis faciet turpia et fœda cadavera, quo enim delicatius nutrita sunt corpora in vita, eo magis putrescunt et fœtent post mortem: græcum enim πτώμα derivatur a πίπτω, sicut cadaver a cado: ita Jansenius. *Tertio*, vertas *erunt sicut olea decidua*, vel sicut poma ab arbore excussa, et in terram cadentia, vel sicut arbor evulsis radicibus in humum projecta, abjecta et ingloria. Sic superius vers. 3 et 4, comparavit impios arboribus vento agitatibus et evulsis: hæc omnia enim significat græcum πτώμα: ita Petrus Nannius hic.

Nonnulli hæc omnia, ut superius dixi, accipiunt de tyrannis occidentibus martyres; Cantacuzenus vero accipit de Judæis Christum crucifigentibus: hi enim ob infame hoc christifidum a Tito excisi, venditi, ad bestias daranati, exsules et vagi, toti orbi ludibrium facti sunt; verum plene et adæquate hæc accipias de impiis quemlibet justum persequentibus.

ET IN CONTUMELIA INTER MORTUOS IN PERPETUUM. — Lucifer Calaritanus, *Apolog. pro S. Athanasio*, legit, *erunt in contumelia mortis in perpetuo*; Vatablus, et *ignominia inter mortuos perpetua laborabunt*, tum apud homines, tum apud superos, tum apud inferos: ibunt enim in gehennaam, ubi erunt ludibrium dæmonum, juxta illud, Dan. xii, 3: « Evigilabunt alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper; » et Isai. lxxvi, 24: « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non

extinguetur; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. » Tò *inter mortuos* idem est quod *inter damnatos*: cadavera enim impiorum putrescent in sepulcro, animæ vero cruciabuntur perpetim in gehenna cum damnatis, juxta illud, *Psalm. XLVIII, 48*: « Sicut oves in inferno positi sunt (Theodoretus, *constituerunt seipsos*, unde extricari non valeant), mors depascet eos; » S. Hieronymus, *mors pastor erit eorum*, et subdit: « Merito pascuntur a morte, qui Christum noluerunt habere pastorem bonum, » *Joan. XI, 14*; et illud S. Gregorii, lib. XV *Moral.* cap. XII, ubi expendit illud *Job. XX, 18*: *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur*: « Non morte consumitur, inquit, quia si consumeretur vita morientis, etiam pœna finiretur; sed ut sine fine crucietur, vivere in pœna compellitur, ut cujus vita mortua hic fuit in culpa, illic ejus mors vivat in pœna. »

Mors viva in gehenna.

Impii erunt elingues in die judicii.

QUONIAM DISRUMPET ILLOS INFLATOS SINE VOCE, — *q. d.* Sicut uter inflatus et vento turgidus, magno fragore diffringitur et rumpitur: sic Deus impios fastu tumidos, in morte magno fragore et dolore disrumpet, facietque ἀφρόνους, id est *sine voce* (aliqui legunt ἀφρόνους, vel potius ἀφρόνας, id est *amentes*, ut scilicet mente, id est consilio et judicio carere, et omni ratione destitui videantur). Porro *sine voce*, id est elingues et mutos, instar piscium, ut nec loqui possint, nec, si possent, mutire vel hiscere audeant, præ confusione et conscientia scelerum; hinc ille non habens vestem nuptialem in nuptiis coelestibus Agni, obmutuit; unde ligatis manibus et pedibus projectus est in tenebras exteriores, *Matth. XXII, 12*. Porro Græca, verba transponunt, sic enim habent, *quoniam rumpet illos sine voce inflatos*, vel, ut nonnulli legunt, *inflatos*; unde Cervantes τὸ *sine voce* refert ad *inflatos*, sicque explicat, *sine voce*, hoc est quasi flamma, blando pariter et acri silentio absumente ac deglutiente impios, emissa cœlitus, et absque ulla resistentia, sine hujus vel illius rami sese frangentis, ac veluti conquerentis fragore, integros illos penitus perdet, profligabit, dimovebit, et igne iræ divinæ sic devorabit, ut transferat quoque de loco suo in infernum.

Interpres noster pro πρῆξις videtur legisse πρῆξις, a πρῆξις, id est *insto*, vel *inflammo*; unde vertit *inflatos*, idque apte cohæret cum verbo *disrumpet*; alii vertunt *inflatos*, imo nonnulli pro *inflatos* censent legendum *inflatos*; unde πρῆξις est *prester*, hoc est igneus turbo; Vatablus vero et alii legentes πρῆξις, a πρῆξις, id est *præcipito*, aut *in caput propendo*, vertunt *pronos*, demissos, vel *præcipientes*; unde Vatablus vertit, *quoniam conguassabit illos interclusa voce præcipitatos*: præcipitabit enim eos in tartara. Porro disrumpet Deus impios, *primo*, in morte, cum animam avellet et abrumpet a corpore; quæ avulsio ob summam animæ cum corpore unionem, est amarissima. *Secundo*, in judicio abrumpet, dividet et separabit eos a societate angelorum et

Disrumpet Deus imp multiplicitier.

beatorum. *Tertio*, in gehenna disrumpet eos tormentis, verberibus, plagis et doloribus acerrimis, ut membratim dilaniari et disrumpi videantur. Alludit ad tormentum rotarum, in quibus latronibus brachia et membra confringuntur; et ad rotas, quibus martyres circumacti, per suppositos cultros et gladios laniabantur et rumpebantur: similes enim rotas, sed longe atrociores in gehenna viderunt sancti, qui eo in spiritu a Deo rapti fuere, quibus damnatorum corpora distortuebantur et discerpebantur, sed ita ut semper rediviva ad nova tormenta persisterent. Vide auctores, qui de tormentis inferni scripsere, ac præsertim Dionysium Carthusianum *De Pœnis inferni*, art. 47 et sequent. et *De Judicio animæ*, cap. XII et sequent. Quarto et genuine, græcum ἐπίρριψαι significat *cum vehementia et fragore elidere*, et superne decidere, uti procellosa pluvia et grandio solet; item *divelli* et *abripri*, uti terræ hiatu absorbentur arbores, domus, magnæque moles: simili enim modo corpora damnatorum inflata, crassa et ponderosa instar plumbi ex valle Josaphat, ubi a Christo judicabuntur et damnabuntur, dehiscente terra magno impetu et fragore elidentur, divellentur, abripientur atque corruent in imum tartari, quæ omnia Noster innuit voce *disrumpet*, id est *abrumpet*.

ET COMMОВEBIT ILLOS A FUNDAMENTIS, ET USQUE AD SUPREMUM DESOLABUNTUR: ET ERUNT GEMENTES, ET MEMORIA ILLORUM PERIBIT. — *Et commovebit illos a fundamentis*, id est, ut Vatablus, *funditus eos commovebit*, sicut commoventur et conguassantur arbores, domus, vel ostia, cum a fundamentis et cardinibus evelluntur: alludit ad illud *Job XXII, 16*: « Fluvius subvertit fundamentum eorum qui dicebant Deo: Recede a nobis; hebraice est, *fluvius effusus* (Septuaginta, *fluens*) *fundamentum eorum*: alludit ad aquas diluvii. Fluvius hic significat impetum iræ Dei in improbos, et citam eorum consumptionem, ac inundantium in eos calamitatum immensam vim et molem. *Et usque ad supremum desolabuntur*, id est, *extreme desolabuntur*, ait Vatablus, ut nihil eorum salvum remaneat: par enim est ut impii, qui in hac vita summas habuere delicias, consolationes et gaudia, in futura pariter summas habeant mœstias, desolationes et tormenta. *Et erunt gementes*, græce, *et erunt in dolore multiplici et maximo*, qualis est parturientium; hunc enim significat ἰδύνη: cruciabuntur enim igne et tormentis gehennæ. *Et memoria illorum peribit*, eo sensu, quem superius dedi.

Pœna damnatorum.

20. VENIENT IN COGITATIONE PECCATORUM SUORUM Vers. 20. TINIDI, — græce *venient ἐν συλλογισμῶν*, id est *in syllogismo*, puta in ratiocinatione, supputatione, collectione, *q. d.* Impii in mente et memoria sua, dictante conscientia, in usum quasi cumulum colligent omnia sua scelera vitæ antea actæ, quo fiet ut summo timore percellantur, et extremo pudore consternentur; hinc Vatablus vertit, *prodebunt pavidi peccatorum suorum reputatione*, pro-

dibunt scilicet, ut rationem singulorum factorum, dictorum et cogitatorum Christo iudici exactam reddant; unde pavidi secum reputabunt quid Christo sint responsuri, et nihil appositum invenient.

In die
iudicii
omnia
impio-
rum cri-
mina pa-
tebunt.

ET TRADUCENT (græce δᾶρξα, id est, *palam coar-
guent* et convincent, omnibusque ut reos convictos
spectandos proponent) ILLOS EX ADVERSO INIQUI-
TATES IPSORUM, — ut eas negare, palliare vel ex-
cusare nequeant : conscientia, quæ est mille
festes, in die iudicii ostendet, non solum ipsismet
impiis, sed omnibus hominibus et angelis omnia
eorum crimina, juxta illud :

Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Hinc Vatablus vertit, *suisque sceleribus coram con-
vincuntur* : sic cap. II, vers. 14 : « Factus est no-
bis, inquit, in traductionem, » id est in publicam
reprehensionem.

Minus recte Cantacuzenus : Traducunt, inquit,
hoc est, seorsum ducent, et abducent impios a
societate sanctorum; græcum enim δᾶρξα idem
est quod impio impropere Jeremias, cap. II,
vers. 19 : « Arguet te malitia tua, et aversio tua
increpabit te, » q. d. Non opus erit accusatore vel

teste, quia ipsa conscientia tua scelera toti orbi
pandet, accusabit et testabitur; et Job, cap. xv,
vers. 24 : « Terrebit eum tribulatio, et angustia
vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad
prælium. »

Expende singula Sapientis verba a vers. 18
hucusque, et totidem impiorum ac damnatorum
in gehenna pœnas reperies : singula enim novum
intentant supplicium : porro Holcot singulas pœ-
nas culpis congrue sibi respondentibus ita appo-
site adaptat et adæquat. Decidentium impiorum,
præsertim tyrannorum, dejectio, inquit, sumet
pœnam de ambitiosa eorum superbia; contume-
lia respondebit contumeliæ qua sanctos affece-
runt; irrisio pariter irrisioni; perpetuitas irroga-
bitur obstinationi, qua vitam in peccatis perpe-
tuaverunt usque ad mortem; disrumpentur, si-
cut pios disruperunt; erunt sine voce et muti,
quia sanctos inauditos condemnarunt, nec eis
spatium se defendendi, aut facultatem loquendi
dederunt; commovebuntur a fundamentis, qui
funditus pios exstirpare conati sunt; desolatio
succedet consolationi carnali, gemitus risui, vo-
luptatibus et deliciis; memoria eorum peribit,
quia ipsi oblitii sunt Dei legis, virtutis et salu-
tis suæ.

Singulo-
rum
damna-
torum
pœnam
equiva-
ratio.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

*Graphice describit impiorum in inferno veram, sed seram pœnitentiam et complorationem, quod scilicet vi-
dentes piorum, quos persecuti sunt, gloriam, et sua supplicia, præterita hujus vitæ gaudia vanitatis et
fugacitatis accusabunt. Ex adverso, vers. 16, describit justorum gloriam et regnum æternum, quodque
Deus in die iudicii pro iis contra impios depugnabit, in eosque omnia iræ suæ tela et fulmina ejacula-
bitur.*

1. Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. 2. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, 3. dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. 4. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore : 5. ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. 6. Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis. 7. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. 8. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? 9. Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens, 10. et tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam : cujus, cum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus : 11. aut tanquam avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aerem : commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius : 12. aut

tanquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius: 13. sic et nos nati continuo desivimus esse, et virtutis quidem nullum signum valnimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus. 14. Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt: 15. quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur: et tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur: et tanquam fumus, qui a vento diffusus est: et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. 16. Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. 17. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos. 18. Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. 19. Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea iudicium certum: 20. sumet scutum inexpugnabile, æquitatem: 21. acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. 22. Ibunt directe emissiones fulgurum, et tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient. 23. Et a petrosa ira plene mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. 24. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti dividet illos: et ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, et malignitas evertet sedes potentium.

Vers. 1.

1. TUNC STABUNT JUSTI IN MAGNA CONSTANTIA ADVERSUS EOS QUI SE ANGSTIAVERUNT. — Tunc, scilicet in die iudicii, cum desolabuntur et damnabuntur impii, uti dixit in fine cap. præced. *Stabunt iusti in magna constantia*, hoc est, cum immobili securitate et insuperabili fortitudine, ait Dionysius; Græca habent in singulari *tunc stabit iustus* (scilicet quilibet, hoc est omnes iusti: est synecdoche) in multa *καίρῳ*, id est loquendi libertate, confidentia, audacia, contra faciem eorum qui afflixerunt eum, puta contra faciem impiorum qui tunc erunt timidi et pavidi, uti dixit cap. iv, vers. 24, ideoque non stabunt recti, sed tremuli et curvi, hoc est, non levabunt caput, nec cerices erigent, sed veluti pondere scelerum oppressi procumbent, juxta illud, *Psal. 1, 5*: « Non resurgent impii in iudicio; » unde S. Augustinus, lib. II *Contra Gaudent.* cap. xxxvii, donatistis, qui se jactabant justos, hoc loco abutentibus respondet: « Absit, absit, inquit, ut stent cum magna constantia, cum stabunt cum tam mala conscientia. » Hinc Syrus vertit, *stabunt iusti cum magna fiducia ante eos qui angustiaverunt eum*, scilicet Deum, de quo sermo præcessit; Arabicus, *tunc stabit iustus cum magna fiducia adversus faciem eorum qui eum contristaverunt.*

ET QUI ABSTULERUNT LABORES EORUM, — id est primo bona labore eorum parta, vel labori eorum debita fraudarunt, vel expilarunt: ita S. Bonaventura, Lyranus, Dionysius et S. Augustinus, epist. 50 ad Bonifac.: minus apte Hugo exponit, q. d. Qui exemerunt illos vita laboriosa, inferendo eis mortem. Pro *abstulerunt*, græce est ἀρτερεύω, quod secundo verti potest, qui reprobarunt, vel vituperarunt; tertio, qui irritarunt, id est cassos et ritos fecerunt labores eorum, ut suo carerent

fructu, de quo mox plura. Porro Arabicus vertit, *qui negaverunt laborem* (mercedem laboris) *ejus*. Porro confidentiam et constantiam hanc, ait S. Bonaventura justis afferet justitia causæ, parata probatio, advocatus Christus, Spiritus Sanctus, Beata Virgo, adversariorum impotentia, amicitia affinitasque cum iudice, benevolentia assessorum apostolorum, familiaritas cum angelis iudicis officialibus.

Nota, PRIMO, τὸ *stabunt iusti*, scilicet tanquam milites victores et triumphatores impiorum: esto enim in iudicio primarii iusti, uti apostoli et religiosi, virique apostolici cum Christo sedebunt iudicantes duodecim tribus Israel, id est omnes gentes, *Matth. xix, 28*; tamen cæteri communes iusti adstabunt Christo iudici, tum quia ab eo erunt iudicandi et adjudicandi cælo; tum quia vincuntium est stare, victorum jacere. « Imperatorem stantem mori decet, » aiebat Vespasianus imperator, teste Suetonio; multo magis milites Christi, puta justos et beatos, stare decet. Sic S. Stephanus vidit Christum stantem a dextris virtutis Dei, *Act. vii, 55*: beati enim in cælo stant tanquam gloriosi triumphatores, uti *ibid.* dixi. Lazarus inter cætera jacebat ad mensam divitis, cupiens satiari de ejus micis, velut canis, *Luc. xvi, 21*; at in cælo stabit, et dives jacebit.

Nota, SECUNDO, τὸ *adversus eos*, vel, ut græce est, *contra faciem eorum*, primo, idem est quod *coram eis*: iusti suam gloriam spectandam objicient impiis qui eos afflixerunt et occiderunt, ut videant quam dispar sit vitæ ipsorum, ac suæ exitus et terminus, nec ipsos interiisse, sed vitam miseram commutasse in beatam et gloriosam, quod valde impios cruciabit, sicut divitem epulonem cruciabat gloria Lazari, ad quam ex inferno non pote-

Sancti in
cælo
stant
quasi
victores.

rat emergere, *Luc. XVI, 24. Secundo*, proprie *τὸ contra faciem eorum* significat, quod in die iudicii sancti, præsertim martyres, insurgent contra tyrannos, qui se cruciarunt et necarunt, eosque coram Christo accusabunt, et cum eo condemnabunt; unde S. Bonaventura et Glossa: « Accusabunt, inquiunt, justis persecutores suos, et sancti martyres tyrannos qui eos adduxerunt in angustias. » S. Petrus et Paulus ergo in die iudicii impietatis arguent et condemnabunt Neronem, S. Sebastianus Diocletianum, S. Laurentius Valerianum, S. Cæcilia Almachium (unde S. Valerianus S. Cæciliæ sponsus, Almachio totum hunc Sapientis locum recitavit, et minando objecit), S. Vincentius Dacianum, etc. Unde noster Edmundus Campianus, vere *Campianus*, hoc est athleta Christi, cum in Anglia hæreticorum ministros ad disputationem provocaret, invictis decem rationibus armatus, illas ita concludit. Reginam enim modeste, sed libere alloquens: « Veniet, ait, Elisabetha, dies ille qui tibi liquide commonstrabit utri te dilexerint, Societas Jesu, an Lutheri progenies. » Acerbius septem Machabæi fratres excruciali ab Antiocho tyranno, eidem Dei iudicium et tormenta gehennæ comminati sunt, II *Machab. VII, 35*.

Martyrum exprobratio in tyrannos.

Nota *tertio*: Pro et qui abstulerunt labores eorum, græce est, qui spreverunt, vituperarunt, irritarunt labores eorum; quod non tantum de bonis et opibus, sed et de laboribus proprie accipias, *q. d.* Justis in iudicio redarguent impios, quod labores suos salutare, quibus ipsos aliosque ad Dei cultum et salutem æternam provehere satagebant, spreverint, obscurarint, impediunt, cassos et irritos fecerint, itaque Deo honorem, aliis exemplum, sibi salutem inviderint et eripuerint, dum pia justorum monita, æque ac mores deriserunt et exploserunt. Quæ omnia tunc magna libertate et fortitudine justis exprobrabunt impiis in os et faciem, dicentque: Meministi, o Nero, o Deci, o Diocletiane, cum tuo tribunali vincitustis adestarem, me hæc tibi prædixisse; at non credidisti mihi, nunc ergo invitus crede et experire tum nostram felicitatem et gloriam, tum tuam infelicitatem et gehennam. Hæc est illa dies, quam exspectavimus, tibi que intentavimus fore, ut passioni et martyrio nostro merces perpetua, tuæ vero tyrannidi incendia sempiterna decernerentur. Nonne veri prophetæ fuimus? cerne et crede, at sero, ad tuam majorem confusionem et condemnationem. Recordaris nos ad hunc diem provocasse, nos ad hoc tribunal appellasse, appellationem nostram audire noluit, sed irrisisti. Audivit et exaudivit eam Christus; tunc nos rei fuimus, tu iudex; nunc vice versa tu reus es, nos iudices. Audi ergo nostram, imo Christi de te sententiam, eamque irrevocabilem, sed iustissimam, ideoque ex zelo iustitiæ, non vindictæ in te dictatam. Quia Christi hostis fuisti, sanctos ejus occidisti, Ecclesiam oppugnasti, fidem ever-

tisti, ito, impie, ito, sceleste, ito, maledicte, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.

2. VIDENTES (Cantacuzenus addit *eum*, scilicet *Vers. 2.* justum) TURBANTUR TIMORE HORRIBILI. — *Videntes*, scilicet, non *justi*, sed *impi* i qui justos afflixerunt: a justis enim transit ad impios. Græce est aoristus *ἰδόντες*, *q. d.* Cum viderint, vel postquam viderint impij tantam justorum gloriam et constantiam, percellentur extremo pavore et angore: videbunt enim jam de se suaque salute esse conclamatum et desperatum; videbunt suos esse iudices, qui olim ipsorum fuere rei, damnati ab ipsis ad mortem atrocem: quare jam simile, imo atrocius iudicium et damnationem ab eis exspectantes, pavebunt extreme. « Spectabitur illic tortor a martyribus semper, qui martyres in suppliciis spectavit ad tempus, » ait S. Cyprianus *ad Demetr.* Adde, videbunt majestatem iramque iudicis, deformitatem corporum suorum, et horridas spectrorum formas a dæmonibus assumptas; unde consternati dicent « montibus et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira Agni, » *Apocal. VI, 16*.

ET MIRABUNTUR IN SUBITATIONE (id est in subita adeptione, ait S. Bonaventura, Hugo, Dionysius et Glossa) INSPERATÆ SALUTIS. — Græce, *ἐκπρόσθεν ἐν τῷ παράδοξῳ τῆς σωτηρίας*, id est *stupebunt*, et quasi extra se in exstasi rapiuntur *in paradoxo*, id est in opinione *salutis*, id est propter admirabilem et inopinatam salutem, gloriamque justorum, quos ipsi perditos, et in morte plane quoad animam et corpus interiisse existimabant. *Παράδοξον* enim est qui novum, admirabile, inexpectatum, insolens, præter opinionem rapiuntur *in paradoxo*, qualia sunt paradoxa Ciceronis et philosophorum: sic gloria justorum impiis inexpectata accidit, videbiturque esse aliquod paradoxum, et quasi miraculum; quare eis admirationem, stuporem, pavorem, et quasi exstasin injiciet. Sic fratres Joseph, eum a se venditum reputantes mortuum, cum jam vivum et principem Ægypti viderent, « non poterant respondere nimio timore perterriti, » *Genes. XLV, 3*: nihil enim ita affligit, quam subita commutatio ex summa felicitate et gloria in summam infelicitatem et vililitatem. Rursum nihil ita pungit oculos inimici quam si ex allo in imum se cadere, inimicum vero ex imo in altum erigi suscipiat, uti contigit Mardocheo cum Aman. Unde S. Bonaventura Hugo et Dionysius hanc *subitationem insperatæ salutis* interpretantur, quod subito, ex improvise et repente justis assequantur tantam salutem et gloriam.

3. DICENTES INTRA SE. — S. Cyprianus et Lucifer *Vers. 3.* pro S. Athanasio legunt *inter se*: utrumque significat græcum *ἐν ἑαυτοῖς*, et utrumque erit verum: *primo* enim *dicent*, id est cogitabunt intra se, deinde ex vehementia doloris in vocem et

complorationem erumpent, dicentque, imo clamabunt inter se, ita ut iusti eminus positi facile audire queant; unde codex Vaticanus legit, *dicent sibi invicem pœnitentes, et propter angorem spiritus gementes*; Lucifer, *dicent inter se pœnitentiam habentes*; Vatablus, *pœnitentia tacti*, sed sero; Antonius in *Melis*. part. II, cap. LXXIV, legit *tunc dicent in seipos*, id est contra semetipsos invehentes et debacchantes acri et vehementi increpatione et oburgatione.

POENITENTIAM AGENTES (talís fuit Antiochi pœnitentia, II *Mach.* IX, 13, et Esau, *Hebr.* XII, 17, et Judæ proditoris, *Matth.* XXVII, 3 : horum enim pœnitentia ex odio et timore non culpæ, sed pœnæ manavit) ET PRÆ ANGSTIA SPIRITUS GEMENTES. — Quia, ut ait Cantacuzenus, gemitus et suspirii causa est spiritus angustia, et respirandi difficultas : cum enim præcordia dolore comprimuntur, indeque major spiritus, sive anhelus vis intercipitur, qui deinde simul totus erumpere satagit, in gemitum et suspirium erumpit : huc facit illud, *Isai.* LXV, 14 : « Vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis. »

HI SUNT QUOS ALIQUANDO HABUIMUS IN DERISUM, ET IN SIMILITUDINEM IMPROPERII. — S. Cyprianus et Lucifer, *in risu*, et *in similitudine improperii*. Græca, Lucifer et alii hæc omnia nervosius legunt in singulari de quolibet justo, hoc modo, *hic erat, quem habuimus aliquando in derisum, et in parabolam improperii*, id est in parabolam probrosam, in fabulam ignominiosam, in proverbium contumeliosum, quo utuntur homines, cum volunt cuipiam improperare, vel conviciari : dicent enim : Fias infamis, deridearis, sisque fabula, ludibrium et probrum hominum, sicut factus est talis, qui simulabat se justum : sic *Psal.* XLIII, 15, dicitur : « Posuisti nos in similitudinem (græce, *in parabolam*) in gentibus, commotionem capitis in populis; » et paulo antea, vers. 14 : « Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro. » Sic Job queritur, cap. XVII, 6 : « Posuit me, inquit, quasi in proverbium vulgi, et exemplum sum coram eis; » et cap. XXX, vers. 9 : « Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum eis in proverbium, » in fabulam : similia sunt *Jerem.* XLVIII, 52; *Deut.* XXVIII, 37; *Ezechiel.* XVI, 44, et alibi. Cantacuzenus hæc omnia refert ad Christum, de quo scriptum est, *Apocal.* I, 7 : « Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt; et plangent se super eum omnes tribus terræ. » Verum de quolibet justo loquitur Sapiens, ut dixi, sed maxime de Christo, qui est justus antonomastice, utpote Sanctus sanctorum.

Vers. 4. 4. NOS INSENSATI VITAM ILLORUM ÆSTIMABAMUS INSANIAM, ET FINEM ILLORUM SINE HONORE. — Ita principes Jehu regis de propheta ad eum misso ab Eliseo aiunt, IV *Reg.* IX, 41 : « Quid venit insanus

iste ad te; » et Festus ad Paulum, *Actor.* XXVI, 24 : « Insanis, Paule : multæ te litteræ ad insaniam convertunt; » et ipse Paulus, I *Corinth.* IV, 10 et 13 : « Nos stulti propter Christum, blasphemamur, et obsecramus : tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. » Quin et Christus ipse ob crucem suam gentibus fuit stultitia, Judæis vero scandalum, ut idem ait I *Corinth.* I, 23. Adeoque cognati Christi ipsum æstimantes furiosum, ligare voluerunt, *Marc.* III, 21. Denique sancti nonnulli humilitatis et mortificationis studio stultos se simularunt, uti fecit Simon cognomento *Salus*, id est *stultus*.

Mundani ergo vitam sanctorum æstimant insaniam, quia mundanis insanum videtur carnem domare jejuniis, ciliciis, disciplinis affligere, mortificare sensus, appetitus coercere. S. Gregorius Nazianzenus in *Laude S. Gorgoniae* : « O animam corpore propemodum etiam sine cibo, velut experta materiæ retinentem; vel, ut rectius loquar, o corpus sibi ipsi moriendi necessitatem etiam ante mortem imponens, ut libertatem consequeretur anima, nec a sensibus impedimenti quidquam acciperet! » Et post pauca : « O tenera membra in terram provoluta, seque aspere præter naturam exercientia! O lacrymarum fontes præ tribulatione profusarum, ut in exultatione messem faciant! O nocturnum clamorem nubes penetrantem, atque ad Deum pervadentem! » Et S. Paulinus, epist. 10 ad Severum, de Melania : « Cui refectio in jejunio, requies in oratione, et panis in verbo, habitus in panno, lectus in sagulo et centone durus in terra, etc., et sanctæ animæ in Domino vigilare requiescere est. » Et S. Hieronymus, epist. ad *Heliodorum* : « Super nudam metuis humum exesa jejuniis membra collidere? sed Dominus tecum jacet. Squalidi capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. Infinita eremi vastitas te terret? sed tu paradysum mente deambula. » Huc etiam facit quod de B. Epiphano Ticinensi episcopo scribit Ennodius in ejus *Vita* : « Talem bellatrix dextera animæ suæ certaminibus reddebat carnem, ut illi opus esset postea pro necessitate succurri. » B. Petrus Damianus, serm. 39 De SS. *Donat. et Hilar. mart.* : « Mollioris vitæ latitudinem sprevit (B. Donatus), abstinentiæ rigore illecebrosa carnis incentiva calcavit; et antequam per dignitatem sacerdotialis officii ejus prædicaret lingua, prædicabat jam efficaciter sub honestis et disciplinatis moribus vita; » et paulo post : « Sulcabat terram suam vomere disciplinæ, ut uber segetum proventus erumperet, et illucescente cœlestis gratiæ radio fertilis germinaret, » etc.

5. ECCE QUOMODO COMPUTATI SUNT INTER FILIOS DEI, ET INTER SANCTOS SORS ILLORUM EST. — Græca non habent *ecce*, et cætera habent in singulari, hoc modo, *quomodo computatus, vel annumeratus est (justus) in filiis Dei, et in sanctis sors illius est? Filios Dei vocant, non per gratiam solum, sed per*

Mundo
vita
sancto-
rum est
insania,
cur?

gloriam, qui scilicet velut hæredes Christi hæreditatem felicitatis æternæ possident : hæc enim est sors hæreditaria, æque ac beata et felix sanctorum et beatorum. Quanta dignitas sit esse filium Dei, multis ostendi *Ose. i, 10*, in fine. Vere « nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum, » *Psal. cxxxviii, 17*.

Ver. 6.

6. ERGO ERRAVIMUS A VIA VERITATIS, ET JUSTITIAE LUMEN NON LUXIT NOBIS, ET SOL INTELLIGENTIAE (ita Romani, sed Regii habent, *sol justitiæ*; alii, *sol duntaxat*) NON EST ORTUS NOBIS. — Vere S. Hieronymus *ad Lætam* : « Venena, ait, non dantur, nisi melle circumlita; et vitia non decipiunt, nisi sub specie umbræque virtutum. » Impii ergo hic damnant seipos erroris et stultitiæ triplicis, primo, quod erraverint a via veritatis, id est veræ virtutis, vel etiam veræ fidei, uti a fide aberrant hæretici, ethnici et athei; secundo, quod justitiæ lumen, puta lumen rationis et prudentiæ iis non luxerit, eo quod illud spreverint, volentes degere in tenebris voluptatis et concupiscentiæ; tertio, quod sol intelligentiæ, id est Deus et Christus, « qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, » iis non sit ortus, eo quod ipsi fenestras cordis clauserint, itaque ejus radios ad intelligendum ea quæ sunt Dei et salutis, excluderint. De hoc sole ait Malachias, cap. iv, vers. 2 : « Et oriatur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus : » ubi plura hac de re dixi. Audi S. Ambrosium *in Psalm. xxi* : « Solem hic justitiæ arbitror designari, hoc est Christum Dominum, qui nobis ignorantia tenebris et peccatorum cæcitate submersis cælestis doctrinæ suæ lumen infudit, et quos non habebamus oculos cordis inseruit, et velut radios quosdam apostolos suos misit, qui nos de morte teterrima delinquentes liberarent, et paulatim resolutis in nobis tenebris peccatorum matutina susceptione consuescerent, ut perfecti facilius possimus tolerare solis ardorem, hoc est, primum nos præceptis facilioribus erudirent, quo capaciores efficerent cælestium secretorum. » Idem, *serm. 16 De Nativit. Christi* : « Hic, ait, est sol novus, qui claustra penetrat, inferna reserat, corda rimatur. Hic novus est sol, qui spiritu suo vivificat mortua, corrupta reparat, suscitât jam defuncta, vel qui calore suo purgat sordida, exurit fluvida, decoquit vitiosa. Ipse, inquam, est, qui in cunctis actibus nostris perspicit omnia opera nostra, et non tam condemnat crimina, quam emendat. Hic plane est sol justus et sapiens, qui non sine discretione, sicut istius sol mundi, bonis ac malis similiter circumfertur, sed quodam judicio veritatis sancto lucet, occidit peccatori. » Audi et S. Gregorium, lib. XXXIV *Moral. cap. xii* : « Omnes impii in extremi die judicii, cognita sua damnatione, dicturi sunt, *Sapient. v, 6* : *Erravimus a via veritatis, et lumen justitiæ non luxit nobis, et sol non est ortus nobis*, ac si aperte dicant : Interni nobis luminis radius non refulsit. Unde et

Joannes ait, *Apocal. xii, 1* : *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus* : in sole enim illustratio veritatis, in luna autem, quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta autem Ecclesia, quia superni luminis splendore protegatur, quasi sole vestitur; quia vero cuncta temporalia despicit, lunam sub pedibus premit. » Hoc est quod ait Isaias, cap. vi, vers. 9, et ex eo Paulus *Rom. cap. xi, vers. 8* : « Dedit illis Deus spiritum compunctionis; oculos, ut non videant; et aures, ut non audiant : » vide ibi dicta.

Hunc damnatorum serum et inconsolabilem gemitum graphice exprimit S. Cyrillus, orat. *De exit. animi, et secundo adventu* : « Non posset, ait, ullum hominum os metum illorum terroremque declarare; nulla hominis labia satis magnam vim habent, ad dicendum illorum statum atque ploratum : gemunt continenter et sine intermissione, sed nullus est qui misereatur; vociferantur ex profundo, sed nullus est qui exaudiat; lamentantur, sed nullus est qui liberet; exclamant et plangunt, sed nullus est qui commoveatur. Tunc ubi hujus mundi jactantia? ubi inanis gloria? ubi deliciæ? ubi voluptas? ubi petulantia? ubi apparatus? ubi requies? ubi ornatus? ubi pecuniæ? ubi nobilitas? ubi tunc delectatio? ubi corporis virilitas? ubi falsa illa et inutilis mulierum pulchritudo? ubi tunc impudens et effrenata audacia? ubi tunc vestimentorum comptus? ubi peccandi impura et frivola delectatio? » Vide totam ejus orationem. Similia habet S. Ephrem, qui plenus spiritu compunctionis instar turturis ubique gemit : audi eum, tract. *De Variis tormentis inferni* : « Tunc amarissime illacrymantes, ejulantesque dicent : O quo pacto in negligentia atque torpore tempus nostrum transigimus? O quomodo illusi sumus? O quomodo divinam Scripturam audientes irridentesque nos ipsos irrisimus? Ibi Deus loquebatur nobis per Scripturas, et non attendebamus : hic jam clamamus, et ipse suam a nobis faciem avertit. Quid nobis proderunt fines mundi? Ubinam qui nos genuit pater, ubi quæ nos peperit mater? ubi filii? ubi amici? ubi divitiæ? ubi substantiæ atque possessiones? ubi turbæ? ubi convivia? ubi varii et intempestivi cursus? ubi reges atque potentes? Quomodo a nullo eorum salvari modo possumus, neque vero nobis ipsis opem ferre? At penitus derelicti sumus, et a Deo et a sanctis ejus. » Prosequitur deinde ulteriora eorum lamenta : « Quid faciemus? non est amplius pœnitentiæ locus, non valet amplius deprecatio atque intercessio. Nulla amplius lacrymarum utilitas. Non amplius qui oleum nobis vendant, apparent pauperes atque mendici : soluta est enim omnis celebritas. Dum nobis erat tempus, suppeterentque facultates, ipsique venditores olei clamarent : Emite, obturatis nostris auribus, nec audire nec emere oleum volumus; modo autem quærimus,

Serum et
inconsolabilem
gemitum
damnatorum
ac ultimam
valem.

et non invenimus. Nulla amplius nobis miserabilibus reliqua est redemptio, nulla amplius misericordia, neque enim sumus digni. Justum est Dei iudicium. Non jam amplius sanctorum adspiciemus ordines. Non amplius lucem illam veram contuebimur, orbatī sequestratique sumus ab omnibus. » Denique ultimum eorum *vale* ita patheticè describit : « Dicendum quid restabit? Valetate, justī universi. Valetate, apostoli, prophetæ, martyres. Vale, cœtus patriarcharum. Vale, monachorum agmen. Vale, crux speciosa atque vivifica. Vale, cœlorum regnum, omni fine carens. Vale, superna Jerusalem, primitivorum mater. Vale, paradisi voluptatis. Vale etiam, tu domina Dei genitrix, mater amatoris hominum Dei. Valetate, patres ac matres, filii atque filiæ, nullum siquidem vestrum visuri sumus ultra. Postea vero abiturus est unusquisque in præparatum sibi ob prava sua opera tormentorum locum, ubi vermis eorum non moritur, neque ignis exstinguitur. »

Vers. 7. 7. LASSATI SUMUS IN VIA INIQUITATIS ET PERDITIONIS. — Græce, *repleti vel satiati sumus viis iniquitatis*, id est ambulavimus per vias iniquas usque ad satiem, puta ad lassitudinem : saties enim in ambulando est corporis lassitudo, sicut saties in comedendo est ventris plenitudo ; unde Noster solerter vertit, *lassati sumus*. Hinc græci *πενίτη*, id est *malitiam* et iniquitatem, derivant a *πένος*; id est *labor*, et a *πενών*, id est *laborare*, eo quod omnis iniquitas plena sit laboris et molestiæ; unde et in Scriptura ipsa vocatur *labor* et *dolor*, uti docet S. Chrysostomus in *Psalm. cxxx*, et hom. 7 in *Acta*. Hinc et amor ipse vocatur *labor* et *dolor*, quia eum parit : nam sine dolore non vivitur in amore, præsertim mundano et carnali; unde illud de senibus Susannæ castitati insidiantibus, *Dan. xiii*, 10 : « Erant ergo ambo vulnērati amore ejus, nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum : erubescabant enim indicare sibi concupiscentiam suam. » Amor ergo est dolor. Huc facit illud Virgīlii de Didone, amore *Æneæ* saucia :

Vulnus alit venis, et caeco carpitur igne.

Idem locum habet in amore casto et sancto; unde ait sponsa, *Cant. ii*, 5 : « Quia amore languo. » Symmachus, *quia vulnerata amore ego sum*.

ET AMBULAVIMUS VIAS DIFFICILES. — Græce, *διωδύταται ἐρημὸς ἄβυσσος*, id est *pervasimus eremos* (Lucifer pro S. Athanasio legit *eremias*) *inviās*, puta solitudines inaccessas, et deserta impermeabilia, nimirum mille periculis, mille molestiis obsita; Syrus, *ambulavimus in deserto sine duce*; Arabicus, *ambulavimus vias inambulabiles*, vel in *desertis inextricabilibus*. Ita vocant viam iniquitatis, voluptatis et concupiscentiæ, tum quia meatu est difficillima; tum quia deserta a Deo omnique bono; tum quia per eam via nulla est ad felicitatem; tum quia ducit ad desolationem æternam. Vide S. Gregorium Nazianzenum, tract.

Via
concupiscentiæ
spinosā.

De Vitæ itineribus. Considera, an non avaro sit difficile maria et terras obire, ut opes congreget? guloso ventrem infarcire, ut capite doleat, stomacho nauseet, membris torpeat, febribus æstuet, crapula milleque morbis crucietur? luxurioso veneri vacare, ut luem veneream, sordes, vomicas et carcinomata patiatur? superbo, irato, invideo, ut mille animi æstibus, timoribus et doloribus agitetur, dum se despici, æmulum suspici sibi anteferri videt? Hic verum est illud, *Psalm. xiii*, 3 : « Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt : » nam, ut recte ait noster Lorinus, aut fœdantur luto intemperantes, aut lapidibus læduntur avari, aut arduo lassantur ascensu ambitiosi, aut spinis cruentantur iracundi, aut tenebris invidi cæcantur, aut turba adulatores comprimuntur, malisve exemplis, aut inæqualitate et confragositate acediosi retardantur. Ex adverso de via justorum dicitur, *Proverb. cap. iv*, vers. 18 : « Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem ; » et *ibid.* cap. xv, vers. 19 : « Iter pigrorum quasi sepes spinarum, via justorum absque offendiculo. » Porro impii difficultatem hanc, quasi amore ebrii et stupidi, sæpe non sentiunt, aut non advertunt. Causam dat Auctor imperfecti apud S. Chrysostomum, homil. 23 in *Matth.* : citato enim hoc Sapientiæ loco, subdit : « Ergo laborant multum, et conteruntur in sæculo, sed laborem non sentiunt, spiritus enim qui seducit eos, ipsos delectat in malo : sicut enim qui suscipiunt jugum Christi, Christus eos delectat in spiritu, ne fatigentur in bonis operibus, sic et qui jugum suscipiunt diaboli, diabolus eos delectat et decipit, ne discedant a malo impii usque ad mortem suam. Ideo dicit Christus : *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve*. Nam etsi corpore non gravantur peccatores, nec laborant, animæ tamen eorum gravatæ sunt et laborant, dicente Propheta de onere peccatorum : *Quoniam iniquitates meæ superposuerunt caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super me*. Et iterum Zacharias, cap. v, 8, *iniquitatem super talentum plumbi sedere conscribit*.

VIAM AUTEM DOMINI IGNORAVIMUS. — Hæc est via regia virtutis, amanti plana et facilis, quæ recta ducit ad felicitatem et cœlum.

8. QUID NOBIS PROFUIT (IMO VERO quantum ob- Vers. 8.
fuit) SUPERBIA? AUT DIVITIARUM JACTANTIA QUID CONTULIT NOBIS? — nil nisi mille curas, animi ægritudines, scelera, mordacia conscientiæ tormina, ac corporis mentisque supplicia præsentia et æterna; S. Cyprianus et Augustinus legunt, *divitiarum jactatio*; Lucifer, *divitiæ cum exultatione*; Græca, *divitiæ cum jactantia quid contulerunt?* nam divitiæ sine jactantia multum conferunt ad virtutem, puta ad eleemosynam, per quam divites sibi emunt cœlum; verum jactatio vel jactantia opum non prodest, sed obest, quia excitat superbiam, iram, invidiam, etc., quæ recta du-

cunt ad tartara. Pro *jactantia* græce est *δυσκολία*, id est *superbia*, fastus, insolentia, ostentatio, arrogantia, hæc omnia pariunt divitiæ, ni virtute regantur; unde multos tales videmus divites. Syrus, *quam utilitatem attulit elatio, aut quam utilitatem attulit nobis habitatio superbiæ nostræ? Arabicus, et quid attulerunt nobis divitiæ cum magnificentia?*

Vers. 9. 9. TRANSIERUNT OMNIA ILLA TANQUAM UMBRA (Cujus cum vita analogias recensui *Eccle.* cap. VII, 1, et cap. VIII, 13), ET TANQUAM NUNTII PERCURRENS.— Ita Romana, et hoc significat græcum *παρέρχουσα*: quare minus recte alii legunt, *præcurrens nuntius*. Hic non intelligitur masculine, ut sit idem, quod vir nuntians, sive cursor, sed neutre, ut sit idem quod *nuntium*, græce enim est *ἀγγελία*, id est *annuntiatio*, nuntium; rumor, fama; nuntium enim cum affertur, tamdiu duntaxat consistit; quamdiu ab ore dicentis ad aures audientis perfertur. Rumores sæpe falsi sunt, et sive veri, sive falsi sint, cito pertranseunt et evanescent instar somnii. Cum essem Lovanii, quotidie per urbem rumores miri, sed ficti spargebantur, multosque commovebant, sed illico evanescebant. Inquisitum est in auctores, et deprehensi sunt duo, qui quod noctu somniarant, mane in vulgus spargebant. Tales sunt opes et voluptates omnes hujus vitæ. Id clare vident singuli in morte; unde nuper Philippus III, pius Hispaniarum rex, moriturus aiebat: «Nihil prodest regem esse, nisi ut in morte cruciet fuisse.»

Nota PRIMO, impii hic rerum evidentia suaque jactura et damno convicti serio, sed sero, agnoscunt vanitatem suarum opum, honorum et voluptatum, quod scilicet cito abeant et evanescant, nullo relicto sui vestigio; unde eas comparant rebus summe fugacibus, scilicet primo umbræ; secundo rumori; tertio navi aquam sulcanti; quarto avi per aerem transvolanti; quinto sagittæ emissæ. Quid umbra inanius? quid rumore vanius? quid navi fugacius? quid ave volante velocius? quid sagittæ jactu ocysus et pernicius? Nota SECUNDO, hic esse mimesin, sive imitationem, non tam verborum, quam sensus impiorum, imitatur enim Sapiens refertque non tam dicta vel dicenda, quam ipsa sensa eorum: nil enim cogit nos dicere, quod impii in die judicii complorantes, iisdem hisce similitudinibus omnibus sint usuri; sufficit, quod hisce vel similibus utantur, perinde ac facit S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 10: «Ejusmodi, ait, vita nostra est, fratres, qui fluxam vitam ducimus; ejusmodi in terra ludus, ut cum non simus, nascamur; cum nati sumus, rursus dissolvamur. Insomnium sumus minime consistens, spectrum quoddam quod teneri non potest, avis prætereuntis volatus, navis in mari vestigium non habens, pulvis, vapor, ros matutinus, flos suo tempore nascens, et suo tempore marcescens. *Homo sicut fenum dies ejus, tanquam flos agri sic effloret.* Pulchre S. David his

verbis de nostra imbecillitate philosophatus est, quemadmodum et in illis: *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.* Quin etiam dies humanos palmi mensuram esse definit: nam quid de Jeremia quispiam dixerit? qui cap. XX, etiam matri succenset se in lucem editum dolens, idque propter aliena peccata.»

10. ET TANQUAM NAVIS, QUÆ PERTRANSIT FLUCTUANTEM AQUAM: Cujus, cum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus.— Pro *carinæ* græce est *καρίνα*, id est *itineris* (aliqui perperam legunt *τριβών*, id est *semitarum*) vel ingressus, aut meatus ejus inter fluctus; hunc enim illico ubi navis pertransiit, fluctus obruunt; verum exemplaria correctata pro *καρίνα* habent *τριβών*, id est *carinæ*, uti verlit Noster. *Carina* proprie est ima pars navis, ejusque fundus et quasi venter, qui aquam subintrat et sulcat, non relicta semita, sive non terendo viam. Vox *fluctuantem* et *fluctus* notant pericula navis et navigantium, ut nunc fluctibus in cælum attolli, nunc in abyssum deprimi videantur, juxta illud, *Psal.* CVI, 26: «Ascendunt usque ad cælos, et descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat;» et illud Ovidii:

Tollimur in cælum, nunc imas radimus undas.

Longe majora sunt pericula hujus vitæ, præsertim voluptuariæ impiorum.

Apposite voluptas et vita comparantur navi et navigationi ob æquam utriusque brevitatem, fugacitatem, pericula et naufragia: navis enim est currus marinus, quo multi merguntur. Nota est historia Jonæ natantis et navigantis in ventre ceti, et ad Deum suspirantis, cap. II, vers. 6: «Circumdederunt me aquæ, inquit, usque ad animam, abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluderunt me in æternum.» Hinc Sodalitas apud Stobæum, *serm.* 121: «Mors, inquit, omnium mortalium portus est.» Hinc et priscorum sepulcra erant ad mare et portus: unde ibidem sepulti sunt Ajax et Cato, teste Plutarcho in eorum *Vita*, ac Mathathias cum filiis Machabæis, ut patet I *Machab.* XIII, 29. Hinc illud Propertii, lib. III, *eleg.* V:

Ite, rates curvæ, et lethi contextite causas:
Terra parum fuerat, fati adjecimus undas.

Et illud Alexidis apud Stobæum, *serm.* 59: «Quisquis, ait, mare navigat, is aut insanit, aut mendicus est, aut mori cupit: ex his tribus non fieri potest, quin unum saltem verum sit;» quibus congruit Plinius, lib. II, cap. XLVII, dicens: «Nec tamen sævitia tempestatum concludit mare; piratæ primum coegerunt mortis periculo in mortem ruere, etc., nunc idem hoc avaritia cogit.» Addit Stobæus ex Sophocle:

Mare navigantes plane sunt homines miseri,
Quibus neque dæmon, neque deorum aliquis unquam

Sepulcra ad mare.

Divitiarum dignam tribuerit gratiam;
 Similes autem urinantibus mergis.
 Sæpenumero de navibus mare circumspicientes
 Sedemus ad littora conversi, illa vero adhuc eminus
 Alluuntur, modicum autem lignum mortem prohibet.

Addit Plinius in *Proœm.* lib. XIX: « Quot velis navigatur, tot modis provocari mortem. »

Methodus navigationis gaudi per hanc vitam.

Porro recte per hanc vitam navigandi methodum docet S. Gregorius Nazianzenus, orat. 3 *De Pace*: « Ne æmulemini, inquit, mercatores, qui partim nimis mercibus onerata navi ventrem potius disruperint, navimque aquis demerserint, quam ut ex inexplebili aviditate fructum capiant, et dum pauca lucra captant, gravissimis damnis afficiuntur; cavendum ergo ne graventur corda, » etc., ut *Luc.* XXI, 34, cavetur. Et S. Chrysogonus martyr scribens S. Anastasiæ, Christi gratia in vincula connectæ, sic ait: « Idem omnes mare navigavimus, et corpora nostra ejus fluctus sulcant, veluti navigia, quæ animæ perinde ac naucleri gubernant; ex his autem navigiis aliqua tam fortia, tam bene compacta sunt, ut perfacile scindant impetu maris undas, et per medios fluctus absque detrimento pertranseant ad portum exoptatum; tam alia fragilia, ut passim de salute periclitentur. Gaude ergo, Anastasia: etsi enim tua ista navigatio non sine maximis tempestatibus et periculis agitur, brevi atque feliciter cursus navigationis tue finietur, atque in portum exoptatum, Christo fruitura cum martyrii palma pervenies. » Vide B. Petrum Chrysologum, serm. 8 *De Jejunio*, et S. Chrysostomum orat. *De Philogonio*, et S. Maximum, hom. 2 *De S. Eusebio*.

Porro Plinius, lib. XXXII, cap. IV, ait: « Licet incredibile dictu, aliqui tradunt tardius ire navigia testudinis dextrum pedem vehementia; » sed hoc fabulosum et superstitiosum videtur, si litteram spectes; verum tamen est, si tropologice intelligas: *pes* enim *testudinis* est affectus acredi, tardi et pigri, qui navim et navigationem suam in portum felicitatis sua inertia multum remoratur et retardat. Ergo vitam humanam navigationi esse persimilem liquet, et ex humani corporis fabrica universim ac sigillatim per partes inspecta; et primo ex loco ubi ea ædificata est a Deo, pene enim ad hujus normam generationes cæteræ; secundo varietate rerum, quibus constat; tertio ventorum flabris, quibus movetur; quarto ex spina, capite, lingua, umbilico et id genus aliis, quæ singularem cum carina, puppi, clavo et anchora habent analogiam. Solet navis construi atque compingi ad sinus et ripas aquarum, in quas proximas facile jam perfecta conjici possit; sed ita ut machinis opus sit, ut de navibus propter intermissam navigationem in littus subductis, et transacta hieme in mare deducendis, a parte totum nominans, canit Lyricus lib. I *Carmin. od. iv*:

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
 Trahuntque siccas machinæ carinas.

Sic et corpus Adæ propter, sive juxta aquas, *Genes.* II, 7, « formavit Dominus Deus: » audi S. Gregorium, lib. VI, *epist.* 26: « Vita nostra naviganti similis est; is qui navigat stat, sedet, jacet, vadit, quia impulsu navis ducitur: ita et nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. »

11. AUT TANQUAM AVIS, QUÆ TRANSVOLAT IN AERE, Vers. 11.
 CUJUS NULLUM INVENTUR ARGUMENTUM ITINERIS, SED TANTUM SONITUS ALARUM VERBERANS LEVEM VENTUM, ET SCINDENS PER VIM ITINERIS AEREM: COMMOTIS ALIS TRANSVOLAVIT, ET POST HOC NULLUM SIGNUM INVENTUR ITINERIS ILLIUS. — Græca pro *sed tantum sonitus*, clarius habent, *percussio vero*, seu *ictus turbans verberatum aerem levem, et scissum vi stridoris motis alis pertransiit, et post hoc non est signum inventum meatus in eo.* Πάρρη in dandi casu habent multi codices cum Vaticano, quod veritur, *ictu aut percussione*, ut *avis* sit suppositum verbi *pertransiit*; at, ut in Complutensi et Regio legitur, in recto Πάρρη, *ictus vel percussio*: Vulgatus sensum recte explicuit: idem pro Πάρρη, id est *percussio*, vertit *sonitum*, quia avis percutiens alas aerem, volando excitat sonitum. Est metonymia: « Scindens per vim itineris aerem, » id est scindens per vim, sive violentiam aerem, quem secat iter faciendo, sive scindens aerem per vim, quam facit itinerando, puta volando. Perinde igitur omnia hujus mundi gaudia illico transeunt, imo transvolant, instar avis per aerem transvolantis.

12. AUT TANQUAM SAGITTA EMISSA IN LOCUM DESTINATUM (græce, in scopum, qui sagittariis tangendus præfigitur), DIVISUS AER CONTINUO IN SE RECLUSUS EST, UT IGNORETUR TRANSITUS ILLIUS. — Το *sagitta emissa* non est nominativi, sed ablativi casus, ut patet ex græco. Noster videtur legisse ἀνεκλεισθη, id est *reclusus est*: aer enim dum in se redit, in se quasi clauditur, unitur et coit; jam legunt ἀνεκλεισθη, id est *resolutus est*, aer enim sagitta divisus stringitur et condensatur, ac post eam solvitur, laxatur, et in se quasi solutus redit. Sensus est, *q. d.* Sicut postquam sagitta in scopum destinatum emissa est, illico aer per eam divisus in seipsum revolvitur ac redit, ita ut ignoretur ejus trajectory vel transitus: sic prorsus vita nostra, ubi ad mortis metam devenit, nullum sui relinquit vestigium, sed res omnes in sese redeunt, ac opes ad hæredes transeunt, domus ab aliis habitantur, agri et vineæ ab aliis coluntur, perinde ac si herus eorum jam defunctus nunquam eas possedisset, sed tantum eas instar sagittæ celerime pertransisset, vel potius pervolasset. Rursum, sicut aer sagitta divisus, post eam illico coit in sese: sic sublato factioso qui rempublicam in schismata dividit et secat, illico illa coit in sese, reconciliatur et tranquillatur. S. Gregorius, lib. XVI *Moral. cap. v*, iisdem fere similitudinibus inanitatem rerum temporalium representat: « Car-

Analogia hominis et navis.

nalis gloria, inquit, dum nitet, cadit; dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Sic ad nubila fumus attollitur, sed repente in nihilum tumescendo dissipatur. Sic ab infimis nebula densescendo se erigit, sed exortus hanc solis radius, ac si non fuerit, abstergit. Sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccat. Sic spumosa aquarum bullae inchoantibus pluviis excitatae ab intimis certatim prodeunt, sed eo celerius diruptae deperunt, quo inflatae citius extenduntur. Cumque excrescunt ut appareant, excrescendo peragunt ne subsistant. »

Nota hic gradationem : primo enim comparant impii fugacitatem suarum voluptatum umbræ, quæ fugit, sed pedetentim et lente; sequitur enim pari passu suum corpus. Secundo, nuntio, quod velocius est umbra, nuntium enim perferunt cursores. Unde nuntium sive famam ita pingit Virgilius, IV *Æneid.* vers. 174 :

Fama
descrip-
tio.

Fama melam, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo;
Parva metu primo, mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
Illam terra parens ira irritata deorum,
Extremam, ut perhibent, Cæco Enceladoque sororem
Progevit, pedibus celerem, et pernicibus alis.

Tertio, comparant eam navi, quæ ventis acta velocior est cursore et nuntio : navis enim est quasi currus marinus ventis alatus et impulsus, juxta illud Tibulli :

Ipsa levi fecit volitantem flumine currum.

Quarto, avi, quæ volatu suo superat cursum tam navis, quam cursoris. Quinto, sagittæ, quæ omnium est velocissima, maximo enim fertur impetu. Simili gradatione utitur Job cap. ix, vers. 23 et 26 : « Dies mei, inquit, velociores fuerunt cursore fugerunt, et non viderunt bonum : partransierunt quasi naves poma portantes (quæ celerius cæteris navigant, ne poma marcescant), sicut aquila volans ad escam. » Ergo re profundius perpensa non est sagitta, quæ tam cito ex arcu in scopum insiliat; non est avis, quæ ocyus transvolet; non est navis, quæ aquilone impulsita raptim per mare decurrat; non est umbra, tam subito apparens et disprens; non est ventus, tam rapide per terram fluitans; non est fulmen ita velociter e cælis in terras delapsum, quam velociter ab ortu rapimur ad occasum, a vita ad mortem, a cunis ad tumulum; nec prius ad vivendum, quam ad moriendum in orbem ingredimur, par est progressus vitæ et mortis; nascendo morimur, pulvis sumus, et in pulverem statim reversuri. Quicumque ergo mortalis es, et morte damnatus, assidue de morte cogita, et ad mortem te compara. Tempus itaque velocibus omnibus velocius est, quo decurrit vita nostra, omnisque ejus voluptas, tum quia tempus est mensura motus primi mobilis, qui est velocissimus;

Vita ac
temporis
velocitas.

quævis enim stella octavi cæli, sive firmamenti in æquinoctiali posita, singulis horis conficit 43 milliones miliarium; longe plus spatii conficit nonum cælum, ac magis decimum, multoque magis undecimum, si quod sit : nam nonnulli mathematici neoterici plures quam decem cælos se invenisse asserunt; cogita ergo quam velox sit tempus : vide dicta *Genes.* I, 14; tum quia ex tempore nihil est præsens, nisi *nunc*, id est instans vel momentum temporis, tempus enim præteritum non est, sed fuit, futurum non est, sed erit; *nunc* autem per instans unicum duntaxat durat, quare in instanti est, et in instanti esse desinit; in instanti ergo, id est celerrime, transit et avolat : unde sequitur :

13. SIC ET NOS NATI CONTINUO DESINIMUS ESSE (Vatablus, *defecimus*) : ET VIRTUTIS QUIDEM NULLUM SIGNUM VALUIMUS OSTENDERE : IN MALIGNITATE AUTEM NOSTRA CONSUMPTI SUMUS. — Tunc continuo non est in Græco, sed subintelligitur, uti patet ex jam dictis, et ex similitudinibus allatis : nam motus umbræ, nuntii, navis, avis et sagittæ continuo transeunt et desinunt; ergo et vita nostra, qui illis simillima est, continuo transit et desinit. « Quotidie morimur, ait Seneca *epist.* 24, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ; et tunc quoque cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam; usque ad hesternum, quidquid transiit temporis, perit; hunc ipsum, quem agimus, diem cum morte dividimus. Quemadmodum clepsidram non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit : sic ultima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus :

Mors non una venit, sed quæ rapit ultima, mors est. »

Hinc S. Augustinus, lib. XIII *De Civit.* cap. x et xi, docet vitam nostram non esse aliud quam continuum cursum ad mortem.

ET VIRTUTIS QUIDEM NULLUM SIGNUM VALUIMUS OSTENDERE. (Non valuimus, quia non voluimus : voluntatem enim nostram ita occupavimus voluptatibus, ut virtuti vacare non vellet, nec valeret, vires enim ejus omnes exhausimus in gustu sensuque voluptatum : quare plenæ et perfectæ virtutis, præsertim eminentis et heroicæ, ac imprimis gratiæ et charitatis divinæ, nullum actum edere potuimus, etsi virtutis humanæ, ut elemosynæ, aliquos actus ediderimus; sed) IN MALIGNITATE (græce, ἐν κακίᾳ, id est in malitia) NOSTRA (hoc est primo, propter malignitatem nostram; secundo, nostromet vitio in interitum corrumpimus; tertio, cum omni astutia et prudentia nostra nescivimus consulere nobismetipsis; sed) CONSUMPTI SUMUS, — græce, καταπαρώμενοι, id est sumpti et impensa exhausti sumus, quasi dicat : Omnem sumptum, omnem expensam, omne pretium, omne impendium tum temporis, tum opum, tum

sanitatis, tum virium sive corporis, sive animæ, impendimus et expendimus in nostras malas et pravas voluptates: quare in iis quoad omnia exhausti et consumpti sumus. O nos dementes! si enim hæc in Dei obsequium, uti debebamus, impendissemus, non fuisset consumpti, sed in vita, gratia et gloria consummati. Jam autem opes, famam, corpus, animam, omniaque nostra impendimus, fecimusque pretia nostri exitii: iis enim quasi pretio carissimo emimus et comparavimus nobis tormenta gehennæ, o stoliditatem, o vesaniam nostram, æternis ardentibusque lacrymis deplorandam!

Vers. 14. 14. TALIA DIXERUNT IN INFERNO HI QUI PECCAV-
RUNT. — Hæc verba non exstant in Græco, sed
subintelliguntur: ex dictis enim liquet huc us-
que locutos esse impios. Per *infernum* accipe
primo, non gehennam, sed locum inferiorem in
valle Josaphat, in quem conjiciendi sunt impii
velut rei in die judicii, ut excipiant sententiam
damnationis a Christo, indeque deturbentur in
infernum gehennæ: hæc enim impiorum cum
piis disceptatio instituenda est in die judicii, non
in gehenna, ut patet ex dictis, licet eorum com-
ploratio duratura sit in gehenna per omnem
æternitatem: ita Dionysius et noster a Castro.
Unde *secundo*, infernus hic accipi potest pro ge-
henna, ut impii in die judicii damnandi dicantur
esse in inferno, quia adjudicati inferno mox in
infernum ibunt, ut jam alterum pedem habere
videantur in inferno, etsi reipsa in eo necdum
sint, nec ejus tormenta sentiant, unde nec eorum
meminerint; sed ubi in eo illa senserint, conti-
nuabunt et mille ejulatibus augebunt sua hæc
lamenta. Sicut ergo reus ob scelera suspenden-
dus concionatur e patibulo, ut suo exemplo cæ-
teros a furtis et sceleribus absterreat: sic hic
concionantur impii ex inferno, ac sua complora-
tione omnibus inclamant illud Virgilio, VI *Æneid.*
vers. 620.

Discite justitiam moniti, et non temnere divos.

Vers. 15. 15. QUONIAM SPES IMPII TANQUAM LANUGO EST,
QUE A VENTO TOLLITUR: ET TANQUAM SPUMA GRACI-
LIS, QUE A PROCELLA DISPERGITUR: ET TANQUAM
FUMUS, QUI A VENTO DIFFUSUS EST: ET TANQUAM ME-
MORIA HOSPITIS UNIUS DIEI PRÆTEREUNTIS. — Con-
firmat Sapiens dicta impiorum, quod scilicet vol-
uptates transeant illico instar umbræ, nuntii,
navis, avis et sagittæ, aliis quatuor similitudini-
bus, scilicet lanuginis, spumæ, fumi et hospitis.
Legit Noster $\chi\epsilon\upsilon\sigma$, id est *lanugo*, jam legunt $\chi\epsilon\upsilon\sigma$,
id est *pulvis*. *Lanugo* est mollis lana; item primi
genarum barbæque pili, item plumæ, pappi,
villi, qui lanæ habent similitudinem; unde Plin-
ius, lib. XXV, cap. XIII: *Senecio* herba dicitur,
quasi *senis lanugine*, inquit, et canis pilis vestita,
eo quod in pappos abeat, et lanuginem carduo-
rum floribus similem habeat: sic villi et flocci
arborum, herbarum et plantarum vocantur ea-

Novem
emblemata bre-
vitatibus
vita.

rum lanugo, quæ per aerem volitat, et vento
levissimo impellitur, præsertim in autumno, cum
a tenui aura difflatur. *Spuma* fit ex fluctibus ma-
ris vel fluminis inter se collisis, cui simile est
illud, *homo bulla*; unde notat hominem opibus,
viribus, scientia, honore inflatum et turgidum,
cujus inflatio et fastus instar spumæ levi adver-
sitate procella dissipatur. *Fumus* ex igne assurgit,
notatque ambitionem vel iræ impetum, qui instar
fumi quo altius attollitur, eo citius evanescit, juxta
illud, *Psalm. LXXII*, 18: « Dejecisti eos dum alle-
varentur; » et illud, *Psalm. XXXVI*, 20: « Deficien-
tes quemadmodum fumus deficient. » *Memoria*
hospitis diei unius prætereuntis: cum ipsa die
desinit: sic et vita nostra cum ipsis ejus diebus,
adeoque ultimo ejus die desinit. Hospites ergo
hic sumus, peregrini et advenæ diei, sicut
et omnes patres nostri.

Simili modo et schemate Patres voluptates vitæ
hujus comparant ventis, mari, procellis, somnis
ob similem inconstantiam et fugacitatem. Audi
Gregorium Nazianzenum, orat. *De Pauperibus*
amandis: « Nihil est in rebus humanis natura
stabile, nihil æquabile, nihil sufficiens, nihil in
eodem statu permanens; sed omnia quadam ve-
luti rota circumvolvuntur, diversas sæpe diebus
singulis, etiam horis, vicissitudines afferente; ut
instabilibus ventis, et navigii mare secantis ves-
tigiiis, et fallacibus noctis insomniis, quorum
brevis est gratia, et his quæ per ludum in arena
fungunt pueri, magis fidendum sit, quam præ-
senti hominum prosperitati. Quare prudenter
faciunt, qui propterea quod non fidunt rebus
præsentibus, rationibus suis consulunt in futu-
rum; et propter instabilem humanæ felicitatis
conditionem, benignitatem et misericordiam,
quæ nunquam deficit, complectuntur. » Audi Na-
zianzeno perfamiliarum S. Basilium in princ.
Prov.: « Sicut mare in eodem statu consistere non
diu potest; sed quod vides tranquillum, paulo
post ventorum impetu turbatum aspicias; quod-
que horridum et undis fervens ac tumidum, mox
multa quiete consistere videbis: sic humanæ res
facile utrinque convertuntur. » Audi et Orige-
nem, hom. 5 in *Psalm. LVI*: « Si naviges, in navi
positus vides terras, ac promontoria, ac montes
transeuntia, non quod illa continuo moveantur,
sed quia tu, vento prospere flante, transis, illa
se subducere videntur ac ferri: ita et in hoc sæ-
culo, si Sancto Spiritu mentem tuam perflante et
spirante, secundo ac prospero naviges cursu,
pertransibis sensu tuo omnia hæc quæ videntur,
quia temporalia sunt, et intuens illa quæ æterna
sunt, sine dubio dices: Quia hæc omnia, quæ
videntur, jam non sunt, quia nec futura sunt. »

Volupta-
tum hu-
jus vitæ
inconsis-
tantia et
fugacitas.

Vers. 16. 16. JUSTI AUTEM IN PERPETUUM VIVENT, ET APUD
DOMINUM (græce, in Domino, id est apud Domi-
num, vel proprie, q. d. In Domini Dei visione et
possessione sita est beatitudo justorum) EST MER-
CES EORUM, ET COGITATIO ILLORUM APUD ALTISSIMUM.

— Redit ad antithesin, docetque quam justorum sors felix antecellat sorti infelici impiorum; justi ergo in perpetuum vivent vitam felicem et beatam, impii vero, esto victuri sint in gehenna, tamen quia vivent in perpetuis cruciatibus, hinc vita eorum potius mors dicenda est, quam vita. « Apud Dominum est merces eorum, » scilicet eorum labori et patientiæ decreta et reposita, ut illam eis post mortem tribuat. Rursum « apud Dominum, » q. d. Non homo, sed Deus hanc mercedem justis largietur, puta divinam, cœlestem, immensam, perpetuam, imo seipsum, juxta illud Dei ad Abraham, *Genes. xv, 1*: « Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. » Vox *merces* arguit justos bonis operibus mereri gloriam æternam: merces enim correlativa est meriti, merces enim meriti est merces, et vicissim meritum mercedis est meritum: huc facit illud Christi, *Apocal. xxii, 12*: « Merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. »

Vocis cogitatio duplex acceptio, activa scilicet et passiva.

ET COGITATIO ILLORUM APUD ALTISSIMUM. — Græce, *φρόνησις*, id est *cogitatio*, cura, tam active, quam passive accipi potest: active, q. d. Deus est merces justorum, quia ipsi omnes suas cogitationes et curas dirigunt ad Deum: non enim aliud cogitant, quam qua ratione ei magis placere queant, eumque magis ament et colant. Rursum justi non cogitant, nec curant, aut sunt solliciti de seipsis, sed omnem suam sollicitudinem projiciunt in Deum, ut ait S. Petrus, sciunt enim se Deo esse curæ, dicuntque cum Psalte, *Psalm. xxii, 1*: « Dominus regit me (hebraice, *Dominus pastor meus*, qui me quasi ovem suam pascit et regit) et, (*idcirco*) nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit. » Ita S. Bonaventura, Hugo, Dionysius et Holcot.

Deus curat res justorum.

Passive, q. d. « Cogitatio illorum, » scilicet justorum, id est sollicitudo et cura de justis, est apud Altissimum: non enim rex, non pontifex, sed ipse Deus, curat res justorum, cogitatque quomodo eos gratia et gloria exornet, ac contra omnes hostes omniaque mala tueatur et protegat, atque mercedem laboribus et afflictionibus eorum tribuat condignam, imo supereminentem: ita Cantacuzenus, Osorius, Lyranus et alii. Hic sensus magis respondet ei quod præcessit: « Et apud Dominum est merces eorum; » uterque tamen connexus est, ideo enim Deus cogitat de justis, eosque curat, quia justi omnes suas cogitationes, spes et curas a se abdicarunt, easque conjecerunt in Deum, juxta illud Christi ad S. Catharinam Senensem: « Filia, assidue cogita de me, et ego cogitabo de te. » Notat securitatem et perpetuitatem mercedis justorum, quod Deus ejus in cogitationem et curam susceperit, juxta illud Christi, *Joan. x, 27*: « Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. » Mercedem hanc explicat dum subdit: « Ideo acci-

piant regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini. » Cogitationem vero sive curam Altissimi de eis explicat, dum addit: « Quoniam dextera sua teget eos. »

Tropologice noster Alvarez de Paz, tract. *De Tropologia* *Natura contempl.* lib. V, part. II, cap. III, hæc adaptat viris perfectis et contemplativis: alii enim imperfecti, cum operibus interdum infructuosis intendant, partim moraliter moriuntur, et partim vivunt; his autem, qui vitam perfectam et in Deo suspensam habent, et omnia quæ agunt ad illum dirigunt, bene dicitur, quod « semper vivunt, et apud Dominum est merces eorum, » quia pro suis laboribus nihil ex mundo quærunt; « et cogitatio illorum apud Altissimum, » quoniam ex illa simplicissima et purissima inspectione Dei, ita divinis merguntur, ut diebus et noctibus aliud quam Deum cogitare non libeat.

17. IDEO ACCIPIENT REGNUM DECORIS (Vatablus, *Vers. I* *regnum præclarum*) ET DIADEMA SPECIEI (græce, *καλλοῦς*, id est *pulchritudinis*: quare perperam aliqui legunt *spei* pro *speciei*) DE MANU DOMINI: QUONIAM DEXTERA SUA TEGET EOS, ET BRACHIO SANCTO SUO DEFENDET ILLOS. — Syrus, *propterea recipient regnum gloriosum, et coronam pulchritudinum de manu Domini*; Arabicus, *propterea accingentur regno decoris de manu Dei, et corona pulchritudinis gloriæ*, q. d. Quia merces justorum est apud Dominum, hinc ab eo accipient « regnum » non tale quale, sed *decoris*, id est decentissimum, opulentissimum et ornatissimum; et *diadema speciei*, id est speciosissimum, pulcherrimum, elegantissimum. *Diadema* est redimiculum regium et regum insigne, puta fascia candida, qua reges caput circumligabant, cui Romani addebant *lauream*, id est coronam contextam ex foliis lauri; utriusque loco postea labente imperio Romano, et Constantinopolitano florente, successit corona *textilis* ex auro et gemmis, qua reges et imperatores caput redimere solebant, teste Cuiuspalata, lib. *De Officiali*. *Diadema* est græca vox, dicta a *διδάω*, id est *circumdigo*, *cingo*, *corono*. Hæc fascia laurea et corona aurea non erit beatis in cœlo, sed aliud eis dabitur regni insigne longe nobilius. Igitur *diadema* notat justos fore reges in cœlo, quia scilicet regnum Christi cœleste, omnemque ejus gloriam obtinebunt velut victores mundi, carnis et diaboli: *diadema* enim insigne est, tum regis, tum victoris; beati autem et victores et reges sunt gloriosissimi, dominantur enim toti cœlo, totique terræ. *Diadema* ergo hic gloriam regalem capit, totiusque corporis et animæ sanctorum significat. Alludit ad illud, *Isai. Lxii, 3*: « Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei. » Vide ibi dicta, et *Apocal. ii, 10*, et *iv, 10*, et *v, 10*.

Porro regnum hoc et gloriam beatorum gratissime describit S. Augustinus, serm. 1 *De Verbis Apostoli*: « Qualis, inquit, sit gloria futura, et quibus divitiis floreat, laudare possumus, expli-

Regnum cœli felicissimum.

care non possumus; quia legimus: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Dominus diligentibus se.* Quis est igitur ipse Deus, qui talia et tanta præparavit? quid nisi inæstimabilis, ineffabilis, incomprehensibilis ultra omnia, extra omnia, præter omnia? Si quæras magnitudinem, major est; si pulchritudinem, pulchrior; si dulcedinem, dulcior; si splendorem, fulgidior; si justitiam, justior; si fortitudinem, fortior; si pietatem, clementior. » In cælo ergo, ut ait Isaias, cap. LX, vers. 19 : « Erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam; » et, ut ait Psaltes, *Psalm. CXLIV, 11* : « Gloriam regni tui dicent, etc., et gloriam magnificentiæ regni tui; » et *Psalm. XXIX, 4* : « Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. » Huc facit illud, *Cant. III, 1* : « In diademate quo coronavit eum mater sua; » et cap. IV, vers. 8 : « Veni, coronaberis. » Beati ergo possident regnum decoris et speciei, hoc est pulcherrimum, opulentissimum, splendidissimum, quietissimum, felicissimum; cum reges in terra regnum possideant molestissimum, miserimum, infelicissimum, in quo continuis curis, molestiis, periculis torquentur et æstuant.

Terra,
miserri-
mum.

Exem-
pla.

Unde Antigonus rex cernens filium ob regnum insolentem : « An non, inquit, novisti; fili, nostrum regnum esse nobilem servitutem? » Testis est *Ælianus*, lib. II *Variar. histor.* Simile fuit dictum cardinalis Bellarmini : « Nescitis, inquit, quæ sub hæc purpura lateant spinæ. » Quocirca Antiochus Magnus, cum a L. Scipione ultra Taurum montem submotis imperii finibus, Asiam vicinasque ei gentes amisisset, « gratias egit populo Romano, quod magna parte curarum per eos liberatus esset. » Quam ergo desipiunt, qui regnandi jus semper extendere satagunt! quid enim aliud, nisi curas intolerabiles menti, et pericula immensa conscientie accersunt? nec enim unius hominis animus esto vigilantissimus, tot negotiis par esse potest. Adrianus aiebat « miseram esse imperatorum conditionem, quibus de affectu tyrannidis, nisi occisis, non credatur : » ita Volcatius in *Avidio*. Otho imperator dicere solebat ad suos : « Nescitis, amici, quid sit Romanorum gubernare imperium; mihi credite jam experto, qui jam mori malo quam imperare. » Saturninus hortantibus militibus, ut imperium susciperet, ait : « Nescitis, o milites, quantum mali sit imperare; gladii ut appendentes cervicibus immineant, hastæ undique, spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur, non cubus pro voluntate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio : » ita *Annales imperii*. Denique diuturniora videmus parva imperia et regna, quam magna : hæc enim mole sua ruunt, seque obruunt; unde Paulus Paruta in *Discurs. Politic.*, causam cur respublica Veneta tamdiu steterit, assignat, quod ditioni suæ conservandæ magis studuerit, quam ampliandæ.

Misera
regum
conditio.

QUONIAM DEXTERA SUA TEGET EOS, ET BRACHIO SANCTO SVO DEFENDET ILLOS. — Tò sancto suo jam non est in Græco. Vox *quoniam* est causalis, dat enim causam *primo*, cur regnum justis dandum a Deo sit decorum et speciosum, quia scilicet Deus eos ad dexteram suam in die judicii collocans, eos teget, ne quis hostis, vel quod malum eis ingruere queat; imo Deus hostes eorum, puta impios oppugnabit, omnibusque iræ suæ telis appetet et prosternet, ut sequitur, quo fiet, ut justis suo gloriæ regno sine ullo hostium vel malorum metu pacifice et jucunde perfruantur in æternum, imo de justa hostium vindicta gaudeant et exsultent, juxta illud, *Psalm. LVII, 11* : « Lætabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris. » *Secundo*, tò *quoniam* pertinet ad τὸ et *cogitatio illorum apud Altissimum*, ac per effectum explicat causam, q. d. Justis omnes suas cogitationes defixerunt in Deo; hinc Deus vicissim eos in suam providentiæ cogitationem et curam recipit. Quocirca, ut curam hanc ostendat, dextera sua teget eos contra omnes hostium et adversitatum incursus, perinde ut gallina vel aquila alis suis tegit pullos, juxta illud, *Deut. xxxii, 11* : « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos (ubi Septuaginta habent idem verbum, quod hic est, scilicet ἀετῶν: Sicut aquila, inquit, tegit nidum suum) et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. » Et sicut columna nubis obumbrans castra Hebræorum in deserto, eos ab æstu solis omnisque aeris injuria protegat, *Exod. xiii*, et *Num. ix*.

Regnum
celestis
decorum
et spe-
ciosum,
cur?

Pro *defendet* græce est ὑπερασπίζει, id est *valide*, objecto quasi clypeo *defendet*, proteget, propugnabit; unde subdit : « Accipiet armaturam zelus illius, etc., sumet scutum inexpugnabile, æquitatem; » ἀσπίς enim est *parma*, *scutum*, *clypeus*; ἀσπαστής est *bellator*, *scutatus*; ὑπερασπιστής, qui *scuto suo alium tegit* et defendit, velut satelles, stipator, latro, propugnator. Sic Deus ait Abraham, *Gen. cap. xv*, vers. 1 : « Ego protector tuus sum, » græce, ἐγὼ ὑπερασπιστὴς σου; et David ait Deo, *Psalm. xxx, 5* : « Quoniam tu es protector (græce, ὑπερασπιστής;) meus; » et *Psalm. lxxxiii, 10* : « Protector (græce, ὑπερασπιστὴς;) noster, aspice, Deus; » et *Psalm. xvii, 3* : « Protector (hebraice מגן *magen*, id est *scutum*; Septuaginta, ὑπερασπιστής;) meus et cornu salutis meæ. » Sic passim in Psalmis David Deum vocat et invocat, quasi suum *magen*, id est *clypeum* et *scutum*; ubi Septuaginta semper vertunt ὑπερασπιστής. Noster vero vertit, *protector*, ut *Psalm. xxvii, 9*, et *xxxii, 20*, et *lviii, 12*, et *cxiii, 17, 18, 19*, et *cxliii, 2*, vel juxta alios, 3. Vox ergo *defendet* bellam Dei in impios non tantum defensivum, sed et offensivum significat, ut patet ex seq. *Defendet* ergo, id est vindicabit, sternet, acriterque puniet : sic Nabuchodonosor « juravit quod defenderet, » id est vindicaret, « se de omnibus regionibus his, » *Judith. i, 12*; sic

Apostolus ait *Rom. XII, 19* : « Non nosmetipsos defendentes, » id est vindicantes : vide ibi dicta.

Vers. 19. 18. ACCIPIET ARMATURAM ZELOS ILLIUS, ET ARMABIT CREATURAM AD ULTIONEM INIMICORUM. — Declarat quomodo Deus egregie armatus, in die iudicii futurus sit justorum defensor et hyperaspistes : acri enim impiorum offensione et justis illata ab illis injuria irritatus, ultionis armabitur zelo, omneque genus armorum induet, imo omnem creaturam ad vindictam de impiis sumendam incitabit et exstimulabit. Græce est, ἀψήετι πανοπλίαν τῶν ἐπιδόν ἀδελφῶν, id est, accipiet armaturam omnem zelum suum; Vatablus, pro omni armatura proferet indignationem suam : hæc enim erit illi pro omni armorum genere, eademque armabit omnes creaturas. Juxta hanc lectionem *panoplia*, sive omnis armatura Dei, est ipse ejus *zelus*, id est indignatio et cupido justæ de eis vindictæ : hæc enim eadem est cum justitia, iudicio certo et æquitate, in quibus omnis Dei *panoplia* consistit, uti sequitur; atque hæc ipsa Dei mentem et potentiam exstimulat, ut omnia tormentorum genera excogitet, eaque in impios potenter effundat, juxta illud, *Proverb. VI, 34* : « Zelus et furor viri non parcat in die vindictæ; » et illud, *Psal. XXXIV, 2* : « Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi. Effunde frameam, » etc.; et illud, *Psal. VII, 13* : « Gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, et paravit illum. » Verum melius Noster pro ἐπιδόν in accusativo legit ἐπιδός, id est *zelus* in nominativo : nam *zelus* justitiæ justæque vindictæ pro piis de impiis sumendæ, non est *panoplia* Dei, sed Deum excitat ut *panopliam* induat, eaque se armet ad sumendam de impiis vindictam : *panoplia* Dei enim in sequenti enarratur, cum ait : « Induet pro thorace justitiam, » etc., *q. d.* Deus pro thorace ferreo, sive lorica induet justitiam, pro galea iudicium certum, pro scuto æquitatem, pro lancea iram, pro arcu emissiones fulgurum, pro catapultâ vibrationem grandinum. Porro *zelus* notat summam Dei indignationem : tres enim sunt gradus iræ, scilicet ira, furor et *zelus*, uti ostendi *Proverb. XXVII, 4*. Describit hic Deum anthropopathos, id est humano more, velut regem potentissimum omni armorum genere instructum, qui cum exercitu pergat ad ulciscendum se de hostibus, a quibus magna est affectus injuria.

ET ARMABIT CREATURAM. — Non ipse Deus armatus ad prælium prodibit, ait Cantacuzenus, id enim Deo foret indignum, si armis ad hostes profiligandos indigeret; pro armis ergo utetur creaturis. Interius igitur puta in mente sua, Deus induet *panopliam* virtutum ad vindictam exstimulantium, quales sunt justitia, æquitas, iudicium certum, etc.; exterius vero omni genere creaturæ utetur, ad vindictam hanc opere exercendam. Ratio est, quam dat S. Hieronymus in *Matth. cap. VIII* : « Quod omnes creaturæ, inquit, sentiant creatorem non errore hæretico-

rum, qui omnia putant animantia, sed majestate conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt. » Omnis ergo res creata naturali sensu sentit suum creatorem, quare eodem ejus injuriam vindicare exoptat, idem factura appetitu rationali, si eum haberet; unde ad id faciendum omnes suas vires, Deo permittente, imo inoperante et incitante, in die iudicii in impios expromet. Similem *panopliam* Deo dat *Isaias, cap. LIX, vers. 17* : « Indutus est, inquit, justitia ut lorica, et galea salutis in capite ejus : indutus est vestimento ultionis, et opertus est quasi pallio zeli. » Plenior *panopliam* militi christiano dat S. Paulus, *Ephes. VI, 14* et seq., ut ea a capite ad talos obarmatus omnibus dæmonum phalangi- bus resistat : nimirum in capite pro galea dat ei spem; in pectore pro thorace, vel lorica dat ei justitiam; in lumbis pro balteo, sive cingulo dat veritatem, id est integritatem; in pedibus pro creis dat alacritatem ad viam evangelii ineundam et propagandam; in dextra pro gladio dat ei verbum Dei; in sinistra pro scuto fidem assignat. Vide ibi dicta.

Tropologice sapienter S. Bernardus, serm. 1 *In Festo omnium Sanctorum* : « Anima, inquit, si regnare desiderat super membra sua, necesse est ut sit ipsa superiori suo subjecta, quoniam talem inveniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori : armatur enim creatura ad ulciscendam sui injuriam creatoris; et ideo noverit anima, quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoque minus quam oporteat superioribus potestatibus esse subjectam. »

19. INDUET PRO THORACE JUSTITIAM, ET ACCIPIET PRO GALEA JUDICIUM CERTUM. — Pro *certum* perperam aliqui legunt, *rectum* : græce enim est ἀσπρό-μακρον, id est *sincerum*, non fucatum, non hypocriticum, carens omni simulatione et dissimulatione, æque ac personarum acceptione, ut nullius prece vel pretio se corrumpi sinat, nullius etiam favore, metu vel respectu a justo iudicio declinet. Græca ergo habent, *induet thoracem justitiam, et circumponet galeam, iudicium sincerum*. S. Chrysostomus in *Psal. XLIV*, legit, *induet thoracem justitiæ*, additque : « Non aliunde operationem suscipit (Deus), sed ipse sibi sufficit. »

Thorax, sive lorica Dei recte ponitur *justitia*, qua Deus injurias justis ab impiis illatas juste vindicabit, eorumque scelera pro meritis castigabit et puniet, ut sic justitiæ suus decor reddatur, Deique justitia, justaque vindicta toto orbe ab omnibus angelis et hominibus timeatur, colatur et adoretur. Ratio est, quod lorica tegat pectus et ventrem; ibi autem est cor et viscera, in quibus est sedes compassionis et misericordiæ. Ergo ne Deus aliqua flectatur compassione, videns tam horrenda impiis supplicia irrogari, pectus, cor et viscera obarmat lorica justitiæ, quæ nullam misericordiæ sensum admittat, et nil nisi justum decerni fierique sinat. In hac vita Deus justitiam

Armaturæ Dei.

Vers. 19
Arma
Dei def
fensiva

miseriordia temperat, unde de eo dicitur, *Itac.* III, 2 : « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, » et *Psalm.* LXXVI, 10 : « Numquid obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? » in futura vero vita arguet impios in furore et judicio, *Psalm.* VI, 2 : ibi enim erit iudicium sine misericordia, *Jacob.* II, 13.

Judicium certum.

Capiti vero congrue pro galea datur *judicium certum*, id est simplex, sincerum, integrum : quia enim facile iudicium capitis corrumpitur per munera, per favores, per amicitias, per metus, per respectus humanos, hinc ut illos excludat, obarmatur sinceritate, integritate, incorruptione; ut in ferenda contra impios supplicii sententia nil respiciat, nisi demeritorum quantitatem, illique juste supplicium adæquet. *Certum* enim, teste Sipontino, dicitur a *cerno*, id est video, idemque est quod clarum et indubitatum, ita ut ipsa rei veritas sit manifesta, oculisque quasi cerni videatur sine ullo fuco, velo aut tegmine, quia ea quæ cernimus, clara et indubitata sunt, nihilque habent fictionis aut fuci : hinc *certum* opponitur simulationi et hypocrisi, ut *certus* amor vocatur non simulatus; *certa* fides, ea quæ non est ficta; *certus* amicus is qui non simulat, sed vere amicum se præstat.

Vers. 20.

20. SUNET SCUTUM INEXPUGNABILE, ÆQUITATEM, — græce *ἀσπίς*, id est primo, sanctitatem; secundo, æquitatem, jus, fas; tertio, religionem et numinis observationem cultumque; quarto, expiationem : Deus enim in die iudicii expiabit terram et mundum, ideoque impios, qui eam suis sceleribus contaminarunt, quasi sordes ex ea everret, eosque quasi catharmata et piacula, terra hiantes, absorbebit et retrudet in tartara, quasi in imam fœdamque cloacam. Sanctitas ergo, id est plena innocentia et puritas, armat hic sinistram Dei, quasi scutum inexpugnabile, ut ea indutus a nullo possit sævitæ vel crudelitatis in impios accusari : impii enim et damnati jaculabuntur ex desperatione et furore quasi rabidi canes maledicta in Deum, eumque vocabunt crudelem, tortorem et tyrannum, quod ipsos tam dire excruciet; at Deus omnes has criminationes et maledicta, scuto sanctitatis excipiet et repellet : ostendet enim se non passione, sed sanctitate moveri ad hanc tam atrocem in impios vindictam, seque sancte, æque ac religiose agere causam singulorum : adeo ut qui recto rationis oculo vindictam hanc Dei intuentur, clare videant illam sanctam esse, et a sanctitate sanctoque Deo proficisci. Sic Christi sanctitas in corripendis et castigandis peccatoribus, præsertim scribis et pharisæis, tanta erat, ut ipse se suaque facta hostibus iudicanda offerret : « Quis, inquit, ex vobis arguet me de peccato? » *Joan.* VIII, 46. Magnum sane et impenetrabile est scutum, quod petitur ab innocentia et vitæ sanctitate. Minus recte Dionysius Carthusianus per *æquitatem* accipit *ἐπιείκελσιν*, sive *moderationem*, qua Deus moderatur suppli-

cia, et citra condignum reprobos puniet : omnia enim hic spirant severitatem, iram et vindictam ærem Dei in impios.

21. ACCET AUTEM DURAM IRAM IN LANCEAM, — Vers. 21. græce *ἐν ῥομφαίᾳ*, id est in gladium, vel in lanceam acute ferientem, et vehementer vulnerantem; ira ergo erit Deo loco lanceæ et gladii, qua feriat, lædat, pungat et penetret impios usque ad ossa. *Dura ira* est dura vindicta, dura poena a Deo immissa : in Deum enim non cadit ipsa passio iræ, sed ejus effectus, scilicet vindicta. Dicitur ergo *irasci* Deus, cum vindicat et punit, ait S. Augustinus, idque facit ex tranquillissimo amore justitiæ, non ex perturbatione iracundiæ. Hucusque assignavit arma defensiva Dei, scilicet loriceam, galeam et scutum; jam offensiva depromit, scilicet lanceam, arcum, catapultam, etc. Pro *duram*, uti legunt Romani, alii legunt *diram*; utrumque significat græcum *ἀσπίς*. *Dirus* dicitur, quasi *Dei ira natus*, ait Festus, et Sipontinus : « Sant, inquit, qui a Deo *dirum* deductum existiment, » hoc est crudele, infestum, et quasi deorum ira immissum. Hinc illud Livii, lib. X : « Diris funeribus iras deorum contraxit. » Hinc et dira lues, dirus mœror, dirus furor, dira pugna : diræ quoque vocantur furæ. Dira ergo Dei ira exagitabit impios, ut diris devoti, ac dirarum omnium, hoc est dæmonum, crudelibus agitationibus et execrationibus traditi esse videantur.

Arma Dei offensiva.

Deum irasci, quid?

Tropologice, hæc omnia facile est adaptare justis generose certantibus contra vitia amentia et insensata, pro quibus Deus omni armorum genere depugnat, ut eis victoriam et triumphum conciliet.

ET PUGNABIT CUM ILLO ORBIS TERRARUM CONTRA INSENSATOS. — Quando « in pœnam delinquentium et elementorum adversitas militabit, » ait S. Gregorius, lib. VI *Moral.* cap. VI. Syrus, *faciet* (Deus) *cum ipso mundo bellum cum contemptoribus*; Arabicus, *et mundus pugnabit cum illo, et lampades fulgurum ostendet adversus insensatos*. Pertinent hæc ad illud versus 18 : *et armabit creaturam ad ultionem inimicorum* : illud enim hic explicat, ostenditque omnia et singula elementa in impios insurrectura, et contra eos pugnatura, eo quod omnibus et singulis impii sint abusi in Creatoris offensam et injuriam, ideoque tunc pro eo militabit omnis creatura. Hanc rationem dat S. Gregorius, hom. 35 *in Evangel.* : « Quia ergo, inquit, omnia consummanda sunt, ante consumptionem omnia perturbantur; et quia in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur, ut impleatur quod dicitur : *Et pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos*. Omnia namque quæ ad usum vitæ accepimus, ad usum convertimus culpæ, sed cuncta, quæ ad usum pravitatis infleximus, ad usum nobis vertuntur ultionis : tranquillitatem quippe humanæ pacis ad usum vertimus humanæ securitatis; peregrinationem terræ pro

habitatione deligimus patriæ; salutem corporum rede-
gemus in usum vitiorum; ubertatis abundan-
tiam, non ad necessitatem carnis, sed perversi-
tatem intorsimus voluptatis; ipsa serena blan-
dimenta aeris, ad amorem nobis servire coegimus
terrenæ delectationis. Jure ergo restat, ut simul
nos omnia feriat, quæ simul omnia vitiis nostris
male subacta serviebant, ut quot prius in mundo
incolumes habuimus gaudia, tot de ipso post-
modum cogamur sentire tormenta. » Annon ergo
impii fuere amentes et insensati, qui ob modi-
cam voluptatem, pecuniam, honorem, iram vin-
dictamque tantam Dei et creaturarum omnium
sibi accersiverunt? qui momentum æternitali,
gehennam celo, dæmonem Deo prætulerunt.

Descrip-
tio exer-
citus
quem
Deus in
impios
immittet
in die
judicii.

Producit igitur hic Sapiens exercitum instruc-
tum multiplici acie creaturarum omnium, quem
Deus in impios immittet sub diem judicii, idque
partim paulo ante judicium, partim in ipso judi-
cio, vel paulo post judicium: *ante judicium* enim
omnes creaturæ affligent, quasi Antichristi asse-
clas et præcursores, ut patet *Apocal.* toto cap.
viii, et xvi, et cap. ix, vers. 4, ubi describuntur
plagæ mundi novissimæ, eæque gravissimæ, et
ex omnibus elementis manantes; *in judicio* vero,
scilicet mox ubi illud peractum fuerit (de hoc
enim tempore hic agi patet ex vers. 4, et ex proxi-
me præcedent. vers. 16 et 17: non enim impii
visuri sunt gloriam justorum, illisque eam invi-
suri, nisi in die judicii), Deus in impios per omnes
creaturas horrende detonabit. Data ergo a Chri-
sto damnationis sententia in reprobos, illico, ut
ex hoc loco colligitur, omnia elementa et cæli in
eorum vindictam assurgent, quasi lictores et ad-
ministris Christi Domini et creatoris sui, nimirum
cæli, ignis et aer, vibrando in eos ignem, ful-
gura, ventos et grandines; mare, effervescendo
et exundando, ut eos cum terra obruat; terra,
sub pedibus eorum se aperiendo, et hiando in
infernum. Porro exercitum hunc creaturarum de-
pugnantium contra impios, Sapiens dividit in
quatuor turmas, sive acies. *Prima* est cælorum
et angelorum, qui fulmina torquebunt in repro-
bos. *Secunda* est aeris, qui grandines instar lapi-
dum vibrabit in impios. *Tertia*, maris et flumi-
num, quæ aquarum diluvio mergent, obruent-
que sceleratos. *Quarta*, terræ, quæ ventos, turbi-
nes et procellas in eosdem immittent.

Quatuor
Dni
acies.

Rationem a priori dat S. Anselmus, lib. *De Si-
militud.* cap. ci: « Etenim si servus, inquit, ali-
cujus a domino suo secederet, et inimico domini
sui adhereret, non solum ipsum dominum exacer-
baret, sed et totam ejus familiam justissime
irritaret. Cum igitur Dominum creatorem cunc-
torum offenderimus, adversus nos omnem crea-
turam, quantum spectat ad meritum nostrum, in
iram commovimus. Potest ergo justa considera-
tione nobis terra dicere: Non debeo vos susti-
nere, sed potius absorbere, quoniam a creatore
meo non tenuistis peccando recedere, et inimico

Creaturæ
expro-

ejus diabolo servire et adhærere. Potest etiam ci-
bus dicere et potus: Non meruistis, ut vos pas-
cere debeamus, imo potius, ut confusionem et
necem nobis præparemus: ab illo enim peccando
recessistis, per quem nec ales esurit. Sol quo-
que: Vobis ad salutem non debeo lucere, sed ad
vindictam Domini mei, qui est lux lucis et fons
luminis, penitus coercere. Sic et singulæ quoque
creaturæ contra nos possunt surgere irrefragabili
ratione. » Aliam dat S. Cyrillus, lib. II in *Isaiam*,
cap. xiii: « Semper, ait, irato Deo, simul etiam
ad iram exacuitur serva creatura, perpetuo eam
huc excitante eo qui omnibus imperat. Succen-
sist enim ille Ægyptiis: creatura autem nihil
agere non potuit. Transivit quippe in sanguinem
aqua, scaturivit terra ranas, cælum demisit gran-
dinem, profundæ tenebræ trium dierum spatio
per totam eorum regionem dissipatæ sunt, sicut
scriptum est. Itaque, inquit, irascetur etiam ip-
sum cælum, et velut a fundamentis terra coneu-
fietur propter furcrem iræ Domini. Pugnabit etiam
una adversus stultos ipsa creatura, et commoto
Domino, etiam ipsa ad hoc propemodum in-
structa est. Omnia siquidem cum suprema volun-
tate conspirant atque concurrunt, et nihil est in
rerum natura, quod non divino nutu et consilio
cadat. »

brant
impios
sua sce-
lera.

Sic in passione Christi cæli et elementa, quasi
indignantia Creatorem suum occidi, commota et
concussa sunt; ac, nisi Deus illa continisset,
suis telis et fulminibus afflassent deicidas Ju-
dæos; unde S. Dionysius, uti ipse refert epist.
ad Demoph., visa miraculosa solis eclipsi, exclam-
avit: « Aut Deus naturæ patitur, aut mundi
machina dissolvetur. » Sic rursus Deus per Mo-
sen decem plagas Pharaoni et Ægypto immit-
tendo, in eis omnem creaturam contra Ægyptios
armavit; unde S. Augustinus (vel quisquis est
auctor: multa enim arguunt non esse S. Augus-
tini) lib. I *De Mirab. Script.* cap. ix: « Istarum,
ait, plagarum modus ex terra, aquis, animan-
tibus, aere, igne, nubibus, cælo, angelis conve-
nerat, ut ostenderetur quod contra Deo rebelles
et contumaces sese pariter universus orbis ar-
mabat. »

22. IBUNT DIRECTE EMISSIONES FULGURUM, ET TAN- Vers. 22.
QUAM A BENE (perperam Hugo legit, *habena*, ex-
plicatque, q. d. Tanquam si habenis regerentur)
CURVATO ARCU NUBIUM EXTERNABUNTUR, ET AD CER-
TUM LOCUM INSILIENT. — Græce, *ferentur directa*
(Vatablus, *probe collimata*) *jacula fulminum, et tan-*
quam ab intentissimo arcu nubium ad scopum desi-
liant. *Directa*, inquit a Castro, vocat directe con-
torta et collimata, quæ non aberrant. *Jacula*,
βολιδες, hastæ sunt missiles, vel jacula missilia,
quæ quod emittantur a Deo, Vulgatus vocavit
emissiones. Intentissimum arcum, vocat *adductum*
et vehementer inflexum, ut remissus postea ma-
jore torqueat et feriat vi. Hujusmodi ergo jacula
desilient in insensatos, ut perdant eos, tanquam

in scopum, nec aberrabunt. Addidit Vulgatus, *exterminabuntur*, nempe jacula, cum verbum illud non legatur in Græco ad vim significandam jaculorum, quæ extra nubium terminos ejicientur ex arcu nubium contra impios.

BENE CURVATO ARCU, — *q. d.* Sicut dum sagittarius arcum profunde incurvat, ut magno impetu ad suum statum rediens, magna vi jaciatur sagittam, fortiusque scopum configat: sic Deus arcum iræ et vindictæ suæ vehementer curvabit et intendet, ut vehementer fulgurum sagittas in impios ejaculetur. Alludit ad arcum cœlestem, sive Iridem: hæc enim pluviarum, et comitanter tonitruorum fulminumque, est mater et causa. Unde Seneca, lib. I *Natur. Quæst.* cap. VI: « Arcus, inquit, a meridie ortus magnam vim aquarum vehit; si circa occasum refulsit, rorabit. » Plinius, lib. XVIII, cap. XXXV: « Arcus; ait, cum sunt duplices, pluvias nuntiant; » Virgilius, I *Georg.*: « Aut bibit ingens arcus, » Ovidius, I *Metamorph.*:

Iris pluviarum ac tonitruum mater et causa.

Nuntia Junonis varios induta colores,
Concipit Iris aquas, alimenta que nubibus affert.

Porro Plinius, lib. II, cap. XXXVI et LV, ait quædam esse *bruta fulmina* et vana, quæque nulla veniant ratione nature: iis percuti montes, iis maria, omnesque irritos jactus; alia esse *fatidica*, ex alto statisque de causis, et ex suis venire sideribus. Hæc tamen partitio superstitionem magis, quam philosophiam olet: omnia enim fulmina causam habent physicam, et tam ea quæ montes, quam quæ cætera loca hominesve percipiunt, ad influxum siderum exhalationes evocantium, ut ad causam referri debent: ac nullum ex iis fatidicum est, si fatum sumatur prout significat contextum et seriem rerum humanarum, inflexa et inevitabili necessitate succedentium, velut stoici putabant: alioqui certum est fulmina prodire ex certa et directa, ut hic ait Sapiens, providentia Dei; vide nostros Conimbricenses in *Meteor.* tract. II, cap. V et VI.

Prima exercitus Dei acies fulminatrix seu celestis.

Hæc est prima acies et phalanx exercitus Dei, conflati ex omnibus creaturis: acies, inquam, cœlorum et angelorum, qui ex alto tonitrua et fulmina, quasi bombardas horronas et igneas explodent et jaculabuntur in impios et reprobos ante diem, et in ipso die judicii, quibus eos a Christo damnatos adigent in tartara, perinde ac iisdem fulminarunt Sodomitas, *Genes.* XIX. Hæc ergo erit legio fulminatrix, similis illi christianorum, quæ sub M. Antonio imperatore suis precibus exercitui afflicto pluviarum, ac simul saxa et fulmina vibrata in hostes a Deo impetravit, teste Eusebio, lib. V *Histor.* cap. V, et Tertulliano, *Apolog.* cap. V. Hanc Dei aciem graphice depingit Psaltes, *Psalms.* XVII, 9: « Ascendit, ait, fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo; » et vers. 14: « Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem

suam, grando, et carbones ignis: et misit sagittas suas, et dissipavit eos, fulgura multiplicavit, et conturbavit eos; » et *Job* XXXVII, 5: « Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna et inscrutabilia. » Noster Lorinus probabiliter censet hisce fulminibus excitandum ignem conflagrationis, quo deflagrabit totus mundus, qui reprobos tum viventes magno cruciatu et dolore comburet, occidetque, ac mox resuscitados ac judicatos, damnatosque a Christo convolvit in tartara. Porro mira et inscrutabilis est fulminum velocitas, impetus, efficacia, adeo ut gentiles censuerint Deum iratum tonare ac fulminare, ut impios, præsertim perjuros vel sacrilegos, ulciscatur, ac proinde, quæ fulmine tangerentur, esse nefasta ac mali ominis, teste Plinio, lib. XIV, cap. XIX; Livio, lib. II, *de cad.* 3; Julio Obsequente; lib. *De Prodig.*, cap. LXXI, LXXXIII, LXXXVII. Sic Anastasius imperator hæreticus fulmine ictus interiit. Hinc fulgura vocantur *sagittæ Dei*, *Psalms.* VII, 17, XVII, 13 et CXIX, 4, ac *fulgurans hasta Dei*, *Habac.* III, 11. Huc facit illud in epinicio Deboræ ob victoriam de Sisara, *Judic.* V, 20: « De cœlo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt. »

ET AD CERTUM LOCUM INSILIENT, — quem scilicet Deus ictui sui fulminis destinavit. Hinc fulmen, quasi animatum foret, et unum ab alio discerneret, hunc tangit, non illum, licet vicinum; ensem afflat, illæsa vagina; æs liquat, intacta crumena; embryonem necat, salva matre; vinum absumit, dolio integro; ovum sorbet, intacto cortice. Sic fulmina et plagæ inmissæ a Mose tangebant Pharaonem et Egyptios, illæsis Hebræis, *Exod.* IX, 26: sic in die judicii fulmina Dei insilient in reprobos, non in electos, licet eis vicinos. Hanc plagam sub finem mundi fore docet S. Joannes, *Apocal.* XVI, 17: « Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem, et exivit vox magna de templo a throno dicens: Factum est. Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terræ motus factus est magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram, talis terræ motus, sic magnus. Et facta est civitas magna in tres partes; et civitates Gentium ceciderunt, et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus. Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi. »

23. ET A PETROSA IRA PLENÆ MITTENTUR GRANDINES. — Græce ἐκ πετροβόλου θυμῶν πλήρεις ἐπιπέσονται χάλυξαι, id est ab ira petrarum, sive saxorum jaculatrice, puta ab ira Dei petras jaciente plenæ grandines vibrabuntur, id est densæ, confertæ, graves, ponderosæ, non cavæ, vacuæ et leves, ut fit cum in grandinatione depluunt saxa; unde Vatablus vertit, *grandinesque confertim et furore lapidante vibrabuntur*. Alludit ad balistas et catapultas, quibus olim saxa in mœnia urbis, vel in hostes vibrabantur, de quibus vide Vegetium, Val-

Vers. 23.
Secunda
Dei acies
aerea.

trinum et Lipsium in *Potior*. Hæc est *secunda* Dei acies aerea, quæ grandines numerosas et ingentes, velut petras et saxa, torquebit in reprobos, sicut easdem contorsit in *Aegyptios*, *Exod.* cap. IX, 18 et seq., et in *Chananeos* *Jos.* X, 11, et *Eclli.* XLVI, 6. Unde S. Joannes, *Apocal.* X, 21, hanc grandinem sub finem mundi a Deo jaculandam in impios ita describit: « Et grando magna sicut talentum (talentaris) descendit de cælo in homines; et blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer: » vide ibi dicta. Hoc est quod ait Job cap. XXXVIII, vers. 22: « Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti: quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnae et belli? »

Tertia
Dei acies
marina.

EXCANDESCET IN ILLOS AQUA MARIS, ET FLUMINA CONCURRENT DURITER. — Perperam aliqui legunt *candescet*, explicantque, *q. d.* Candidam spumam ejiciet vel stridebit instar candentis ferri. T^o *excanDESCET* significat, quod magno æstu, impetu et furore mare in impios æstuabit, prestrepet et exundabit. *Tertia* est hæc Dei acies marina, quæ horrendas in mari et fluminibus tempestates, fluctuum collisiones, fragores aquarum, elationes, procellas, fremitus et inundationes excitabit, tum ut impios percellat, tum ut eos mergat et sorbeat, de quibus Christus ait, *Luc.* XXI, 23, quod erit « in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi; » et S. Joannes *Apocal.* VIII, 8: « Et secundus angelus, inquit; tuba cecinit: et tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis, et mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, et tertia pars navium interiit. Et tertius angelus tuba cecinit: et cecidit de cælo stella magna ardens tanquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum: et nomen stellæ dicitur Absinthium, et facta est tertia pars aquarum in absinthium: et multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt. » Et cap. XVI, vers. 3: « Et secundus angelus effudit phialam suam in mare: et factus est sanguis, tanquam mortui, de omnis anima vivens mortua est in mari; » et vers. 12: « Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem: et sicavit aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab orta solis. » Inter quindecim signa prævia judicio, quæ ex S. Hieronymo (sed in eo id non reperitur) recitant S. Bonaventura, Holcot et alii, primum est, quod mare quindecim cubitis supra omnes montes se attollet. Idem ex Judæorum traditione (penes quos sit fides) confirmat Eusebius Emisenus (vel potius S. Eucherius, ut vult Baronius; aut Faustus Regiensis, ut vult Bellarminus; aut, ut censent alii, S. Maximus, vel Cæsarius: constat enim ex ipsis hominibus aucto-

rem earum non fuisse græcum, vel syrum, qualis fuit Eusebius Emisenus, sed latinum, imo gal-lum e monasterio Lirinensi promotum ad episcopatum) hom. 2 *De Adventu*: « His autem, inquit, convenire videntur quædam, quæ in annalibus Judæorum scripta referuntur, in quibus mare super omnes montes quindecim cubitos altius exaltari narratur stantibus aquis, et in nullam partem fluentibus. Et deinde tantum in abyssum demergetur, ut vix ab insipientibus videri valeat. Postmodum vero revertetur in locum suum, et tunc fortasse illa confusio sonitus maris et fluctuum fiet, de qua hic modo loquitur: neque enim tanta maris fluctuumque commotio, sine magna confusione et sonitu fieri poterit. »

Congrue fervor hic furorque maris puniet fervorem et furorem impiorum, quo ipsi æstuarunt ad explendas suas concupiscentias et libidines, juxta illud, *Isai.* LVII, 20: « Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum. »

FLUMINA CONCURRENT (græce *συγγέλοισον*, id est *inundabunt*, mergent, obruent: unde *κατάλωσις*; et *κατακλυσμός*; est *inundatio* et *diluvium*, uti fuit cataclysmus universalis tempore Noe) DURITER, — græce *ἀπτόμως*, id est *rigide*, sæve, præfracte, præcipitanter; unde Vatablus vertit, *et flumina prærupta concurrent*, scilicet sordes terræ, puta impios, qui terram suis sceleribus macularunt; everrent et abradent ab ea.

24. CONTRA ILLOS STABIT SPIRITUS VIRTUTIS, Vers. 2. ET TANQUAM TURBO VENTI DIVIDET ILLOS: ET AD EREMUM PERDUCET ONNEM TERRAM INIQUITAS (ita Romana et Græca; perperam ergo aliqui legunt, *iniquitatis*) ILLORUM, ET MALIGNITAS EVERTE-DES POTENTIUM. — *Spiritus virtutis* est ventus potentiae, hoc est potens, validus et vehemens, qualis est turbo, qui omnia in orbem agit et rotat, procella, typho et prester: qui adeo validi sunt, ut naves, domos et montes evellant, et in alium locum transferant. Pro *dividet* græce est, *ἐκλυμήσει*, id est *eventilabit*, jactabit: sicut enim vanno eventilantur paleæ, ut sola maneant tritici grana, sic Deus vento hoc eventilabit reprobos, ut soli remaneant justii. Pro *ad eremum deducet*, græce est *ἐρημώσει*, id est *desolabit*, desertam et desolatam faciet terram. De his ventis ait Ecclesiasticus, cap. XXXIX, vers. 33: « Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua. » Est hæc *quarta* acies Dei, ventorum et procellarum, tum super terram, tum sub terra grassantium: super terram enim sternent homines, segetes, arbores, pomos, etc.; sub terra excitabunt terræ motus, adeoque, ut nonnulli censent, totam terram in die judicii e suo centro convellent, ut impios percellant et obruant. Notum est ex historiis quantas strages terræ motus ediderint Constantinopoli, in Asia, Bithynia cæterisque provinciis: at iidem longe

Quart:
exercitu
Dei aci
terres
tris.

maiores edent sub diem iudicii, adeo ut omnes domos, arces, mœnia, urbes, etc., concutiant, dejiciant et sternant, ut totam terram videantur desolare, et in eremum sive solitudinem redigere, juxta illud, *Nah. I, 3* : « Deus in tempestate et turbine viæ ejus; » et *Jerem. XXIII, 18* : « Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. » Omnes hosce turbines et procellas procurabunt angeli : hi enim sunt administri divinæ providentiæ et vindictæ.

AD EREMUM (id est ad extremam solitudinem et desolationem) PERDUCET OMNEM TERRAM. — Hoc enim est ἐρημώσει, juxta illud, *Isai. XLIII, 9* : « Ecce dies Domini veniet, crudelis, et indignationis plenus, et iræ furorisque ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea : » quare impertinens est multorum expositio, qui per *eremum* intelligunt infernum, *q. d.* Iniquitas terram, id est incolas terræ, perducet ad infernum, ubi summa erit desolatio.

ET MALIGNITAS (id est peccatum, non tantum factum ex malitia, ut vult Holcot, sed quodlibet : græce enim est κακοπραγία, id est mala operatio, peccatum, scelus, malitia, ut vertit Vatablus, præ-

sertim frans et dolus) EVERTET SEDES POTENTIUM, — puta palatia, arces regias, urbes splendidas et magnificas regum et principum. Est epiphonema, *q. d.* Peccatum est noxa et perniciēs hominum, totiusque orbis : ipsum enim evertet in die iudicii omnes terræ arces et urbes, quia propter peccatum omnia hæc diruent angeli. Porro urbis cujusque et regni, æque ac orbis ruina et excidium a Deo fieri solet ob duo maxime peccata, scilicet injustitiæ et religionis violatæ, præsertim per dolum et hypocrisin : ob utrumque mundus periit diluvio tempore Noe, ac peribit igne sub diem iudicii.

Huc facit, quod scribit Eusebius Emissenus, *hom. 2 De Adventu* : « Terra quoque sua signa dabit, quia terræ motus tam magni fient, ut pene omnia manu facta ruant, omnesque lapides etiam parvi conscindantur; et feræ de montibus descendentes inter homines manebunt, nullique nocentur; ipsi quoque homines quasi amentes et præ timore arescentes, huc illuc discurrentes tabescent, et his quidem evangelii verba convenire videntur, quibus Dominus ait *Luc. XXI, 26* : *Arescentibus hominibus præ timore et expectatione, quæ supervenient universo orbi.* »

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Reges et principes sui officii serio admonet, quod, si male illud obeant, a Deo judicandi et graviter plectendi sint : potentes enim potenter tormenta patientur ; unde vers. 10, adhortatur eos ad studium sapientiæ legisque Dei, cujus proinde vers. 19, elogia, dotes et effectus (ac præsertim pulchritudinem et comitatem, qua omnes sui cupidos præoccupat, seseque prior iis offert) recenset, quod scilicet præstet incorruptionem, proximum Deo efficiat, et deducat ad regnum perpetuum.

1. Melior est sapientia quam vires : et vir prudens quam fortis. 2. Audite ergo, reges, et intelligite, discite, iudices finium terræ. 3. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum : 4. quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur : 5. quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. 6. Horrende et cito apparebit vobis : quoniam iudicium durissimum his, qui præsent, fiet. 7. Exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur. 8. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam : quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. 9. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. 10. Ad vos ergo, reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis. 11. Qui enim custodierint justa, juste justificabuntur : et qui didicerint ista, invenient quid respondeant. 12. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, et habebitis disciplinam. 13. Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. 14. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illi se prior ostendat. 15. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit : assidentem enim

illam foribus suis inveniet. 16. Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus : et qui vilaverit propter illam, cito securus erit. 17. Quoniam dignos seipsa circuit quærens, et in viis ostendit se illis hilariter, et in omni providentia occurrit illis. 18. Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia. 19. Cura ergo disciplinæ, dilectio est : et dilectio, custodia legum illius est : custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est : 20. incorruptio autem facit esse proximum Deo. 21. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. 22. Si ergo delectamini sedibus et sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis : 23. diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis. 24. Quid est autem sapientia, et quemadmodum facta sit referam : et non abscondam a vobis sacramenta Dei, sed ab initio nativitatis investigabo, et ponam in lucem scientiam illius, et non præteribo veritatem : 25. neque cum invidia tabescente iter habebō : quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. 26. Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum : et rex sapiens stabilimentum populi est. 27. Ergo accipite disciplinam per sermones meos, et proderit vobis.

Vers. 1.

1. MELIOR EST SAPIENTIA, QUAM VIREB : ET VIR PRUDENS, QUAM FORTIS. — Hæc gnome jam deest in Græco, ipsa autem initio capitis ponitur quasi thema et argumentum, quod toto capite pertractatur : quia enim reges suum robur et splendorem collocant in viribus et fortitudine suorum militum, urbium et opum, uti fecit primus orbis rex et tyrannus Nemrod, sed imprudenter et frustra, hinc illud elidit, docetque regni firmamentum magis esse sapientiam quam vires, ac proinde eos ad studium sapientiæ incitat. Huic gnomæ similis est illa, *Proverb. xvi, 32* : « Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium ; » et illa, *Eccle. ix, 16* : « Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. » Unde putant nonnulli hanc gnomen ex illis esse desumptam : vide ibi dicta.

Est ergo hic conclusio, educta ex principiis assignatis cap. præced. : ibi enim descripsit impiorum in die iudicii gemitus, quod in vita studuerint vanitati opum, deliciarum et honorum, neglecta veritate sapientiæ : quare sibi iram et vindictam Dei omniumque creaturarum accersiverunt. Ex quibus hic concludit : Ergo, o reges et principes, si sapitis, si acrem Dei vindictam vitare cupitis, studete veritati, non vanitati ; vacate sapientiæ, non cupiditati : hic enim est scopus totius libri. Unde subdit :

Vers. 2.

2. AUDITE ERGO, REGES, ET INTELLIGITE, DISCITE, JUDICES FINIUM TERRE. — Audite meam adhortationem ad studium sapientiæ : alludit ad illud, *Psal. ii* : « Et nunc, reges, intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, » reges enim et principes, qui rempublicam regunt, totius populi sunt ductores et doctores : docent enim eum civiliter, id est juste, probe et concorditer vivere ; unde rex hebraice et magis chaldaice vocatur מלך *melech*, id est *consultor*. Radix enim מלך *malach*, id est *regnare*, significat regnum consilio, prudentia, legibus administrare, ac legitime gubernare ; hinc chaldaice מלכי *milki* est *consilium meum* :

Rex idem quod consultor.

vide dicta, *Daniel. iv, 24*. Latine quoque *magistratus* dicitur, quasi *magister populi*, ait Varro lib. IV *De Lingua Latina* : sicut enim magister docet regitque pueros, sic princeps populum. Rursum, sicut anima est auriga corporis, sic princeps populi, ipse enim in eo est id quod mens, sensus, ratio est in corpore, ac quod sol est in orbe : instar solis enim subditos omnes lustrat et illustrat, celerique motu et influxu in singulos diffusus cunctis suam lucem, id est sapientiam, providentiam, vigilantiam et beneficentiam impertit, quare magna sapientia polleat oportet : « Discite ergo eam, o iudices, » id est principes, « finium terræ : » olim enim præcipuum munus regum et principum erat iudicare, et lites populi decidere ; inde hæc vox per ampliationem ad quodvis regis officium extenditur, ut *iudicare* sit idem, quod *juste regere et gubernare*, uti dixi cap. i, vers. 4, puta præcipere, prohibere, permittere, punire et præmiare, hi enim sunt quinque domini et jurisdictionis actus sive officia. Porro, quia nemo nascitur sapiens, hinc sapientia magno studio etiam a regibus discenda est, nemo enim recte docet, nisi qui prius recte didicit. Rursum, quia sapientia est vasta et quasi immensa, hinc semper discenda est, etiam a senibus, uti Cato aiebat se discere quotidie, etiam in senio, usque ad mortem, ac senescendo discere et discendo senescere. Tergo *discite* significat reges debere esse dociles, ut libenter doctiores rerumque peritos audiant, ab iisque ea quæ ignorant discant : multi enim dignitate, quam habent, inflati nolunt a quoquam doceri, sed volunt omnes docere, etiam illa quæ nesciunt, quæ magna est superbia, æque ac imprudentia. Quocirca Salomon, III *Reg. iii, 9*, postulans sapientiam a Deo poscit pariter *cor docile*, hebraice *cor audiens* ; Septuaginta *cor sapiens* nam, ut ait Plato, sapiens est docilis ; » et S. Paulus, II *Timoth. ii, 24*, vult servum Dei esse docibilem, ut sana prudentum consilia audiat, iisque obediat :

Judices, id est principes, cur ?

multi enim non audent principes monere et docere, quia experiuntur illos monita ægre accipere, et bene monentes aversari: quocirca Demetrius Phalereus suadebat Ptolemæo regi legere libros ethicos et politicos, illos enim ideo scribi, quod nemo principibus veritatem docere audeat: ita Plutarchus in *Apophth.* Alii suasere regibus, ut secretos fidosque habeant syndicos, qui quæ de ipsis ipsorumque regimine a populo dici audiunt, iisdem referant: hæc enim est miseria principum, ut sæpe ea, æque ac publicas populi necessitates ac calamitates ignorent, eo quod aulici, ut principi adulentur, ea celent vel extenuent. Hac de causa Franciscus Valesius Franciæ rex, mutato habitu, solebat vespere obire hospitium, ac audire quid de se ibidem diceretur, quia in re magnam se colligere regendi industriam asserebat.

Vers. 3.

3. PRÆBETE AURES VOS, QUI CONTINETIS MULTITUDINES. — *Continetis*, scilicet vestro imperio et gubernatione, cœu freno: græce enim est, κρᾶτίζετε; κἀδου; id est *qui imperatis et dominamini multitudini*, eamque manu quasi injecta apprehenditis, tenetis, occupatis, vincitis, domatis, ac vestris legibus, edictis, imperiis, quasi vinculis colligatis vestroque jussu et nutu, quasi pugno constringitis, ut eam versetis in omnem partem, ac de ea faciatis quidquid vobis lubet et libet, idque non raro imperiose et tyrannice; quibus S. Petrus intonat I *Epist.* v, 2: « Non dominantes in cleris. » Unde sequitur:

ET PLACETIS VOBIS (græce, γεγαυρωμένοι, id est *superbientes*, insolescentes, gloriantes, exsultantes, instar equi superbe subsultantis, aut leonis ferocientis) IN TURBINATIONUM, — quod scilicet multis imperetis, idque sæpe pro libito et ex fastu. Quos proinde sapienter monet Ecclesiasticus, cap. xxxii, vers. 1: « Rectorem, inquit, te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis. » Ubi fuse hac de re egi. Præclare S. Bernardus loquens in persona Dei: « O homo, ait, si te videres, tibi displiceres, et mihi placeres; sed quia te non vides, tibi places, et mihi displices; » unde subjicit pœnam condignam: « Veniet tempus, cum nec mihi, nec tibi placebis: mihi, quia peccasti; tibi, quia in æternum ardebis. » Egregie hoc argumentum tractat S. Gregorius, parte II *Pastor.* cap. vi, ubi inter multa hæc de illo dat documenta vel axiomata: « Apostatæ angelo similis efficitur, dum homo hominibus similis esse dedignatur. Plerumque ergo, dum ex subditorum affluentia animus inflatur, in luxum superbiam, ipso potentiam fastigio lenocinante corrumpitur, etc. Quam tamen potestatem ille recte dispensat, qui sollicitè noverit et assumere ex illa quod adjuvat, et expugnare quod tentat, et æqualem se cum illa cæteris cernere, et tamen se peccantibus zelo ultionis anteferre. » Et post nonnulla: « Cum delinquentes subditos præpositi corrigunt, restat ac necesse est ut sol-

licite attendant, quatenus per disciplinæ debitum culpas quidem jure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam æquales se ipsis fratribus qui corriguntur agnoscant: quamvis plerumque etiam dignum est, ut eosdem quos corrigimus tacita nobis cogitatione præferamus. »

Huc facit vetus emblemata: Lacedæmonii enim pingebant Apollinem sapientiæ præsidem præditum quatuor auribus et totidem manibus, quo significabant sapientiam multarum rerum auscultatione, ac multarum virtutum operatione comparari: nam, ut ait Horatius:

Res gerere, et captos ostendere civibus hostes,
Attingit solum Jovis.

Ita Pierius, XXXIII *Hierogl.* cap. xxv.

4. QUONIAM DATA EST A DOMINO POTESTAS (judicandi, præcipiendi, regendi, imperandi) VOBIS, ET VIRTUS (græce, δυναστεία, id est *principatus, dominatus, dynastia*; virtus ergo non moralis, quæ opponitur vitio, sed politica, puta potestas regendi hic intelligitur) AB ALTISSIMO, QUI INTERROGABIT (græce, ἐξετάσει, id est *examinabit, scrutabitur*, inquireret, item ventilabit, discutiet, judicabit, puniet, cruciabit, et tormenta infliget, uti vertit Noster vers. 7 et 9) OPERA VESTRA, ET COGITATIONES (græce ἐκωλύει, id est *consilia, cogitata, voluta*) SCRUTABITUR: — nam, ut ait Apostolus *Rom.* xiii, 1: « Non est potestas nisi a Deo, » in Deo enim est eminentissimum et summum in res omnes tam rationales, quam irrationales, utpote creaturas suas (quæ ab eo omne suum esse per creationem acceperunt, idemque singulis momentis per influxum conservationis accipiunt) jus et dominium, ut omnibus et singulis possit præcipere quidquid ei libuerit, de eisque disponere pro suo arbitrio. Ipse ergo summus est legislator, a quo omnis lex justa descendit; ipse potentissimus omnium angelorum et hominum iudex et vindex; ipse supremus omnium dominus, a quo omne dominium, omnis potestas, omnis jurisdictio in angelos et homines, etiam reges et pontifices derivatur: ipse enim est « Rex regum, et Dominus dominantium, » I *Timoth.* vi, 15; unde Esther, cap. xiii, vers. 9, orat et proficitur: « Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. Tu fecisti cælum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur, Dominus omnium es. »

5. QUONIAM CUM ESSETIS MINISTRI REGNI ILLIUS, NON RECTE JUDICASTIS, NEC CUSTODISTIS LEGEM JUSTITIÆ: NEQUE SECUNDUM VOLUNTATEM DEI AMBULASTIS. — *Tis justitiæ* non est in Græco, sed intelligitur: sensus est, *q. d.* Putastis, o reges superbi, vos summos et absolutos esse principes, nec cuiquam esse subjectos, cum tamen Dei, qui est Rex regum, essetis vicarii et ministri, imo instrumenta duntaxat; hinc « non recte judicastis, » id est iniquas sententias in judicando, et iniquas leges in

imperando tulistis. « Neque custodistis legem justitiæ, » sed ex avaritia et cupiditate justitiam pervertistis, ac iniqua tributa et onera subditis imposuistis. « Neque secundum voluntatem Dei, » sed secundum vestram ambitionem, « ambulastis, » immemores illius moniti Josaphat regis, II Paral. xix, 6 : « Videte quid faciatis : non enim hominis exercetis judicium, sed Domini : et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite : non est enim apud Dominum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. » Hæc cogitent judices et principes : hic enim acer eis est stimulus ad omnem justitiam et modestiam, quod scilicet Christi tribunali velut rei adstant, ut ipsi rationem judicii vel regiminis sui reposcenti exactam reddant.

Tria vitia iudicum terra.

Igitur tribus hisce sententiæ partibus tria videntur notari vitia iudicum et principum, scilicet corruptam iudicium, iniquum regimen, et neglectus religionis sive cultus Dei : si quis tamen omnia ad unum et idem, scilicet ad corruptum iudicium, spectare contendat, contentiosum cum eo funem non traham. Unde S. Bonaventura ex tribus hisce sententiis : « Non recte iudicastis, neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis, » primam esse ait, cum non subest causa justa ; secundam, cum non servatur ordo ; tertiam, cum prava intentione quid a iudice fit. Cantacuzenus vero : Prima, ait, significatur ex corruptela munerum acceptorum, devians a regula et præscripto rationis lata sententia ; secunda, personarum acceptio, dum non æque omnes iudicis negligentia aut indulgentia, sive spe, sive timore, observant legem ; tertiam, cum offenditur religio et cultus Dei : quæ sententia valde apposita et genuina videtur. Minus apte Cervantes primam refert ad officium debitum proximis ; secundam ad debitum sibi ipsi ; tertiam ad debitum Deo. Porro tales avaros et injustos principes, necesse est esse hominibus æque ac Deo exosos, ideoque miserrimos : audi Platonem, lib. IX De Republ. : « Animum, inquit, tyrannicum, mendicum semper atque inexplebilem esse necesse est ; » et mox : « Longe cunctorum dico hunc esse miserrimum ; » et nonnullis interjectis : « Est autem reipsa, quamvis alicui non videatur, vere tyrannus, vere servus extremæ servituti adstrictus, qui appetitus suos explet nunquam, sed plurimis indiget semper, atque inops revera esse apparet, si quis penetralia animi ejus inspexerit. » Quocirca Basilius imperator, Exhort. ad Leonem filium, cap. xxvii, inculcat ei pecuniæ contemptum, et justam vectigalium moderationem : « Republicam, inquit, optime administrabis, si pecuniæ publicæ curam habebis, eique justis rationibus colligendæ studebis non ex oppressione, vel lacrymis subditorum corradendæ : pecunia enim si juste colligitur, possidenti multum affert emolumentum, et nervos imperio addit ; quæ

vero ex lacrymis subditorum, atque ex iniquitate corrasa fuerit, etiam juste collectam dissipabit : attrahet enim Deum, qui justitiæ leges condidit, ad vindicandum injuriam, ignisque non ita celeriter paleam consumit, ut male et injuste congestæ opes etiam jure partas in perniciem secum abducunt. »

6. HORRENDE ET CITO APPAREBIT VOBIS. — Græce, Vers. 6, ἐπιτίσεται, id est instabit, ingruet, imminet super vos, scilicet summus iudex Deus, sicut iudex instat reo, exactor tributario, creditor debitori, rigidum contra vos instituens examen, rigidius iudicium, et rigidissimum supplicium ; unde explicans subdit :

QUONIAM JUDICIUM DURISSIMUM HIS, QUI PRÆSENT FIET. — Vatablus, quoniam iudicium rigidissimum in proceres exercebitur : pro durissimum græce est, ἀπείρακτος, id est durum, sed antonomastice et per excellentiam, hoc est durissimum. Ratio est, quod graviora sint peccata iudicum et principum, quam sint subditorum et privatorum, primo, quia sunt personarum sublimium, quarum status et eminentia majorem virtutem et perfectionem exigit ; unde dicitur Psalm. lxxxii, 1 : « Deus stetit in synagoga deorum (id est iudicum), in medio autem deos dijudicat. » Secundo, quia toti populo dant scandalum, suntque peccati illecebra, nam

Graviora peccata principum quam privatorum, ob tres causas as.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Tertio, quia eorum injusta iudicia æque ac leges et edicta gravia damna, tum facultatibus, tum corpori, tum animæ inferunt, non uni subdito, sed pluribus, imo toti reipublicæ. Quocirca Deus jussit Mosi, ut principes tribuum Israel fornicantes cum filiabus Moab, et earum idola colentes, suspenderet contra solem in patibulis, Num. xxv, 4. Addit Origenes ibidem, homil. 20, eos suspensos fuisse, eo quod populum non docuissent ; non monuissent, non sollicitè arguissent ; unde concludit : « Hæc si cogitarent homines, principatus non ambirent. » Hinc iniqui reges et tyranni horrendè metuunt omnia, pleni sunt pavore, ac omnia tuta timent. Graphice hunc eorum horrorem et pavorem depingit Xenophon in Hierone : « Jam vero, inquit, metuere turbam, metuere solitudinem, metuere satellitis absentiam, metuere ipsos etiam custodes, ac nec inermes illos velle habere apud se, nec armatos videre libenter, an non res est misera ? Postremo huc compelli, ut pro liberis habere cupias servos, et ex servis cogaris facere liberos, an non hæc tibi videntur argumenta animi terroribus attoniti percussique ? Porro non solum ipse metus tunc cum insedit animo, molesta res est, sed dum nusquam non adest ac circumfertur, fit omnium rerum jucundarum corruptela. » Exempla sunt in Pharaone, Exod. i et seq., in Athalia, IV Reg. xi, in Herode infanticida, Matth. ii.

Metus principum.

Hisce de causis viri sancti fugerunt regimen, tum ecclesiasticum, tum civile : sic episcopatum

Fugendi principum.

patus. fugere S. Clemens, S. Gregorius Thaumaturgus, Exem- S. Athanasius, S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Nazianzenus, S. Gregorius Magnus, S. Ephrem, S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Fulgentius, et plurimi alii, qui tamen episcopatu fuere dignissimi, eumque præclarissime gesserunt. Unde Leo imperator, anno Domini 469, XXXI cap. D. *Episc. et Cler.* : « Profecto, ait, non est dignus sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus : » inviti enim apprehendunt episcopalis oneris magis quam honoris periculum, ideoque in ejus officio sunt solliciti et strenui. Certe Canonicus ille S. Victoris, quem memorat Thomas Cantipratensis, lib. I *Exempl.* cap. xx, post mortem apparuit amico, eique dixit : « Si de numero episcoporum fuisset, in damnationis periculum incidissem, et de numero electorum non essem. » Similia dixere plures alii. S. Thomas Aquinas tria in votis habebat, *primo*, cognoscere quid animæ fratris sui Landulfi in bello occisi contigisset, an salus, an pœna; *secundo*, puritatem mentis primævam; *tertio*, ad nullos honores, vel prælaturas promoveri, unde archiepiscopatum Neapolitanum sibi a Clemente IV oblatum recusavit, atque in morte sibi gratulatus est, Deoque gratias egit quod trium votorum horum se compotem fecisset. Denique audi S. Gregorium, *epist.* 6, lib. VI, et lib. VII, *epist.* 110 : « Sicut, inquit, is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus : sic qui ultro ambit, vel importune se ingerit, est procul dubio repellendus : nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo descendat ? »

Exempla eorum qui regnam cum monasterio commutarunt.

Regnum vero et principatum civilem abdicarunt, ac vitæ quietæ, sanctæ et religiosæ se dederunt S. Josaphat rex conversus a S. Barlaam, teste S. Damasceno in *Histor.*, S. Carlomanus Caroli Magni patruus, Pipinus Caroli Magni filius primogenitus, Lotharius imperatoris Caroli Magni ex Ludovico patre nepos, a quo Lotharingia nomen accepit, cum prius Austrasia diceretur, Rachisius Italiæ rex, anno Domini 741, Bamba rex Hispaniæ, anno Domini 674, Veremundus rex Castellæ, anno Domini 786, Ramirus rex Aragoniæ, anno Domini 1150, Sigebertus rex Northumbriæ in Anglia, anno Domini 640, Ethelredus ibidem rex Merciorum, anno Domini 704, ejusque frater in regno successor Coenredus, Offa item rex orientalium Saxonum, æque ac Inus, anno 740, Trebellius rex Bulgarorum, anno 862, Joannes Erena imperator Constant., Henricus rex Cypri, Joannes rex Armeniæ, S. Ludovicus Caroli II Siciliæ regis filius, anno Domini 1297, ac hoc nostro in sæculo Carolus V imperator. Plures recenset noster Hieronymus Platus, lib. II *De bono status relig.* cap. xxvi et seq. Nimirum « vita privata, vita beata. » Quam ergo desipiunt, qui principatus et prælaturas ambiunt! cum enim vix animæ suæ rationem Deo reddere queant, one-

rant insuper eam obligatione tot animarum salvandarum, quot curam suscipiunt, quæ sane stupenda est insania, uti fuse ostendit S. Bernardus, *epist.* 42 ad *Henricum Senonensem archiepiscopum*.

7. EXIGUO ENIM CONCEDITUR MISERICORDIA, POTENTES AUTEM POTENTER TORMENTA PATIENTUR.—SYRUS, *potentes potenter interrogabuntur*; ARABICUS, *de potentibus autem investigabitur scrutatione potenti*; GRÆCÆ, *minimus enim οὐρανοῦ*, id est ignoscibilis vel veniabilis, dignus est venia et misericordia; validi autem valide examinabuntur; item, *judicabuntur et punientur* : græcæ enim est ἐραοβήσονται, quod est futurum primum ab ἐρῶ, cujus verbi significata recensui vers. 4. *Exiguo*, id est pauperi, plebeio, privato : hunc enim sæpe necessitas adigit ad peccatum; vel certe hic peccato suo minus alios lædit, ideoque venia dignus videtur; unde *exiguo* opponit *potentes*, id est reges et principes, qui sua potentia ad fastum abutuntur, ut alios opprimant. Hinc Vatablus vertit, *nam plebeius homo venia dignus est, in potentes autem inquiretur acriter*, id est severa et rigida ab eis reposcetur ratio, quomodo potestate sibi commissa usi vel abusi sint : nam « cui plus datum est, plus requiretur ab eo. » Causas recensui vers. præced. Ita S. Cyprianus, lib. III *Testim. ad Quirin.* num. 112 : « Gravius, inquit, judicari de his qui in sæculo plus habuerunt potestatis, apud Salomonem docetur, *Sapient. vi, 7* : *Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur*; et in *Psalm. ii, 1* : *Et nunc reges, intelligite, emendamini* (sic enim ipse legit, pro quo nos legitur, *quædmini*), *qui judicatis terram.* » Theodoretus, *Quæst. XLIII in Deuter.*, in exemplum statuit Moysen : quærit enim cur Moses ob leve dubitationis delictum a Deo exclusus sit e Terra Sancta, populus vero gravius peccans in eam sit inductus? ac respondet : « Per hæc docet nos Dominus se summam virtutem a perfectis exigere, et; cum erga alios homines graviter peccantes sit longanimis, sanctis tamen hanc veniam non concedere; quod quidem Sapiens dixit aliquis, *Sapient. vi, 7* : *Tenuissimus venia et misericordia dignus, potentes autem potenter torquebuntur*; et Dominus in Evangelio, *Matth. xiii, 11* : *Cui modicum datum fuerit, modicum exigetur ab eo.* » Eadem ad verbum habet, et ex Theodoro transcripsit Anastasius Nicænus, *Quæst. XXXV in Script.*

Horribilius est exemplum in Pharaone, quem sibi reluctantem nolentemque Hebræos dimittere ex *Egypto*, Deus decem atrocibus plagis afflixit, ac tandem cum omnibus copiis mersit in Mari Rubro, *Exod. vii* et seq.; et in Nabuchodonosore, quem ob fastum Deus transformavit in bestiam, *Daniel. iv*; et in Antiocho, quem vermibus et diris cruciatibus consumpsit, II *Mach. ix*. Recentius exemplum præbet Mauricius imperator, de quo ita ex Cedreno scribit Baronius, tom. VIII, anno

Cui pl
datum
plus
quirit
ab
cur?

Exem-
pla

Christi 602, pag. 158, in fine. Plane accidit secundum illud *Sapientiae*: « Audite, reges, et intelligite; horrendo et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui praesunt, fiet. » Ita quidem patefactum est horrendum Dei iudicium adversus Mauricium imperatorem, dum de facinore haud pridem perpetrato persolvit poenam (uti licuit) talionis: dum enim passus esset tot millia innocentium christianorum a diro barbaro immanissime caedi, quos minimo potuisset redimere pretio, reus factus innoxii effusi sanguinis, ipse a tyranno una cum insontibus filiis crudelissime necatus est, nullo adjuvante, eripiente nemine. Sentiens vero ipse manum esse hanc Domini porrectam ad ulciscendum, specimen edidit probatissimi christiani, conficiens sibi ex calice irae Dei, poculum medicinae, quod prodesset ad peccatorum suorum purgationem et perfectam salutem animae consequendam. Sed age jam cuncta eodem, quo se habuerunt, ordine recensamus. Hæc Baronius, qui pergit enarrare quomodo Mauricius a Phoca invasore imperii, filiis, regno et vita privatus sit, dicens: « Justus es, Domine, et rectum iudicium tuum. »

Vita sacerdotum irreprehensibilis esse debet.

Apposite hanc gnomen sacerdotibus applicat S. Isidorus, lib. II *Offic.* cap. v: « Quapropter, inquit, quia lex peccatores a servitio removet, consideret se unusquisque, sciens quia *potentes potenter patientur tormenta*: retrahat se ab hoc non tam honore quam onere, et aliorum locum, qui digni sunt, non ambiat occupare. Qui enim in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est ut in omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur: qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus: nam qua fronte subjectos arguere poterit, cum illi statim possit correptus ingerere: ante doce te quæ recta sunt, quapropter qui negligit recta facere, negligat recta docere. » Et S. Hieronymus in *Epist. ad Tit.*, cap. i, cuius verba citantur VIII, Quæst. I, can. xix: « Illud inferendum est, inquit, adversus eos qui de episcopatu intumescunt, et putant se non dispensationem Christi, sed imperium consecutos, quia non statim omnibus his meliores sunt quicumque episcopi non fuerint ordinati; et ex eo quod episcopi electi sunt, ipsi se magis existiment comprobatos; sed intelligant propterea quosdam a sacerdotio remotos, quia eos vitia liberorum impediunt; si autem peccata filiorum justum ab episcopatu prohibent; quanto magis se unusquisque considerans, et sciens quia *potentes potenter tormenta patientur*, retrahit se ab hoc, non tam honore, quam onere, et aliorum locum, qui magis digni sunt, non ambit occupare? » Denique Glossa in illud, *Malach.* i, 14: « Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino: » Aliquando, inquit, homo bene creatus a Deo habet ingenium aptum sacris disciplinis, sed

trahit luxuriæ et inertiae; habens masculum offert debile, id est orationem aliqua animi perturbatione corruptam: hic sentiet in se esse completum, quod scriptum est: « Potentes potenter tormenta patientur. »

8. NON ENIM SUBTRAHET PERSONAM CUJUSQUAM DEUS, Vers. 8. QUI EST OMNIUM DOMINATOR, NEC VEREBITER MAGNITUDINEM CUJUSQUAM: QUONIAM PUSILLUM ET MAGNUM IPSE FECIT, ET ÆQUALITER CURA EST ILLI DE OMNIBUS. — Ita habent Græca et multi codices Latini. Sed *quod qui est omnium dominator*, delent Romani, ac S. Augustinus in *Speculo*, et Lucifer pro S. Athanasio.

Non enim subtrahet, scilicet iudicio suo et vindictæ. Ex Græco nonnulli vertunt cum Jansenio, *non formidabit vultum alicujus, non se metu illius dimittet vel contrahet*, ut illi cedat, vel illum libere iudicare et damnare non audeat: hoc enim est *ἠπισηδον*; hinc Romani in *Addit.* ad editionem Septuaginta vertunt, *non subtrahet vultum* (quasi ex pudore vel timore potentis) *omnium Dominus*, q. d. Deus non ducitur gratia vel metu, non enim formidabit, reverebitur, aut dissimulabit peccatum alicujus, eo quod vultum habet augustum, magnificentum, regium: ipse enim est omnium Dominus, quare nullam vultus vel personæ rationem habebit, ut quem rigido suo iudicio eximat; sed æque juste et rigide de rege ac de plebeio iudicabit, quia « æqualiter est illi cura de omnibus. » Sic Plato dixit Deum in iudicio, nec Achillis, nec Thersitis habiturum rationem, nec summi, nec infimi. Ubi nota, *quod cuiusquam non est in Græco*, sed tantum *non subtrahet personam vel vultum, sive alienum*, ut intellexit noster Interpres; sive etiam *suum*, ut scilicet Deum ipse ex metu vel pudore cum potentibus personam mutet, et vultum contrahat demittatque (uti nautæ contrahunt vela ingruente tempestate), sicut faciunt timidi iudices, qui cum pauperibus personam leonum induunt, cum divitibus et potentibus personam muris, ut hiscere non audeant: hoc enim est proprie *ἠπισηδον*. Deus ergo eadem persona et eodem vultu justo et constanti iudicabit potentes, quo plebeios.

ÆQUALITER CURA EST ILLI DE OMNIBUS. — Græce, *ἰσότητος*, id est *similiter, pariter, ἰσότητι*, id est *providet, curam gerit de omnibus*; S. Augustinus in *Speculo* legit *pro omnibus*: sensus est, q. d. Deus æqualiter curam habet omnium, scilicet tam vulgarium, quam potentum: non enim ita curat potentes et principes, ut pauperes et plebeios negligat, sed tam horum quam istorum, adeoque rerum omnium, communem et æqualem habet providentiam, ita tamen ut cuique provideat pro cuiusque statu, conditione et exigentia. Unde non ait, *æqualis*, sed *æqualiter est illi cura de omnibus*: sic rex æqualiter curat totum regnum et unam regni urbem, sed inæquali et dispari cura: *ma-* vult enim perdere unam urbem, quam totum

Providentia Dei universalis, quomodo?

regnum; hinc Arabicus omittit *æqualiter*, sicque verlit, *propterea providet omnibus, et gubernat omnia*; sic et Syrus.

Varii errores circa Dei providentiam. Primo, Averrois. Errat ergo, primo, Averroes in XII *Metaph.* comm. 51 et 52, docens Deum tantum curare res incorruptibiles, quæ sunt supra lunam, non corruptibiles, quæ sunt sub luna: idem sensisse Aristotelem censet S. Ambrosius, I *Offic.* cap. XIII, Nazianzenus, orat. I *De Theolog.*, Clemens Alexandrinus, V *Strom.*, Eusebius, Epiphanius, Theodoretus, et ex iis noster Gabriel Vasquez, I part. *Quæst.* XXII, disp. 87, cap. I; sed alii, ut Suarez in *Metaph.* disp. 59, sect. XV, ab hoc errore liberant Aristotelem. Certe multorum olim fuit hic error, ut indicat Job, XXII, 14, dicens ex eorum sensu: « Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat. »

Secundo, Cicero. Errat secundo, Cicero, lib. II *De Divin.*, docens Deum non cognoscere futura contingentia, v. g. actiones liberas quas facturi sumus; alioqui, inquit, illæ jam determinatæ forent et necessariae, non contingentes et liberæ: nam, ut ait S. Dionysius, *De Divin. nomin.* cap. VII, si in rebus est aliquid non cognitum a Deo, oportet ut illud divina providentia vacet. Unde S. Augustinus, lib. V *De Civit.* cap. IX: « Cicero, inquit, dum homines vult facere liberos, facit sacrilegos, » imo atheos: qui enim negat in Deo numen, sive providentiam futurorum, negat deitatem et Deum: hæc enim duo ita connexa sunt, ut qui astruit vel negat unum, astruere vel negare cogatur et alterum. Neque enim præscientia Dei inducit rebus futuris necessitatem, quia præsupponit res ipsas libere futuras, hæc enim sunt ejus objectum: ideo enim præscit Deus libere futuras, quia libere ab homine futuræ sunt; non vero ideo futuræ sunt, quia Deus eas prævidet futuras.

Tertio, R. Moysi. Errat tertio, R. Moysi, lib. III *Doctoris dubiorum*, cap. XVIII, censens Deum tantum habere curam hominum singulorum, cæterorum vero habere curam quoad speciem, non quoad individua singula, non curare ergo singulos culices, muscas, pulices, etc. Idem videtur dicere S. Hieronymus in *Habac.* cap. I, sed ibidem ipsum ab hoc errore purgavi. Sapienter S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XIII: « Quis operator, inquit, negligat operis sui curam? quis deserat et destituat, quod ipse condendum putavit. Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse? cum aliquid non fecisse, nulla injustitia sit, non curare quod feceris, summa inclementia. »

Quarto Pelagii et asseclorum. Errant quarto, pelagiani et semipelagiani, ut Cassianus et Faustus Rhegiensis episcopus, qui ex hac gnome colligunt, æque in omnium hominum arbitrio esse habere gratiam Dei, ut quilibet sit sanctus, qui voluerit esse sanctus: quia Deus, inquit, æqualiter se habet ad omnes, omnibusque suam gratiam offert, si per liberum arbitrium eam velint petere et excipere. Verum hos refellit S. Augustinus, *epist.* 106 et 107, et

alibi sæpe, ac Hilarius et Prosper *epist. ad S. Augustinum*. Sensus ergo genuinus hujus sententiæ, *æqualiter cura est illi de omnibus*, q. d. Deus non magis amat, nec magis curat magnum quam parvum, divitem quam pauperem, nobilem quam ignobilem, uti homines faciunt; sed æqualem (proportionaliter tamen, secundum cujusque gradum, officium et meritum. Unde græce est *ἴσως*, id est *similiter*: æqualitas ergo hæc sita est in similitudine) tam horum quam istorum providentiam habet, ut omnibus per omnia de necessariis provideat: nihil enim subtrahitur a providentia Dei, quia illa res omnes nulla excepta, quatumvis infima et vili, gubernat. Unde aliqui *æqualiter* exponunt *communiter*; hinc et Antonius in *Melis.*, part. II, cap. II, legit *æqualiter omnium commodis prospicit et consulit*; Clemens Alexandrinus, VI *Strom.*, *similiter omnibus providet, et omnium curam gerit*, uti sol similiter, quantum est ex se, omnia illuminat.

Maxime vero Sapiens loquitur de æquali providentia in judicio, et justa retributione pœnarum et præmiorum, ut patet ex preced., ubi opponit hanc Dei curam acceptioni personarum, quæ tantum locum habet, cum aliqua qualitas impertinens spectatur, ac propter eam alter alteri præfertur in officio, beneficio, præmio, judicio: non autem opponit eam liberali Dei prædestinationi, ac liberæ dilectioni et electioni ad bona, tum naturalia, tum supernaturalia: nam secundum hanc Deus alios aliis magis amat et curat, ut justos quam injustos, electos quam reprobos, B. Virginem quam communem sanctum, ut patet *Rom.* IX et seq.; *Deuter.* IV, 8; *Sapient.* IV, 11; *Matth.* XIII, 11; *Actor.* XIV, 15. Ita S. Augustinus, toto lib. *De Prædest. Sanctorum*, et totum consilium Arausicanum. Sapiens ergo non loquitur de beneficio gratiæ, sed de retributione beneficiorum atque pœnarum: præcedit enim illud, *horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsumunt, fiet*: « itaque sententia hujus loci est, in extremo judicio Deum non accepturum personas regum et principum, sed ex æqualitate justitiæ sententiam esse laturum, » ait Bellarminus, lib. II *De Gratia et libero arbit.* cap. III.

Porro S. Cyprianus, lib. V, *epist.* 8 *ad Fidum*, docet Deum æqualiter curam habere infantium ac adultorum: quare infantes statim esse admitte ad gratiam baptismi, nec expectandum esse octavum diem, uti expectabant Judæi, ut eos circumciderent: eo quod « Spiritus Sanctus, inquit, non de mensura (ætatis et staturæ), sed de pietate atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur: nam Deus ut personam non accipit, sic nec ætatem, cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem æqualitate librata præbeat patrem: » *librata*, id est *expensa*, considerata et ad mensa pro cujusque statu, exigentia et conditione.

In die
judicii
non eri
acceptio
personarum.

Infantes
statim
baptizandi,
cur?

Quomo-
Deus æ-
qualiter
diligat
omnia.

Denique S. Thomas, I part. *Quæst.* XX, art. 3, docet Deum æqualiter diligere omnia, quia omnia amat uno et simplici actu voluntatis, et semper eodem modo se habente, licet ex parte objecti voliti magis bonum velit uni, quam alteri; sive quia ex æquali sapientia et bonitate omnia administrat, licet æquali hac cura sua, inæqualia variis bona dispenset: nam uno actu simplici bis majora, illis minora distribuit. Idem docet I II, *Quæst.* CXII, art. 4, ad 1, et S. Augustinus, tract. 110 in *Joan.*: « Omnia, inquit, diligit Deus quæ fecit, et inter ea magis diligit creaturas rationales, et illis eas amplius quæ sunt membra Unigeniti sui, et multo magis ipsum Unigenitum suum. »

Moraliter, disce hic a Sapientia divina minimos et minima non spernere, sed illa æque ac magna et magnos curare; Deus enim creans omnia non dixit: Omittamus culicem, quia vilis et parvus est; sed eum æque ut elephantem creavit, et creatum gubernat: similiter fac et tu.

Vers. 9.

9. FORTIORIBUS AUTEM FORTIOR INSTAT CRUCIATIO, — græce *fortibus* (vel *potentibus*) *vero valida incumbit scrutatio*, vel *perquisitio*, vel *examinatio*; *Vatibus, potentes autem vehemens manet inquisitio*; Noster vertit *cruciatio*, tum quia judicialis reorum inquisitio fit per cruciatum et tormenta, quæ proinde *questiones* vocantur; tum quia ejus finis est cruciatus, qui reis pro pœna a iudice decernitur et infligitur. Est metonymia et metalepsis, ponitur enim causa pro effectu, et antecedens pro consequentibus: ex examine enim judiciali sequitur confessio reorum, ex confessione cognitio scelerum, ex cognitione fertur sententia, ex sententia infliguntur supplicium et cruciatus. Noster vertit *fortioribus* et *fortior*, pro *fortibus* et *fortis*, quia sub positivo intelligitur comparativus et superlativus: si enim forti fortis instat cruciatio, ergo ex justa proportionem, fortiori instat fortior, et fortissimo fortissima, idem dicit aliis verbis per exaggerationem, cum eo quod paulo ante dixit: « Potentes potenter tormenta patientur, » q. d. Reges et principes, qui alios sua potentia oppresserunt, potenter pariter a Deo opprimuntur et cruciabuntur.

Vers. 10.

10. AD VOS ERGO REGES SUNT HI SERMONES MEI, UT DISCATIS SAPIENTIAM, ET NON EXCIDATIS, — id est, ne cadatis in peccatum, indeque in iram et vindictam Dei, ne delinquatis, ne offendatis, ne excidatis statu justitiæ, indeque regno et vita: hoc enim est græcum, *μη παραπίπτειτε*, unde *παραπτώμα* est *delictum*, *offensa*, *peccatum*. Rursum reges compellat, ut eos acrius exstimulet ad monita hæc sapientiæ de modestia et justitia capessenda: raris enim hæc de re habent monitores, ac ob potentiam magnas habent ad fastum et injuriam illecebras et impulsus. Unde pro *reges*, græce est *τύραννοι*, id est *tyranni*; Lucifer pro S. Athanasio legit, *o mali tyranni!* S. Augustinus in *Specul. mali reges*: tyrannus enim olim vocabatur rex,

princeps, dominus, omnem habens in subditos potestatem; unde illud:

Ad generum Cereris (*ad Plutonem*) sine cæde et sanguine pauci

Descendant reges, et sicca morte tyranni.

Multi enim reges fuere occisi. Sic Aristophanes Jovem vocat *deorum tyrannum*, id est regem; ille enim est late *tyrannus*, id est late regnans et dominans. Reges ergo vocabantur *tyranni* ob similitudinem. « Fortes enim reges tyranni vocabantur: nam tiro *fortis*, » ait Isidorus, lib. IX *Etym.* cap. IX. Hinc Athenæus, lib. XIII: « O amor, inquit, tyrannæ (id est rex et imperator) deorum et hominum; » nihil enim fortius est amore. Stephanus vero, lib. *De Urbibus* in voce *τυρηνία*, tyrannum dictum putat a *Tyrrhenia*, quæ olim fuit urbs et provincia juxta Hadriam, cujus cives vocabantur *Tyrrheni*, unde tyranni. Porro Tyrrhenia nunc vocatur *Hetruria*, et Tyrrheni sunt *Hetrusci* sive *Tusci*, quorum caput est *Florentia*, uti fuse demonstrat *Philippus Cluverius* in *Descript. Italiæ*, lib. II, cap. I. *Hetruscorum* enim colonia fuit *Hadria* urbs, juxta *Venetias*, a qua vicinum mare dictum est *Hadriaticum*. Olim enim *Tusci* fuere potentes, et ditiosis suæ fines extenderunt a mari *Infero* sive *Hetrusco*, usque ad mare *Superum* sive *Hadriaticum*, teste *Livio*, lib. V. *Verisimilius* alii censent vocem *tyrannus* derivari ab *Hebræis* et *Palæstinis*: *Hebræi* enim vocant principes *סרנים sarim*, *Philistini* vero *סרנים seranim*. Unde quinque satrapæ *Philistiim*, puta satrapæ *Gazæ*, *Azoti*, *Ascaloni*, *Geth* et *Accaron*, passim in *Hebræo* vocantur *seranim*; *seranim* ergo est vox *phœnicia*, vel potius *philisthæa*: pro qua *Chaldæi*, qui de more *samech* *Hebræorum* et *Syrorum* mutant in *tet* vel *tau*, dicunt *טורנים turanim*, ut patet *Jos. XIII*, 3; unde *tyranni*. Rursum *seranim* *hebraice* et *syriace* significat *axes* in rotis, quibus rotæ fulciuntur et volvuntur, ut patet *III Reg. VII*, 30; hinc principes vocantur *seranim*, quod sint velut axes in rotis, id est *fulcra* *populi*, et *cardines* *rerum agendarum*, sicut græce *ἑσπεδός* dicitur quasi *ἑστὸς λαῶν*, id est *basis populi*; et *hebraice* *אדון adon*, id est *dominus*, quasi *אדן eden*, id est *fulcrum*, *sustentaculum*, eo quod dominus sit *columen* et *sustentator* *familie* vel *reipublicæ* cui præest. Verum crescente fastu, cum superbi reges sua potestate abuti cœperunt, tyranni nomen ad illos solum restrictum est, qui per insolentiam imperii viribus abutebantur, ac posthabita ratione et æquitatis moderatione, vi et quadam animi libidine dominabantur: libido ergo et crudelitas fecit ut nomen tyranni male audierit. Quocirca reges hic serio monet Sapientis, ne in tyrannos degenerent; sed sapienter, id est modeste et juste, subditos regant et rempublicam administrent: sic enim latissime, quietissime et diutissime regnatos, uti fecere *Romani*, de quibus *Poeta* cecinit:

Romanæ spatium est urbis et orbis idem.

Tyranni.
etymon

A Palæ-
stinis.

Mystice
religiosi
reges.

Mystice reges sunt, qui suis affectibus imperant, et mundi vanitates calcant, quales sunt religiosi. Hi ergo ex instituto et professione sua toti vacent sapientiæ, id est contemplationi, virtuti et perfectioni: cætera enim sunt nugæ et vanitas vanitatum.

Mæcena-
tis regen-
di præ-
cepta.

UT DISCATIS SAPIENTIAM. — *Sapientia* hic prudentiam et virtutem omnem ethicam, ac politicam, præsertim, scilicet scientiam recte regendi, complectitur: hæc enim regi et principi est propria et necessaria. Idem suasit Mæcenas Augusto Cæsari, cujus sapientem orationem recitat Dio, lib. LII, ubi inter alia ait: « Vives velut in quodam orbis terrarum theatro, nec fieri poterit ut vel minimum peccatum tuum lateat: nihil enim sine arbitris, sed semper in magna hominum multitudine ages, et perscrutari acta principum omnes homines lubentissime solent, qui si semel compererint te alia aliis præcipere, alia ipsum agere, non jam minas tuas metuent, sed facta imitabuntur. » Unde pluribus interjectis infert: « Ideo splendorem tu tibi præclaris facinoribus para; statuas tibi, neque aureas, neque argenteas fieri unquam sine, nam non modo magnis sumptibus eæ constant, sed insidiis etiam opportuna, ac parum diuturnæ sunt; benefaciendo autem alias tibi statuas in ipsis hominum animis, nulli interitui obnoxias effice. Templum quoque nullum tibi patere ædificari, quippe in huiusmodi res incassum multæ pecuniæ insumuntur, quas necessariis rebus impendere præstat. Etenim divitiæ magnæ, non tam multa accipiendo, quam non multos sumptus faciendo colliguntur; et id genus res nullam gloriam adferunt. » Causam et rationem a priori subjicit: « Virtus enim multos quidem diis æquat, sed nemo tamen unquam mortalium suffragiis deus effectus est. Itaque tibi si bonus sis ac recte imperes, universa terra templum erit, pro delubris omnes urbes, omnes homines pro statuis, quorum in animis semper cum gloria insidebis: qui vero imperium summum male gerunt, eos ista ornamenta, quanquam in omnibus urbibus posita, tantum abest ut decorent, ut etiam reprehensionibus hominum exponant, quam sint trophæa quædam malitiæ eorum, ac injustitiæ monumenta; quæ quo diutius perduraverint, eo longius quoque infamia istorum permanet. Itaque si revera immortalis fieri cupis, ita, ut dixi, agendum tibi est. » Denique summam omnia unico sapientiæ monito concludens: « Unum, inquit, dicam quod caput est et summa omnium eorum quæ vel dicta sunt, vel dicenda restant. Si hæc tua sponte omnia egeris, quæ velles alium in te imperium habentem agere, nulla in re peccabis, omnia prospere conficies, vitamque exinde et suavissimam et tutissimam duces. Qui etiam non patris ac servatoris loco te omnes et suscipiant et diligant, quom viderint te modestum, vitæ integræ, bello ac pace præstantem? »

Hæc facit disceptatio septem Græciæ sapientum de gloria principis, qua in re illa consistat: plerique enim eorum asseruere illam consistere in humilitate et modestia. Audi Plutarchum eorum sententias recitantem in *Convivio septem sapientum*: « Cæterum Solon paululum moratus: Mihi, ait, videtur hac ratione maxime gloriam consecutus, sive rex, sive tyrannus, si unius imperium in popularem reipublicæ statum civibus convertat. Subjecit Bias: Si primus pareat legibus patriæ. Post hos Thales pronuntiavit eum sibi principem videri beatum, qui naturæ ordine senex moriatur. Quartus Anacharsis: Si solus sit prudens. Quintus Cleobulus: Si familiarium nemini fidat. Sextus Pittacus: Si subditos princeps ita condocerit, ut non ipsum, sed ipsius causa metuant. Ultimus Chilo: Principem nihil meditari debere mortale, sed omnia immortalia. »

QUI ENIM CUSTODIERINT JUSTA (S. Augustinus in *Specul.* legit, *justitiam*) JUSTE, JUSTIFICABUNTUR (ita Romana et Græca: male ergo quidam legunt, *judicabuntur*), ET QUI DIDICERINT ISTA (ita Romana et Græca, male ergo nonnulli pro *ista* legunt, *iusta*; licet idem sit sensus) INVENIENT QUID RESPONDEANT, — *q. d.* Vos, o reges et principes, audite hæc mea de sapientia, id est de justitia, puta de virtute et sanctitate, monita, quia qui ea custodierit juste et sancte, hic in tribunali Christi, ubi, ut præcessit, durissimum iudicium his qui præsumunt fiet, et fortioribus fortior rigidiorque instabit examinatio et cruciatio, *justificabitur*, id est justus et sanctus a Christo pronuntiabitur, ac gloria æterna præmiabitur, « et qui didicerint ista, » jam dicta, « invenient quid » iudici, ipsos de vita et regimine reipublicæ examinanti, « respondeant, » græce, *invenient apologiam*, qua se contra omnes objectiones, hac hominum dæmonumque criminationes tueantur et defendant: *invenire* enim est consilii, *reperire* fortunæ, ait Valla. Unde græce est, *οὗτοι φύλακται τῆς πόλεως τῆς θεοῦ δικαιοσύνης*, id est, *qui custodiunt sancte sancta, sanctificabuntur*, id est per exercitium operum sanctorum fient sancti, et sanctiores, ac in die iudicii sancti a Christo coram toto mundo declarabuntur, laudabuntur et coronabuntur; unde Vatablus vertit, *qui sanctitates sancte coluerint, ii sancti censebuntur*.

Nota non sufficere ad sanctitatem, ut quis faciat opus justum et sanctum, sed requiri insuper ut id juste et sancte fiat, v. g. Non sufficit dare eleemosynam, sed oportet ut illa fiat ex proprio, non ex raptu, vel alieno; item ut fiat recta intentione, non prava, qualis est, cum illam das ut pauperem pertrahas ad hæresin vel luxuriam, sic enim eleemosyna contaminatur, fitque actus imperatus ab hæresi, vel luxuria. Nam, ut ait S. Dionysius, bonum constat ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus. Unde si operi bono aliqua desit conditio requisita, jam

Græca
septem
sapien-
tium de
optimo
regimi-
ne.

Virtus
et sancti-
tas iusto-
rum eor-
um,
eorum
apologia
in die
iudicii.

Sancti
opus
sancti
fieri de-
bet, cur?

non bonum est, sed mancum et defectuosum, uti docent S. Thomas et scholastici, imo Aristoteles in *Ethicis*: « Justum, inquit, juste fieri debet. » S. Cyprianus (vel quisquis est auctor, certe priscus est et gravis) *De Singul. Cleric.*: « Sanctum, ait, non est, quod geritur sanctum, nisi sancte peragatur, sicut Salomon asserit dicens (*Sapient. vi, 11*): *Qui enim custodierint juste justa, justificabuntur.* Sinceriter ergo sinceritas ipsa servanda est, et omne quod voti est, etiam in actu signandum est, ne aliud vota commendent, et aliud actus insinuent. » Probat ex illo Pauli, II *Timoth. II, 5*: « Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit. » Idem significatur *Cant. v, 14*: « Manus ejus (sponsa, puta Christi) tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. » In quæ verba commentans Guilielmus cognomento Parvus, sed sensu et sapientia magnus, qui floruit anno Domini 1200: « Manus, inquit, sponsi sunt, qui piis actionibus insistunt. In manibus autem sponsi tria notantur; primo, debent esse *tornatiles*, id est recte et probe concinnatæ sine tortuositate, asperitate aut angulis, id est non tantum pie, sed juste ac pure agentes: ita enim circa indigentiam necessitates revelandas desudant, ne, dum illis prospiciunt, per vim aut dolum aliis noceant: si alios defraudant, ut aliis consulatur; si fenerantur vel furantur, quod in usus pauperum expendant, tortæ et angulosæ manus sunt. Propterea secundo, debent esse *aureæ*, hoc est, apud Dominum in cunctis actionibus auro charitatis præfulgidæ. Tertio, debent esse *plenæ hyacinthis*, hoc est decenti, et quasi gemmea quadam actionis specie, etiam foris coloratæ: duo enim sunt, quæ maxime actionem commendant, animus agentis, et exterior species actionis. Bona intentio commendat opus apud Deum, honesta operis superficies commendat illud apud homines: quando nihil a pietate charitatis alienum in radice intentionis, et nihil indecens in superficie actionis, tunc manus est, non tantum aurea, sed plena hyacinthis, » etc.

Justorum excusatio, quænam in die judicii?

INVENIENT QUID RESPONDEANT. — « Contemplabor, ait Habacuc, cap. II, vers. 1, ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. » Qui ergo sapit, sic opera singula faciat, tam sancte et perfecte, ut possit eorum rationem reddere Christo in die judicii, ne ipse quid in iis carpere possit: « Quia, quod dici sine gemitu non potest, in illa distinctione ultimæ increpationis omne argumentum cessat excusationis; quippe quia ille foris increpat, qui testis conscientie intus animum accusat, » ait S. Gregorius, homil. 38 in *Evang.* Unde tunc impii obmutescentes non habebunt excusationem, qua se defendant, et sua scelera extenuent.

Vers. 12. 12. CONCEPISCITE ERGO SERMOES MEOS, DILIGITE (græce *ἐπιζητεῖτε*, id est *optate et desiderate*) ILLOS, ET HABEBITIS DISCIPLINAM. — Græce, *παιδαγωγία*, id est *eruditioni*, fictis eruditi, acquiretis *παιδείαν*,

id est *disciplinam*, hoc est morum castigationem et compositionem, sicut pueri per increpationes, verbera et flagella discunt mores suos ad honestatem, tum internam, tum externam componere: caro enim et concupiscentia nostra est cæca et cupida, instar pueri; unde flagellis castiganda et ad virtutem conformanda est. Hinc flagellum et flagellatio vocatur *disciplina*, de qua prudenter dixit Petrus Blesensis (qui coævus S. Bernardi floruit anno Domini 1160, teste Trithemio) *serm. 6*: « Duo sunt, quæ hominem mirabiliter a peccato præservant, frequens confessio, et frequentior disciplina; » idemque crebro alibi inculcat, ut *epist. 16, 27, 46, 57, etc.*: sicut enim caro sine sale putrescit, sic corpus sine mortificatione corumpitur et ad vitia diffuit, uti alibi pluribus ostendi. Sapienter S. Chrysostomus, homil. 34 ad *Popul.*: « Pœnitentiæ pharmacum, inquit, maximum est nostrorum vulnerum remedium, sic animarum ulcera curans et abolens, ut neque cicatrix, neque veruca apparitura sit, quod in corporis vulneribus non est possibile. »

Porro disciplina, tam exterius corpori, quam interiori menti ad castigandos ejus inordinatos affectus, assidue adhibenda est. Unde Richardus de S. Victore in *Cant. cap. II*: « Ille, ait, perfectæ virtutis est, qui virtute spiritus, et voluptates carnis, et voluntatem cordis potenter comprimit: nam, ut idem ait lib. *De Præpar. ad contempt.* cap. XXXII: « Disciplina corporis absque disciplina cordis inutilis est. » Vide Cassianum, lib. V *De Instit. renunt.* cap. XXI et XXII. Sicut ergo studium est via et methodus ad scientiam, sic disciplina et morum affectumque juxta legem Dei castigatio et reformatio est via et methodus ad sapientiam divinam. Causam dat S. Bernardus, *serm. 58 in Cant.*: « Quis enim ita ad unguem, inquit, omnia a se superflua resecauit, ut nihil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccendantur extincta, et sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse; sæpe putandum est, imo (si fieri possit) semper, quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, invenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, et non magis suppressa. Velis nolis, intra fines tuos habitat Jesusæus: subjurgari potest, sed non exterminari. » Et infra: « Scrutemur, inquit, juxta Prophetam vias nostras et studia nostra, et in eo se quisque judicet profecisse, non cum non invenerit quod reprehendat, sed cum quod invenerit reprehendet. Tunc te non frustra scrutatus es, si rursus opus esse scrutatio advertisti. » Hinc S. Cyprianus, *serm. De Jejunio*: « Quotquot, inquit, viros virtutum vidimus, sine jejunio non legimus ascendisse; nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset. Quoties aliquid a Deo obtinere conati sunt, jejunio incubuere et lacrymis, et pernoctantes in orationibus, ciliciis carni

Moraliter, de mortificatione.

hærentibus, supplices beneficia postularunt. » Pinufius abbas apud Cassianum, lib. IV *De Instit. renunt.* cap. xxxiv et xxxv, hanc perfectam christiani, imo religiosi, ideam proponit : « Mortificatas et crucifixas cum Christo habere concupiscentias et affectus carnales universos. Sicut ergo crucifixus quis, jam non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi habet potestatem, ita et nos voluntates nostras ac desideria non secundum id quod nobis suave est ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicari debemus. » Mortificatione magis indigent, qui in assiduis deliciis, libertate, dominio versantur, quales sunt reges, principes, prælati, divites et opulenti. Theodoretus in *Philoteo*, cap. xviii, narrat Thallæum per decem annos rotæ se inclusisse, ut se erigere non posset, sed semper sederet incurvatus faciem habens genibus affixam. Cumque ab eo precunctaretur Theodoretus cur se adeo affligeret, respondit : « Mortificatio carnis est fuga pœnæ infernalis. » Crebra ergo cogitatio instantis mortis metusque gehennæ docent veram mortificationem et disciplinam, quæ fuit communis vox SS. anachoretarum.

Vers. 13. 13. CLARA (Vatablus, *præclara*) EST, ET QUÆ NUNQUAM MARCESCIT SAPIENTIA, ET FACILE VIDETUR AB HIS QUI DILIGUNT EAM, ET INVENIUNTUR AB HIS QUI QUÆRUNT ILLAM. — Græce, λαμπρὰ καὶ ἀμάρταντος ἔστιν ἡ σοφία, id est, *splendida et immarcescibilis est sapientia*, puta ipsa prudentia, virtus et sanctitas, tum quia ipsa in se est qualitas nobilissima, et instar amaranthi incorruptibilis et æterna; tum quia sui studiosos nobilitat, claros facit et æternos. Comparat sapientiam amarantho flori vel spiceæ, de quo ita scribit Plinius, lib. XXI, cap. viii : « Amarantho non dubie vincimur; est autem spica purpurea verius, quam flos aliquis, et ipse sine odore, mirumque in eo gaudere decerpi, et lætius renasci. Provenit augusto mense : durat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus asservatur. Mirumque postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reviviscit, et hibernas coronas facit. Summa ejus natura in nomine est appellato, quoniam non marcescat. »

Talis prorsus est sapientia, quæ nunquam marcescit, sed semper reviviscit, estque purpurea, id est ignea : purpura enim et colore et nomine est πῦρ πῦρ, id est *ignis ignis*. Huic affine est illud *Psalm. xi, 7* : « Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ; purgatum septuplum : » sapientia enim est ipsa lex, sive eloquia et dicta Dei, quæ excipit, amat et opere exsequitur ipsa virtus. Et *Psalm. xviii, 8* : « Lex Domini immaculata convertens animas : testimonium (id est ipsa lex, quæ testatur quid Deus a nobis fieri velit) Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda : præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini sanctus, perma-

nens in sæculum sæculi. » Hinc sapientia « facile videtur ab his qui diligunt eam : » ipsa enim, velut fax in pharo, omnes in hoc sæculo navigantes illuminat, iisque viam ad portum salutis præluceat; qui ergo eam diligit, luci illius aperiat oculos, et eam conspiciat; nam, ut ait S. Augustinus, lib. *De Moribus Ecclesiæ*, cap. i : « Scientiam veritatis neque omnes a quibus quæritur, docere possunt; neque omnes qui quærent, discere digni sunt. Et diligentia igitur et pietas adhibenda est : altero fit, ut scientes inveniamus; altero, ut scire mereamur. » Philosophia ergo est *via ad sophiam*, hoc est, amor sapientiæ est via ad sapientiam : amor enim vires mentis exacuit, et omnes difficultates superat.

Commendat sapientiam a tribus : primo, a necessitate; secundo, a pulchritudine, splendore et excellentia, æque ac facilitate et comitate; tertio, ab utilitate. A *necessitate* commendavit lillam ab initio capitis huc usque, quod sine sapientia reges subituri sint terribile Dei iudicium et tormenta; a *pulchritudine* hic eam commendat, æque ac a facilitate eam assequendi; ab *utilitate* eam commendabit vers. 19 et seq. Hic ergo eam laudat a *specie et benignitate singulari*, qua prior sese offert sui cupidis, eosque ad se sui que studium allicit et invitat : cujus contrarium faciunt speciosæ feminæ, quæ sua forma superbiunt et quæri volunt, non quærere, juxta illud :

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.

Sic et scientia sæcularis inflat.

14. PRÆOCCUPAT QUI SE CONCUSPISCUNT, UT ILLIS SE PRIOR OSTENDAT; — Vatablus, *ultra se cupidus offert cognoscendam*; Pagninus, *præoccupat cupientes, ut prænoscat*; Clemens Alexandrinus, IX *Strom. prævenit eos qui cupiunt, ut prænoscant* : sic de Sapientia ait Ecclesiasticus, cap. xv, vers. 1 et seqq., quod quærentibus justitiam « obviabit quasi mater honorificata, et quasi mulier a virginitate suscipiet illum : » vide ibi dicta. Duplīciter hæc gnome accipi potest, primo, ut *ut* referatur ad *præoccupat*, et *ut* qui concupiscunt accipiatur materialiter, q. d. Sapientia, puta Deus Deique gratia prævenit eos qui se concupiscunt, ita ut illis se prior ostendat, in iisque sui concupiscentiam et desiderium excitet : in hoc enim consistunt præventio gratiæ et præoccupatio Dei, quod ipse omne nostrum desiderium præveniat, imo illud suscitet, uti docet Concilium Tridentinum, sess. VI; item Arausicanum et Milevitanum, et S. Augustinus passim contra pelagianos : pelagianorum enim error erat, initium virtutis et salutis non esse a Deo, sed ex nobis; hominem enim per liberum arbitrium se disponere ad gratiam, eamque a Deo postulare, itaque impetrare : quod plane falsum et erroneum est, Deus enim et Christus est quasi sol, qui sua luce et gratia omnes prævenit, nec ab ullo præveniri potest. Secundo, ut *ut* qui concupiscunt accipiatur in sensu

A tribus commendabilis sapientia.

Vers. 14.

Duplex acceptio τῷ concupiscunt, prima.

Secunda.

Sapientia est amaranthus.

formali, ac *ut* referatur ad *qui se concupiscunt*, q. d. Sapientia præoccupat eos qui eam concupiscunt, et petunt ut illa se præoccupet, et prior se illis ostendat : præoccupet, inquam, ad ipsam sapientiam confuse jam cognitam, particulatim et distincte cognoscendam : ignoti enim nulla cupido, quare prius est hominem in confuso cognoscere et concupiscere sapientiam, quam ab illa particulatim præoccupari et edoceri; sed illud ipsum confuse cognoscere et concupiscere sapientiam, manat ab alia priore præoccupatione sapientiam, scilicet prima et generali. Primo enim Deus in anima excitat generalem et confusam cognitionem et concupiscentiam sapientiam, virtutis et salutis, ut anima illam postulet a Deo. Cum ergo anima illam postulat, Deus illam ei particulatim, sed sensim et per gradus infundit : primo enim per fidem illam illuminat; secundo, spem salutis ingerit; tertio, dolorem peccatorum immittit; quarto, actum amoris et contritionis excitat : quæ est ultima et proxima dispositio ad gratiam et iustitiam, uti docet Concilium Tridentinum, *sess.* VI. Sic Ecclesia, et fidelis quisque ac justus, assidue orat ut nova Dei gratia præveniatur ad nova et heroica sapientiam, id est virtutum, opera edenda; sed hæc ejus oratio manat ab alia priore gratia præveniente, quæ eum ad orandum excitavit : hæc enim est oratio Ecclesiam in Dominica XVI post Pentecosten. « Tua nos, quæsumus, Domine, gratia semper et præveniat et sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos. » Uterque sensus verus est, uterque congruus, uterque demonstrat in signem humanitatem, benevolentiam, liberalitatem, sollicitudinem et philanthropiam Dei nostri, quia ipse suo amore, vocatione et gratia nos indignos, imo peccatores et hostes suos prævenit, ut suos amicos, imo filios et hæredes efficiat. Utrobique ergo Deus nos præoccupat; utrobique sapientiam, id est Dei illuminatio et gratia, nos prævenit; utrobique primas in studio sapientiam occupat et anticipat: nam et primitus animam sese confuse cognoscendam offert, sui que generalem cupidinem excitat; deinde ab ea confuse cognita et concupita, in ea specialem, eamque ardentioris sui concupiscentiam suscitatur, idque in dies magis et magis, ut ejus munere gliscat animo exorta cupido, donec illa sui fiat cupidissima, totaque ejus amore inflammetur. Hinc Christus *Joan.* IV, 14, sic de sapientia loquitur Samaritanæ sub aquæ nomine : « Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam; » et *Joan.* VII, 38, clamans in templo : « Si quis sitit, ait, veniat ad me : et qui biberit de aqua, quam ego dederò ei, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; » et *Apocal.* III, 20 : « Ego sto ad ostium et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, introibo ad illum, et cenabo cum illo, et ipse mecum. » Et S. Augustinus, lib. XI *Confess.* cap. II : « Per Christum, ait, quæsisisti nos, non

quærentes te; quæsisisti autem ut quæremus te. »

Mystice, Beata Virgo, velut æternæ Sapientiam mater, præoccupare dicitur eos qui se desiderant, et obviare illis qui se inquirunt : quia nemo tanta celeritate ad implorandam Virginem currit, quin ipsa Virgo ad imploratorem suum audiendum velocior præcurrat; unde, *Cant.* IV, 5, hinnulis comparatur, quia ut hi, interprete Richardo Victorino, veloces sunt ad currendum; ita B. Virgo ad succurrendum. Imo et a D. Epiphano, serm. *De ejus laudibus*, currus cherubicus appellatur, quia ut hic decem millibus multiplex citatissimus volat, ita et illa innumeris misericordiam alis elata festinat, ut patrocinetur : nec mirum, cum matris, non judicis munere fungatur. Quo nomine velocior aliquando ad auxilium ferendum Virgo mater, quam ejus filius Christus Dominus videtur, ut D. Anselmus, lib. *De Excellentia Virginis*, cap. VII, asserit : « Velocior est, inquit, nonnunquam salus memorato nomine ejus (id est Mariæ), quam invocato nomine Domini Jesu; » et rationem reddit, « quia ad Christum, tanquam ad judicem pertinet etiam punire : ad Virginem, tanquam ad patronam, non nisi misereri. »

Mystice,
B. Virgo
velox ad
succurrendum.

Moraliter discite hic, christiane, imitari æternam Sapientiam, puta Christum ejusque matrem, ut tam inimicos, quam amicos amore et honore prævenias, juxta illud Apostoli, *Rom.* XII, 10 : « Honore invicem prævenientes : » hoc enim exigit perfecta charitas et beneficentia. Si ergo vis amari, ama, magnes enim amoris est amor; hinc Christus prius homines prævenit, factus homo, ut eos ad se redamandum cogeret. Huc facit illud Luciani :

Moraliter, tam
inimici
quam amicos
amore et
honore
præveniendi.

Gratia quæ tarda est, ingrata est gratia : namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Audi Senecam, lib. II *De Benef.* cap. I : « Gratiissima sunt beneficia parata, facilia et occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Optimum est antecedere desiderium cujusque; proximum sequi; illud melius, occupare antequam rogemur : quia cum homini probo ad rogandum os concurrat (alii aptius legunt, *corruat*), et suffundatur rubor; qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui, cum rogasset, accepit. Quoniam quidem, ut majoribus nostris, gravissimis viris, visum est, nulla res carius constat, quam quæ precibus emptæ est; » et inferius : « Ideo divinanda cujusque voluntas, et cum intellecta est, necessitate gravissima rogandi liberanda est. Illud beneficium jucundum victurumque in animo scias, quod obviam venit. Si non contingit prævenire, plura rogantis verba intercidamus, ne rogati videamur; sed certiores facti statim promittamus, facturosque nos, etiam antequam interpellaremur, ipsa festinatione approbemus. »

15. QUI DE LUCE VIGILAVERIT AD ILLAM, NON LABO- Vers. 15.

RABIT : ASSIDENTEM ENIM ILLAM FORIBUS SUIS INVENIET. — *q. d.* Qui manicaverit, qui mane primo diluculo illam quæsierit orando, invocando, meditando, studendo, non laborabit, ut eam inveniat, quia ipsa mane ad se vigilanti assistit et assidet. Notat matutinum tempus, velut primum et aptissimum, dandum esse sapientiæ, id est orationi, studio et rebus divinis, juxta illud *Psalm. LXII, 2* : « Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo ; » et *Prov. VIII, 34* : « Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei : » vide ibi dicta. Sed vigilantissimos quosque superat et prævertit vigilantia sapientiæ : sic S. Magdalena ante auro-ram ivit ad sepulcrum Christi, ut eum quæreret, ideoque prima et ante apostolos eum resurgentem videre meruit.

Pro *assidentem* græce est *παρὰ πρόσωπον*, quo nomine philosophi vocabant suos deos et genios familiares : sicut Socrates genium habuit *paredrum*, id est assessorem, sic hæresiarchæ habuerunt dæmones *paredros*. Tales quoque habent magi in annulis ; at justorum *paredrus* est Deus, Deique sapientia et gratia, qua de re rursus dicitur cap. IX, vers. 4.

Galba somnium de fortuna. Narrat Suetonius in *Galba*, cap. XIV et XVIII, illi hoc omen, tam adepti, quam adempti imperii fuisse datum : « Somniavit, ait, Fortunam dicentem stare se ante fores defessam, et nisi ocyus reciperetur, cuicumque obvio prædæ futuram. Evigilans aperto atrio simulacrum æneum deæ, cubitali majus, juxta limen invenit, et in larario collocatum coluit. Longe post monile pretiosissimum Fortunæ destinatum, Veneri Capitolinæ imposuit. Proxima nocte somniavit speciem Fortunæ, querentis fraudatam se dono destinato, minantisque erepturam et ipsam, quæ dedisset ; » ac paulo post imperio et vita privatus est. Vera sapientia, et fortuna fortunans est Deus, a quo omnis nostra salus et beatitudo proficiscitur : illum ergo se nobis offerentem cupide excipiamus, exceptum constanter teneamus et colamus, ut ille sua bona et dona in nobis conservet, adaugeat et perpetuet in æternum.

Ve s. 16. 16. COGITARE ERGO DE ILLA, SENSUS EST CONSUMMATUS : ET QUI VIGILAVERIT PROPTER ILLAM, CITO SECURUS ERIT. — Pro *cogitare* græce est *ἐπινοῶν* in aoristo, id est *cogitasse*, in animo versasse et volutasse, intellexisse et menti impressisse, ut scilicet illa menti jugiter obversetur, ac de ea assidue cogites, unde Noster apte vertit *cogitare* in præsentem. Adde sæpe præteritum sumi pro præsentem, præsertim apud Hebræos, qui carent præsentem. Pro *sensus consummatus*, græce est *ἐπεκρίνω* ; *τελευτῶν*, id est *sapientiæ perfectio* est, vel *prudentiæ et intelligentiæ consummatio* est, vel *prudentiæ perfecta* est, quare perperam Holcot per *sensus*, corporis sensus hic accipit, *q. d.* Sapientia corrigat et perficit viiia et defectus sensuum corporeorum, puta visus, auditus, gustus, etc.

Sensus ergo *primo* esse potest, *q. d.* Qui assidue sensum, id est sapientiam et prudentiam, ejusque dogmata et dictamina mente versat, ut ea semper ob oculos habeat et juxta ea actiones suas instituat et dirigat, hic perfecte sapiens et prudens est ; « et qui vigilaverit propter illam, » ut sapientiam ejusque præcepta cognoscat mentique imprimat, hic « cito securus erit ; » græce *ἀπέκνωσεν ἑώρα*, id est *sine cura* (securus enim idem est quod *semotus a cura*) sine sollicitudine erit, indeque hilaris et lætus. Nam « *secura mens quasi juge convivium* : » quia talis sapienter, juxta dictamen sapientiæ vitam instituet ; unde securus erit, tum a peccato et lapsu, tum a periculis, quæ actiones difficiles comitari et subsequi solent ; hæc enim sapientia prævidet et providet ; unde ea vel fugit, vel abigit et propulsat, vel tolerat et fortiter superat. Securitatem ergo et tranquillitatem animo præstat sapientia, cum insipientia et imprudentia mille eis curas, angores, pericula, infelices actionum successus et damna afferat, ait Cantacuzenus. Posset, *secundo*, planius sic exponi, *q. d.* Perfecte prudens est, qui non de rebus mundi vanis, caducis, curiosis et futilibus, sed de vera sapientia, quæ eum ad virtutem et felicitatem perducit, cogitat et sollicitus est, quomodo scilicet illam adipisci queat. Porro securus erit, quod eam adipiscetur, qui ad eam mane *vigilaverit*, id est qui eam studiose quæsierit et vestigaverit ; inveniet enim eam sibi ultro occurrentem et assistentem, imo præoccupantem, uti paulo ante dixit : ita a Castro. Unde Vatablus vertit *nempe de illa cogitare ad sapientiæ perfectionem pertinet, et qui vigilaverit propter eam, cito securus fuerit.* » Hinc Cicero, teste S. Augustino, lib. I *Contra Academ.* cap. III, beatum asserit eum qui studet veritati indagandæ, etiamsi eam non assequatur. Multo magis beatus in spe dicendus est, qui in hac vita incipit studere sapientiæ et veritati, quæ Deus est, cognoscendæ, ut in celo eum perfecte videre mereatur, fiatque beatus in re. *Tertio*, Cantacuzenus sic exponit, *q. d.* Perfecta prudentia et intelligentia est cogitare de vera sapientia discenda et comparanda : sicut enim finis domus est tectum, hoc est, eam tegi contra cæli hominumque injurias ; urbis finis est civium salus ; medicinæ finis est sanitas : sic omnis scientiæ et intelligentiæ finis est vera sapientia, quæ hominem recte vivere docet et ad beatitudinem recta ducit. *Quarto*, noster Lorinus : Post acquirendæ facilitatem sapientiæ, inquit, felicitatem persequitur in ejus acquisitione ; hæc autem est duplex ; perfectio intellectus et mentis securitas ; sive tum erroris, tum mali exclusio, ita ut falsas evellat opiniones, inflammando mentes veritatis cognitione, ac demat sollicitudines, et curas inanes expellat.

Ex hisce quatuor sensibus secundus planior et accommodatior videtur, eumque exigit vox illativa ergo (licet in Græco sit *γάρ*, id est *enim*, sed

Quis perfecte sapiens et prudens?

Sapiens est securus, cur?

Sapientie inchoativa perfectio

est cogitare de illa. $\gamma\alpha$ subinde significat *certe, utique, nimirum, igitur*), quæ hanc gnomen cum præcedenti colligat, ex eaque educit et colligit, *q. d.* Sapientia adeo prompta et prona est ad se communicandum, ut præoccupet sui cupidos, seque prior illis ostendat. Ergo cogitare de illa est sensus consummatus, id est perfecta prudentia et sapientia: nam sapientia ex sua promptitudine ultro et illico de se cogitanti occurret, eumque plenam et perfectam sapientiam edocebit: quare qui vigilaverit ad eam, cito securus de sapientia adipiscenda, deque omni alia cura, et re feliciter conficienda evadet. Hunc esse sensum liquet ex causa, quam Sapiens subdit: « Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, etc., et in omni providentia occurrit illis. » Est metonymia, cogitatio enim et studium sapientiæ vocatur *sapientiæ perfectio*, non consummate, sed inchoative, quia ad eam est via, ad eamque sensim studiosum perducit: verba enim et nomina Hebræorum sæpe actum non perfectum, sed inchoatum significant, uti jam sæpius monui. Porro cogitatio sapientiæ inducit sapientiam, quia qui sæpe de aliqua re cogitat, illam deamat: sapientia autem amata ultro occurrit amanti, seseque illi communicat.

Mystice, consummatio sapientiæ et securitas mentis est, res divinas diligenter cogitare, meditari, concupiscere, amare; hanc autem sapientiam a Spiritu Sancto progenitam, hanc securitatem a bona conscientia manantem nemo habet, nisi qui charitate erga Deum et proximum pollet.

Vers. 17. 17. QUONIAM DIGNOS SE IPSA CIRCUIT QUÆRENS, ET IN VIIS OSTENDIT SE ILLIS HILARITER, ET IN OMNI PROVIDENTIA OCCURRIT ILLIS. — Dat causam, cur cogitare de sapientia sit sensus consummatus, et cur vigilans ad illam securus sit futurus, quia scilicet illa dignos se, id est, de se cogitantes, seque studiose vestigantes, circuit et quærit, ut ultro « in viis, » id est in omnibus vitæ actionibus, institutis, officiis, tum privatis, tum publicis, ac præsertim in gubernanda republica, hilariter se suaque omnia iis ostendat, et communicet; imo illis occurrit « in omni providentia, » græce $\epsilon\pi\upsilon\upsilon\epsilon\iota\alpha$, id est *consilio*, ingenio, solertia, consideratione, excogitatione, inventione, prudentia, *q. d.* *Primo*, sapientia mille modos et rationes solerter excogitat et adinvenit, quibus sui cupidus summa cura et providentia occurrat et succurrat. Deus (qui est ipsa sapientia), inquit Nazianzenus, amat amari, quærit quæri, sitit sitiri; hinc mille modos adinvenit, quibus animas ad se trahat et convertat. Unde Vatablus vertit, *summo studio occurrit illis*; Noster vertit, *providentia*, quia sapientiæ et prudentiæ potior pars est prospicere futura, eaque, si bona sint, accersere; si mala, avertere. Simili modo, sed contrario fine meretrix luxuriæ et voluptatis occurrit juveni incauto, illumque suis deliciis inescat, dementat, perdit et necat, uti describitur *Prov. vii*,

Sapientia idem quod prudentia vel providentia.

13 et sequent. Posset secundo $\epsilon\pi\upsilon\upsilon\epsilon\iota\alpha$ referri, non ad sapientiam, sed ad studiosum sapientiæ, huic enim in omni $\epsilon\pi\upsilon\upsilon\epsilon\iota\alpha$, id est *cogitatione* et deliberatione occurrit, seseque sistit sapientia, *q. d.* Quandocumque animus prudens aliquid prudenter et provide cogitat et meditatur, ibi statim occurrit sapientia, ipseque Deus: quare saluberrimum est de sapientia, deque Deo et rebus divinis cogitare et loqui, ibi enim illico inserit se Deus, sicut Christus inseruit se discipulis euntibus in Emmaus, cum de se loquerentur. Ita Cantacuzenus et Jansenius.

Hic sensus appositus quoque videtur, satisque respondet græco: $\epsilon\pi\epsilon\iota\sigma\tau\epsilon\iota\alpha$ in omni providentia, vel, ut nonnulli legunt, *providentia occurrit*, respondet $\tau\alpha$ in viis ostendit: prudentiæ enim et providentiæ humanæ munus est, ut homini prudenti vias, id est, actiones suas naturales, instituere volenti, seseque consulenti, suggerat in omnibus rationes et media opportuna, quibus idipsum efficiat. Prudentia vero et sapientia divina, multo magis id præstat in actionibus supernaturalibus et divinis. Omnes hæ metaphoriæ significant Deum suam sapientiam (puta sua præcepta et consilia, sua divina lumina) libentissime communicare his qui eam cupiunt, imo ad hoc gestire, ut ultronea voluntate, et benignissima liberalitate beneficia sua in cupidos profundat: quare par est ut homines simili voto respondeant et occurrant Deo, ut eam ab illo ardentem postulent et exquirant, uti sponsa quæsit sponsum dicens, *Cant. iii, 2*: « Surgam et circuibo civitatem, per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea: » ita Christum quæsit Magdalena, ideoque invenit magno suo bono et felicitate. Uterque sensus jam datus, congruus est et connexus: eadem enim est prudentia et providentia, quæ ab homine quæritur consuliturque, et quæ homini quærenti consulenti que occurrit, rationesque prudenter operandi in omnibus rebus, præsertim gravioribus et magis arduis, suggerit. Sapientiam matrem suam imitentur viri sapientes, ut zelum ejus induentes circumeant quærentes dignos et dispositos, quibus sapientiam suam communicent, illisque eam ostendant, non tarde, teïrice, morose, sed celeriter, hilariter, jucunde (« hilarem enim datorem diligit Deus, » II *Corinth. ix, 7*): atque in omni providentia illis occurrant et succurrant, uti fecit Christus Dominus, et S. Petrus, S. Paulus, cæterique apostoli et viri apostolici ac religiosi, qui animas ad Dei cognitionem et amorem traducere satagunt.

Symbolice, S. Gregorius, *XXVI Moral. cap. viii*, Vie sunt creaturæ, qui per vias accipit creaturas, quibus ascendimus ad creatorem. « In viis, inquit, ostendit se illis hilariter, et omni providentia occurrit illis: viæ quippe ad creatorem sunt opera considerata creatoris, quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. In istis viis a sapientia omnis nobis providentia occurritur, quia factoris nobis

Prudentia et providentia munus.

Vie sunt creaturæ, qui bus ascendimus ad Deum.

virtus inquirenda proponitur in omne, quod mirabiliter factum videtur; et quocumque se vertit anima, si vigilanter intendit, in iisdem ipsis Deum invenit, per quæ reliquit, ejusque potentiam ex eorum rursus consideratione cognoscit, quorum amore deseruit; et per quæ perversa cecidit, per hæc conversa revocatur. » Huic expositioni favet græcum *φανέρωται*, quod Noster vertit *ostendit*, scilicet quasi per visum et phantasma : per phantasmata enim rerum creatarum mens assurgit ad pure contemplandum earum creatorem, ibique quietem, hilaritatem et omne bonum invenit, ut dicat cum S. Francisco : « Deus meus et omnia. » Nam, ut sapienter ait S. Augustinus, lib. IV *Confes. x* : « Quaquaversum se vertit anima hominis, ad dolores figitur alibi præterquam in te. »

Vers. 18. 18. INITIUM ENIM ILLIUS VERISSIMA EST DISCIPLINÆ CONCUPISCENTIA. — Græce, ἀρχὴ γὰρ αὐτῆς ἡ ἀληθεστάτη παιδεία ἐπιθυμία, ubi τὸ ἀληθεστάτη tam referri potest ad ἀρχὴν, id est *initium*, hucque inclinatur articulus ἡ, quam ad ἐπιθυμία, id est *concupiscentia*. Ad ἀρχὴν referunt Cantacuzenus, Jansenius et Osorius, unde vertunt *initium enim illius verissimum est, disciplinæ concupiscentia*, q. d. Varia assignari solent initia sapientiæ, sed verissimum ejus initium est concupiscentia disciplinæ, sive, ut ait Osorius, verissimum sapientiæ fundamentum, illius cupiditate et inflammato desiderio continetur. Noster vero, Vatablus et alii τὸ ἀληθεστάτη referunt ad ἐπιθυμία, unde vertunt, *initium enim illius, verissima est disciplinæ concupiscentia* : probat enim id quod dixit, sapientiam occurrere, imo præoccupare eos qui se concupiscent, ex eo quod concupiscentia disciplinæ sit initium sapientiæ : disciplina enim est comes et soror sapientiæ.

Sensus ergo est, q. d. Dixi sapientiam occurrere non omnibus, sed sui cupidis, quia concupiscentia, siye desiderium disciplinæ (quæ parit sapientiam) non quale quale, sed verissimum, id est purissimum, ac plane remotum ab omni simulatione, fuco et cupiditate; item verissimum, id est integrum, quod totum sapientiæ incumbat, nec ad alia desideranda se distrahat (postulat enim totum hominem) est verum et proprium sapientiæ practicæ, salutiferæ et divinæ initium. Multi enim concupiscentiam ejus veram et sinceram, ideoque non habent initium sapientiæ. Porro disciplina, ut dixi vers. 12, est castigatio pravarum affectionum et cupiditatum : per hanc enim datur initium sapientiæ et virtuti, si nimirum disciplina concupiscatur verissime, id est, non ambitiose, non curiose, non torpide, non quæstuose, non partite; sed humiliter, candide, ferventer, pie et pure, totaliter et integre. Sicut enim desiderium sanitatis, scientiæ, artis est initium sanitatis, scientiæ et artis : sic philosophia est initium sapientiæ, id est, sic amor et desiderium sapientiæ,

sive virtutis, magnum est sapientiæ et virtutis principium, juxta illud :

Dimidium facti, qui bene cepit habet :

tum quia, qui vehementer aliquid desiderat, totus in illud incumbit, omnes vires explicat, omnes difficultates subit et superat; tum quia virtus consistit in voluntate, cujus actus est desiderium : quid enim est humilitas, nisi amor et desiderium se demittendi? quid est patientia, nisi amor patiendi? quid charitas, nisi desiderium amandi? Quare quantum, quamque ardens et efficax est in voluntate desiderium virtutis, tanta implicate in ea, tamque ardens et efficax est ipsa virtus; qui ergo in virtute quapiam crescere satagit, ejus desideria in se ardentia et efficacia crebro excitet : sic mirifice in ea proficiet. Tantus igitur in virtute es, quantus in ea efficaciter esse vis : hoc desiderium sapientiæ habebat S. Augustinus, lib. XI *Confess. cap. II* : « Sint, inquit, castæ deliciae meæ Scripturæ tuæ, nec fallar in eis, nec fallam in eis. » Hinc et justificationis initium, et ad illam dispositio est, ut peccator gratia Dei præventus justitiam concupiscat, illamque a Deo postulet, utque Christum velut justitiæ fontem diligere incipiat, ait Concilium Tridentinum, *sess. VI*.

Objicies : « Initium sapientiæ est timor Domini, » *Psal. cx, 10*; quomodo ergo hic dicitur, quod initium sapientiæ sit disciplinæ concupiscentia, respondetur : Timor Domini est disciplinæ concupiscentia, quia timor hic est amor Dei, qui secum affert concupiscentiam et amorem disciplinæ. Vide dicta *Eccli. I, 16*.

Moraliter, hic discite initium et vitam ad sapientiam, id est virtutem et perfectionem, esse ingens ejus desiderium : audi nostrum Alvarez de Paz, *De Perfect. in Proëm.* : Sicut summa humani cordis perversitas a desiderio mali sumit exordium, quo desiderio animus excitatus et victus malum semel patrat, et ex uno peccato in aliud ruit, quousque ad consuetudinem veniat, et ex consuetudine in cordis duritiem, ac in extremam miseriam cadat : ita ejusdem cordis summa perfectio a desiderio boni incipiat necesse est, quod desiderium vires accumulans, et mentem hominis sæpe sollicitans in opus prodeat, et ex bonorum operum iteratione virtutis consuetudinem pariat, et ex bona consuetudine in amorem boni propter seipsum, atque adeo in ipsam perfectionem ascendat. Hoc desiderium est janua, per quam humana mens in sanctuarium, sive in ipsam sanctitatem, ingreditur : est ventus, quo navigium cordis impulsus, a seipso et a rebus terrenis discedit, et felici cursu in puritatem enavigat : est primus gradus, quo quis a malo deciscit, et sensim paulatimque progrediens, tandem in perfectæ virtutis possessione collocatur.

19. CURA ERGO DISCIPLINÆ, DILECTIO : EST ET DILECTIO, CUSTODIA LEGUM ILLIUS EST : CUSTODITIO AU-

Initium virtutis est ejus desiderium.

Vers. 19.

TEM LEGUM, CONSUMMATIO INCORRUPTIONIS EST. — Ex eo quod dixit sapientiam occurrere iis qui se cupiunt, commendat cupiditatem sapientiae, et in ejus laudes excurrit, atque per gradationem et soritem, id est, acervalem syllogismum, ejus doctes et fructus eximios enumerat. Pro ergo graece est $\delta\iota$, id est *autem, vero*, ut gradatio incipiat vers. praeced. q. d. Initium sapientiae est disciplinae concupiscentia; concupiscentia autem disciplinae, ejusdem parit curam et sollicitudinem; cura parit dilectionem, dilectio custodiam legum, haec incorruptionem, quae facit proximum esse Deo per regnum aeternum quod disciplinae, sive sapientiae, cupido affert. Aut, ut noster a Castro, q. d. Verissimum initium sapientiae est ejus cupiditas; cupiditas curam auget, cura amorem, amor ad observantiam legis animam accendit; porro observantia divinae legis certum reddit hominem de futura incorruptione; incorruptio vero ad Deo fruendum perducit: cupiditas ergo sapientiae deducit ad Dei regnum.

Cura
discipli-
nae ini-
tium sa-
pientiae
et fel-
icitatis.

Verum, quia non dicit Sapiens: «Concupiscentia disciplinae est cura disciplinae,» sicut dicit: «Cura disciplinae dilectio est, et dilectio custodia legum illius est,» etc., hinc Noster aptius censuit hic inchoandam esse gradationem, atque concupiscentiam disciplinae esse eandem cum cura disciplinae: qui enim aliquid concupiscit, curat et sollicitus est, ut idipsum assequatur. Unde pro $\delta\iota$, id est *vero*, vertit ergo, quae saepe est particula non illativa, sed sermonis inchoativa, idemque valet quod *itaque*. Idem valet subinde graecum $\delta\iota$ et latinum *vero*, ut scilicet sit particula non adversativa, sed expletiva vel ornativa; unde Terentius in *Eunucho*:

Id vero, inquit, quod ego puto mihi palmarium
Me reperisse:

ubi Donatus: Nisi, inquit, ornativum esset *vero*, nihil significaret. Sensus ergo est, q. d. *Initium sapientiae*, et consequenter felicitatis omnisque boni, est concupiscentia sive cura disciplinae. Ostendit deinde idipsum per partes gradatim scandendo usque ad regnum aeternum, atque: *Cura ergo disciplinae*, etc., q. d. Itaque concupiscentia sive cura disciplinae est dilectio, id est conciliat dilectionem, sive charitatem: quantum enim per disciplinam et castigationem reprimitur et decrescit cupiditas, tantum dilatatur et accrescit charitas, adeoque plena charitas est nulla cupiditas, ait S. Augustinus. *Dilectio vero custodia legum illius est*, id est charitas impellit, suadet et efficit custodiam legum: qui enim Deum amat, utique ejus mandata custodit, sicut qui amat regem, ejus jussa exsequitur; et qui diligit amicum, ejus voluntatem explet.

CUSTODITIO (graece, $\pi\rho\sigma\sigma\tau\eta$), id est *attentio*, diligens auditio, et accurata diligentia ad leges Dei, quas audivimus et cognovimus, custodiendas atque observandas) AUTEM LEGUM CONSUMMATIO

(graece, $\epsilon\sigma\tau\alpha\iota\sigma\tau\iota\varsigma$, id est *confirmatio*) INCORRUPTIONIS EST. — S. Athanasius, *De Incarnat. Verbi, attentio et observatio legum constabilitio est immortalitatis*; Vatablus, *observatio legum, integritatis, vel immortalitatis, constitutio est*, id est statumen, basis et firmamentum est. Incorruptio haec vel integritas, tum generatim pro virtute et puritate accipi potest, q. d. Custodia legum facit, ut homo sit integer et perfectus secundum omnes virtutes, omniumque virtutum leges et praescripta, ita Hugo; tum proprie pro castitate, q. d. Custodia legum affert castitatem (haec enim una est ex legibus a Deo sancitis, et caeterarum legum decus et complementum), quae facit ut homo sit integer et incorruptus, tam mente quam corpore. Unde Climachus, gradu 15, et Basilius, lib. *De Virginit.*, docent castitatem esse virtutem, quae homines faciat angelos, illamque esse, tum semen, tum tyrum futurae incorruptionis in gloria caelesti, imo illam homini indere similitudinem Dei integri et incorruptibilis, quantum fas est mortali, mente aequae ac corpore Dei assimilari; unde sequitur: «Incorruptio autem facit esse proximum Deo.» Hinc et multorum multarumque virginum corpora post mortem incorrupta manserunt, et etiamnum manent. Hinc rursum ex Graeco vertas, *custodia legum est firmamentum immortalitatis*, quia sicut violatio legis de non comedendo pomum vetito facta ab Adamo, fuit causa corruptionis et mortis, tam ejus, quam posterorum omnium: sic custodia legum est causa incorruptionis et immortalitatis, quia illam meretur consequi in futura resurrectione: ita Lyranus et Dionysius.

Castitas
facit in-
corrup-
tum
tam
mente
quam
corpore.

Nota, omnes haec gradationes et gnomae in sensu, non formali, sed causali explicandae sunt: non enim custodia legum est consummatio incorruptionis et immortalitatis formaliter, ut patet; sed causaliter, quia scilicet eam causabit, ac plenam et consummatam immortalitatem beatis affert in caelo; hinc Clemens Alexandrinus, lib. VI *Strom.*, paraphrasticè sic vertit, vel potius explicat, *ergo dilectio cognitionis facit alienum ab interitu, et eum qui est regalis prope Deum extollit*, pro quo Noster vertit:

20. INCORRUPTIO AUTEM FACIT ESSE PROXIMUM DEO. Vera. 20.

— Graece, *incorruptio autem facit esse prope Deum*, id est proxime Deo, saepe enim positiva pro superlativis usurpantur; Syrus, *veritas, quae non corrumpitur, et opus quod est sine corruptione, approximant ad Deum*; Arabicus, *et privatio tentationis ponit hominem proximum Deo*; Arabes *tentationem* vocant omne malum, omnem corruptionem. Pergit in gradatione, q. d. Integritas mentis, quam affert custodia legum, facit ut homo sit similis Deo per gratiam et sanctitatem, eademque faciet ut homo sit Deo similis in caelo per immortalitatem et gloriam, juxta illud, I *Joan.* III, 2: «Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est,» visio enim Dei nos beabit, facietque ei similes. Unde S. Irenaeus

lib. IV *Contra hæres.* cap. LXXV : « Visio Dei, inquit, efficax est incorruptelæ; incorruptela vero proximum facit esse Deo; » qui et paulo ante : « Subjectio Dei, inquit, incorruptelæ perseverantia est; incorruptela autem gloria infecti, » *q. d.* Incorruptio est dos et gloria propria Deo, qui non est factus, sed per se semper existit; a quo eandem participant justi et beati, illi plane subjecti et uniti : esto enim damnati sint futuri quoque immortales, tamen erunt in perpetuis tormentis; unde erunt corruptibiliter incorruptibiles, et mortales immortales. S. Bonaventura per *incorruptionem* accipit virginitatem, hæc enim facit integros mente et corpore, ac proximos Deo, imo castas animas facit sponsas Dei; unde virgines proxime sequuntur Agnum quocumque ierit, *Apoc. XIV, 4.* Verum hæc partialis est incorruptio; totalis vero est custodia legum, quæ competit omnibus justis. Huc facit illud Plinii in *Panegyrico Trajani* : Nil præstabilius aut pulchrius deorum, quam castus et sanctus, et diis simillimus princeps; et illud, quod scribit Plutarchus, lib. *Quod cum principe philosophandum sit*, Minoem esse Jovis discipulum : « Non enim, inquit, privatos homines, vel otiosos deorum voluerunt esse discipulos, sed reges, qui sapientiam et virtutes animi consecuti, ea essent ad utilitatem omnium conversuri. »

Huc quoque facit illud Aristotelis, X *Ethic.* cap. VIII : « Qui mente operatur, et eam colit, disponitur optime, is et amicissimus diis immortalibus esse videtur : nam si dii curam humanarum rerum, ut existimatur, aliquam habent, rationi sane consentaneum fuerit, ipsos eo gaudere quod est optimum, maximeque sibi cognatum; hoc autem fuerit ipsa mens; et in eos, qui maxime hoc amant atque honorant, beneficia vicissim conferre, tanquam curam habentes eorum quæ sibi sunt chara, ac diligentiam adhibentes, et recte beneque agentes. At constat hæc omnia maxime sapienti inesse; amicissimus igitur sapiens ipse diis immortalibus est: eundem autem conveniens est et felicissimum esse; quare sapiens hoc quoque modo maxime fuerit felix. »

Vers. 21. 21. CONCUSPISCENTIA ITAQUE SAPIENTIE DEDUCIT AD REGNUM PERPETUUM. — Hæc est clausula et culmen gradationis, atque soritis, *q. d.* Concupiscentia disciplinæ, et illi connexæ sapientiæ, facit incorruptos et proximos, imo similes Deo per gratiam et gloriam, itaque tribuit eis regnum Dei perpetuum, eosque facit reges cœlestes et æternos : hæc enim regnum debetur, ac paratum et promissum est sapientibus, id est justis, qui custodiunt legem, ac per integritatem vitæ proximi sunt Deo, hoc enim ut notuam Sapiens hic subaudiendum relinquit. Quis ergo non concupiscat, quis non ambiet sapientiam, id est virtutem et sanctitatem, quæ sui studiosos adeo beat, exultat, glorificat? Noster a Castro censet hic agi de regno terreno, non cœlesti, idque probat ex

versu sequenti. Verum esto superficie tenus hæc gnomo accipi possit de regno terreno, quod longævum et per multa sæcula propagatum præstat sapientia, uti præstitit Davidi, tamen plene et perfecte accipienda est de regno cœlesti : hoc enim solum est perpetuum, facitque beatos, incorruptos, immortales et proximos Deo : licet enim *perpetuum* non sit in Græco, tamen satis ex sequenti versu intelligitur; unde illud legunt S. Augustinus in *Specul.*, Cantacuzenus et alii : nam regnum, non tantum terrenum, ut vult a Castro, sed etiam cœleste promitti Judæis in Veteri Testamento liquet ex cap. v, vers. 17 : « Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini; » et clarius *Daniel*, cap. VII, vers. 27 : « Regnum autem et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi, cujus regnum, regnum sempiternum, » etc.

Similem gradationem et soritem per similes gradationem et soritem per similes gnomarum et præmiorum, velut annulos connexum et concatenatum videre est in Codice legum Visigothorum, lib. I, tit. II, cap. VI, qui annexus est Cassiodoro : « Sicut modestia principum, inquit, temperatio est legum : ita concordia civium, victoria est hostium. Ex mansuetudine etenim principum oboritur dispositio legum; ex dispositione legum : institutio morum; ex institutione morum, concordia civium; ex concordia civium, triumphus hostium; sicque bonus princeps interna regens, et externa conquiens, dum suam pacem possidet, et alienam litem abrumpit, celebratur et in civibus rector, et in hostibus victor; habiturus post labentia tempora requiem sempiternam; post luteum aurum, cœleste regnum; post diadema et purpuram, gloriæ coronam. Quin potius nec deficiet esse rex : quoniam dum regnum terrenum relinquit, et cœleste conquirit, non erit amisisse regni gloriam, sed auxisse. » Hoc enim omnibus votis optandum et orandum est regibus, ut cum S. Ludovico de regno isto terreno et caduco ad cœleste et æternum transferantur : omnis enim gloria regni terreni instar umbræ pertransit, et instar fumi statim evanescit.

Vers. 22. 22. SI ERGO DELECTAMINI SEDIBUS (thronis regalibus) ET SCEPTIS, O REGES (græce, o tyranni) POPULI, DILIGITE SAPIENTIAM, UT IN PERPETUUM REGNETIS. — Pro *diligite*, græce est *τηνίστατε*, id est *honorate*, in pretio habete, raram et charam ducite. Pro *sceptis* S. Augustinus in *Speculo* legit, *stemmatibus*; S. Bonaventura, *schematibus*, sed perpetuam. Sensus est, *q. d.* O reges, si regnum et regnare vos delectat, diligite sapientiam, ut sapienter, id est æque, juste et probe, regnum administratis : sic enim regnabitis in sæculum, ut habent Græca, id est longævum et diuturnum vobis durabit regnum in terris, atque ex eo ad regnum in cœlis æternum transferemini. Quid enim vobis proderit, ait Cantacuzenus, si a solio

Incorruptio
dos et
gloria
propria
Dei.

Sapiens
amicissimus
Deo.

Gradatio
gnomarum
et
præmiorum
in
Codice
legum
Visigothorum.

non ad cœlum, sed ad cœnum gehennæ, si a purpura ad ignem, a sceptro ad vincula, a corona ad ergastula inferorum traducamini? Quid profuit Salomoni tanta regni opulencia, majestas et gloria? imo quid non obfuit, cum ei sapientiam excusserit, eumque feminarum et idolorum mancipium fecerit, ut jure de ejus salute dubitetur? Audiant ergo omnes S. Gregorium, hom. 15 in *Evang.*: « Si ergo, fratres carissimi, vere esse divites cupitis, veras divitias amate; si culmen veri honoris quæritis, ad cœleste regnum tendite; si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna angelorum curia adscribi festinate. »

Iterum compellat et adhortatur reges et principes ad studium sapientiæ, id est prudentiæ et virtutis, ex eo quod sapientia regnum stabiliat et perpetuet: hinc liquet librum hunc maxime ad principes spectare, eisque scriptum et dictum esse. Assignat ergo hic veram rationem et modum regni acquirendi, administrandi, conservandi et propagandi, nimirum sapientiam, id est justitiam et probitatem; cujus reges admonet solum judicarium et sceptrum, quod justitiæ est typus et symbolum: sceptrum enim primitus erat baculus, vel virga recta; unde hebraice vocatur כֶּסֶף, id est *virga*, baculus, vel pedum pastorum, ut significetur regem esse pastorem populorum, ut ait Homerus, ac proinde eadem æquitate, benignitate, cura et vigilantia debere regere populum, qua pastor regit oves. Porro baculus hic olim ære, deinde auro ornabatur, non ad severitatem, sed ad firmitatem et durationem, ut ostendit noster Martinus de Roa, lib. II *Singul.* cap. v. Idem significat pedum pastorale, quo utuntur omnes episcopi, excepto Pontifice, qui universalis est omnium pastor. Pedum, inquit Paulus jurisconsultus, est pastoralis baculus incurvus, ita dictus, quia illo oves pedibus comprehenduntur. Baculum habet episcopus, ait Beda, in *Collect.*, ut subditos regat, infirmos sustineat. Consecrans episcopum, tradit ei pedum, dicitque, ut habet Ordo Rom.: « Accipe baculum pastoralis officii, potestatem ligandi atque solvendi, et sis in corrigendis vitiis perseverans, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens; » vel, ut in eodem libro: « Accipe baculum sacri regiminis signum, ut imbecilles consolidas, titubantes confirmes, pravos corrigas, rectos dirigas in viam salutis æternæ, habeasque potestatem erigendi dignos et corrigendi indignos cooperante Domino nostro. » Hinc carmen de pedo, ejus tres partes, triaque officia significans:

Curva trahit, quos recta regit, pars ultima puogit.

Vide Joannem Stephanum Durantum, lib. II *De Ritibus Ecclesiæ*, cap. ix, num. 38 et seq., et Josephum Stephanum, lib. *De Potest. Pontif.* cap. viii, num. 5.

Huc facit sapientiæ emblema: sapientia enim pingitur ut heroina, dextra librum tenens, sinistra sceptrum; liber notat studium quo acquiritur sapientia: sceptrum notat honores et imperium, quos ipsa confert; unde Cicero, lib. I *De Orat.*, et in *Tuscul.* exclamat: « O vitæ philosophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti. » Aristoteles, lib. I *Rhetor.*: « Sapere, inquit, est quiddam aptum ad imperandum. » Vespasiani imperatoris, teste Philostrate, lib. V, cap. x et xi, hoc erat votum: « O Jupiter, da ut sapientibus imperem, et mihi sapientes! Quocirca sapientibus viris fores patere volo. » Seneca, *epist.* 108, scribit de Attalo præceptore suo: « Ipse se regem esse dicebat, sed plusquam regnare mihi videbatur, cui liceret censuram agere regnantium. » Plutarchus, lib. *De Iside*, tradit Ægyptios solere regem eligere ex sacerdotibus ob sapientiam, vel militibus ob fortitudinem; sed hos sacerdotibus operam navasse, ut discerent sapientiam. Platonis nota vox est: « Florerent et felices forent civitates, si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur, » uti fecit Antoninus imperator, idcirco cognominatus Philosophus, cujus etiamnum scripta philosophica exstant. Theodosius imperator Arcadium et Honorium filios suos in disciplinam dedit Arsenio, sapientia et sanctitate celebri; quin et Philippus rex Alexandrum Magnum filium suum erudiendum tradidit Aristoteli. Denique ipsa sapientia palam proclamat: « Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt, » *Proverb.* viii, 15. « Philosophia, ait Cicero, omnia quæ cadere in hominem possunt, subter se habet, eaque casus contemnit humanos. » Unde Diogenes rogatus: « Quid ei philosophia boni contulisset? » respondit: « Hoc, ut comparatus sim ad omnem fortunam. » Et Dionysius tyrannus, regno Siciliae pulsus, rogatus: « Quid boni e Platone ejusque philosophia hausisset? ut æquo animo, ait, hanc fortunæ commutationem feram: ipsa enim docet animo et passionibus imperare et dominari; » quocirca Zeno dicebat sapientes philosophos, non tantum esse liberos, sed et reges. Cum Cyrus filium Cambysem designaret imperii successorem: « Te, mi Cambyse, dixit, scire volo, non aureum hoc sceptrum esse, quod regnum tibi conservet; sed amici fideles regibus et verissimum et tutissimum sceptrum sunt. Id negari non potest; at multo melius ab ipsa sapientia præsidium est, per quam reges regnant. » Ita Xenophon, lib. VIII *Cyripædiæ*.

Porro, quantum sapientia, id est probitas, pietas, pique parentum educatio, regales familias prolesque illustret, ac honoribus, opibusque et regnis æque ac sanctitate et meritis adaugeat, in iisque stabiliat et confirmet, liquet ex familia

Sapientia est dos regendi.

Exempla.

Philosophia utilitas in regendis populis.

Sceptrum justitiæ typus et symbolum.

Pedum postoralis descriptio.

Mira posterorum Caroli Magni sanctitas et gloria.

Caroli Magni, quæ continuos per multa sæcula duces, regesque protulit, rerum gestarum gloria in cælo æque ac in terra conspicuos, idque ex pia institutione S. Modoaldi archiepiscopi Trevirensis, et S. Arnulphi episcopi Metensis, a quibus prognata descendit: nam Ita S. Modoaldi soror, pietate præstans, nupsit Beato Pipino primo Brabantiae duci, qui Dagobertum regem Francorum, cujus domui præerat, in luxuriam effusum, reprehendit, refrænavit, ac ad vitam castam probamque reduxit; unde hæc Pipino dantur elogia in *Vita S. Modoaldi*: « Pipinus probatissimæ vitæ fuit, ac purissimæ famæ, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum; controversiarum finis, munimentum patriæ, decus curiæ, via ducum, et disciplina regum. » Eo vita functo, uxor ejus B. Ita a S. Amando sacrum velum, sanctæque religionis habitum suscepit, in eoque sancte vitam finivit. Horum proles fuere duæ filiæ, S. Gertrudis monasticen æque ac mater professa Nivelis in Brabantia, ubi etiamnum religiose colitur, ac beata Begga, quæ nupta Ansigiso, S. Arnulphi Metensis episcopi filio, ex eo genuit Pipinum secundum, qui Theodoricum, regem Francorum, prælio superavit. B. Begga, mortuo marito, monasterium Andanæ construxit, in eoque monasticen professa, meruit in Catalogum sanctorum referri; unde dies ejus natalis in Martyrologio recolitur die 17 decembris. Pipini secundi filius fuit Carolus cognomento Martellus, eo quod Saracenos instar mallei contuderit; unde ejus elogium celebratur: « Nolo regnare, sed volo regibus imperare. » Martelli filii fuere B. Carlomannus, qui, relicto ducatu, monasticam vitam amplexus in Monte Cassino, humilitatis religiosæ exemplo præfulsit; et Pipinus tertius cognomento Brevis, qui merito prudentiæ suæ et virtutis, acclamantibus ducibus et populis, a Stephano Papa creatus et coronatus est Francorum rex, anno Domini 753. Pipinus hic Romam et Italiam ab Aistulphi regis incurribus liberavit. Pipini hujus filius fuit Carolus rerum gestarum gloria Magnus, cui proinde Leo III Pontifex imperii coronam imposuit. Carolo successit filius Ludovicus, cognomento Pius. Ludovico successit filius Lotharius (a quo Lotharingia, illi subjecta, nomen accepit), qui augustus imperator, ac paternæ religionis hæres, post plurima tam sapienter, quam fortiter gesta, regnum filiis suis divisit, relictoque sæculo, ac sanctæ conversationis habitu in monasterio Prumiensi suscepto, in eodem cursum vitæ feliciter consummavit. Hæc omnia habent Francorum Annales, ac *Vita S. Modoaldi*, a Stephano abbate Leodiensi viro gravi graviter conscripta, quæ exstat apud Surium, die 12 maii. Hosce velut avos et atavos imitentur Galliæ reges et principes, cæterique omnes, si regnum perpetuare, ac justitia et probitate rempublicam efflorere peroptant; erudiantur horum exemplo potentes, qui judicant ter-

ram. Fusius hæc narravi, quia, ut ait S. Hieronymus: « Vita sanctorum est interpretatio Scripturarum. »

23. DILIGITE LUMEN SAPIENTIE, OMNES QUI PRÆES- Vers. 23.
TIS POPULIS. — Hæc gnome non est in Græcis codicibus, sed Latinis omnibus. Hinc veteres clypeum rotundum dicabant Palladi, quo significabant orbem totum regi a sapientia: sapientiæ enim præses erat Pallas; unde Martianus Capella de Pallade canit:

Hinc tibi dat clypeum sapientiæ, quod regat orbem.

Ita Pierius, *Hierogl.* XLII, cap. XLII. Dictum est vetus: « Romanorum clypeus fuit Fabius Maximus, gladius vero Marcellus. » Porro principes sunt doctores et ductores populi; quanta ergo eos luce sapientiæ pollere oportet, ut omnes sua doctrina, sanctaque vita illuminent; unde ab Isaia, cap. XXIX, vers. 10, vocantur *oculi*: « Misceat, inquit, vobis Dominus spiritum soporis; claudet oculos vestros, prophetas et principes vestros. » Quocirca principes orationi se addicant, ac cum Salomone a Deo sapientiam postulent, ac in dubiis ad Deum recurrant: in oratione enim Moses luce Dei afflatus cornua, id est radios lucis faciei affixos, accepit, *Exod.* XXXIV, 30. Quin et Augustus Cæsar, inquit Suetonius, cap. LXXXIX *Vitæ* ejus: « Oculos habuit claros ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris; gaudebatque si quis sibi acrius contuenti, quasi ad fulgorem solis vultum submitteret. » Tiberius quoque Augusti successor, ut ait Suetonius, cap. LXVIII *Vitæ* ejus: « Prægrandibus fuit oculis, et qui (quod mirum esset) noctu etiam et in tenebris viderent, et cum primum a somno patuissent. » Hæc est claritas oculorum corporis, sed illi præstat fulgor oculorum mentis.

Sapienter S. Thomas, lib. III *De Regimine prin-* Sapientia
cipum, cap. III, regem comparans angelo primo, in prin-
qui proxime a Deo illuminatur, et cæteros illu- cips et
minat: « Irradiationis jam dictæ, inquit, ad bo- in subdi-
num regimen necessariæ et in principe et in sub- tis ne-
ditis, motum circularem cognoscimus rectum et cessaria.
obliquum. Motus *rectus* ideo dicitur, quia fit per divinam illuminationem super principe ad bene regendum, et a principe in populum meritis principis. Sed *obliquus* est, quando per divinam illuminationem sic subditos regit, quod virtuose ipsi vivunt, et insurgit in eis divina laus et gratiarum actio, ut sit quasi quedam arcualis figura ex chorda recta et arcu obliquo. Sed *circularis* motus divinorum radiorum dicitur, quando divina illuminatio irradiat principem, et a principe subditum, ex qua quidem elevatur ad Deum contemplandum et diligendum; qui ideo *circularis* motus vocatur, quia est ab eodem in idem: nam a Deo in principem, ab hoc in subditos, ab his ad Deum reditur. » Denique quam sapientia necessaria sit principi, præclare docent Plato, lib. V

Principes
vacantur
oculi,
cur?

De Republica, Stobæus, serm. 46, qui est de regno, Lipsius, I Polit. cap. x, Tiraquellius, lib. De Nobilit. cap. v, et noster Pineda, lib. VII De Rebus Salomon. cap. ix.

24. QUID EST AUTEM SAPIENTIA, ET QUENADMODUM FACTA SIT REFERAM : ET NON ABSCONDAM A VOBIS SACRAMENTA DEI, SED AB INITIO NATIVITATIS INVESTIGABO, ET PONAM IN LUCEM SCIENTIAM ILLIUS, ET NON PRÆTERIBO VERITATEM. — Hucusque fuit parænesis sive adhortatio ad sapientiam, nunc ejus originem, naturam et dignitatem, modumque eam assequendi describit, quasi dicat : Hactenus omnes adhortatus sum ad sapientiam, nunc ut efficacior sit mea exhortatio, explicabo ejus naturam, originem et definitionem; quidnam scilicet sit sapientia, quomodo facta, græce, ἐγένετο, id est orta sit, tum in se ex Deo, idque præcipue; tum in me, id est quomodo ego eam adeptus sim per orationem. Loquitur auctor in persona Salomonis, ut patet capite seq. vers. 5.

ET NON ABSCONDAM A VOBIS SACRAMENTA DEI. — Græce, *mysteria*, et τὸ *Dei* non est in Græco, sed intelligitur : mysteria enim propria sunt Dei, præsertim origo sapientiæ, hæc enim ab æterno in Deo abscondita, ab eo in tempore hominibus revelata fuit, juxta illud Job. xxviii, 20 : « Unde ergo sapientia venit? et quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viventium, etc. Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius. » Idem videre philosophi, nam Plutarchus, lib. De Isid. narrat templo Minervæ, quæ dea credebatur sapientiæ (in cujus capite et galea sphinx visebatur, teste Pausania in Attic.; sphinx autem implicatarum et abstrusarum rerum erat symbolum), hoc emblemata fuisse inscriptum : « Ego sum omne quod existit, est, et erit, meumque velum nemo adhuc mortalium revelavit. » Additque Deum ab Ægyptiis nuncupatum *Amum*, vel *Amonem*, id est *occultum*, eoque nomine ab eis invocatum, ut se revelare dignaretur.

SED AB INITIO NATIVITATIS (græce, γεννησιώτης, id est generationis et originis, tum meæ, ut voluit Hugo et Lorinus, tum potius ipsius sapientiæ, ipsam) INVESTIGABO; — unde Vatablus, sed a prima origine cognitionem ejus investigabo; id facit cap. sequenti, ubi narrat originem sapientiæ, tum in se, quod scilicet orta sit ex Deo vers. 23; tum in Salomone, qui ibidem vers. 1 et seq., operose narrat exordia nativitatis suæ, atque ex ejus ignorantia, tenebris et ærumnis, ascendisse se ad invocandam oblinendamque sapientiam commemorat.

ET PONAM IN LUCEM (græce, εἰς τὸ ἐμπανίς, id est in perspicuum) SCIENTIAM ILLIUS (Vatablus, palam faciam cognitionem ejus), ET NON PRÆTERIBO VERITATEM, — non parcam veritati, nec eam celabo ex invidia aliove pravo affectu, ut sequitur, sed candide et liberaliter omnibus communicabo. Mystice, de nativitate Christi hæc accipit Phœbadius in Gallia episcopus, lib. Contra Arianos, tom. V

Bibliothec., ubi cum docuisset a Spiritu Sancto nobis revelari Filium, omnemque veritatem, adjecit : « Etenim Spiritus notitiæ et veritatis, per quem Salomon de Dominica nativitate, Sapient. vi, 24 : Quid sit, inquit, sapientia et quemadmodum facta sit referam, et ab initio nativitatis investigabo eam (unde ipse infert) : Ergo per eumdem Spiritum possumus invenire, quod quærimus. »

25. NEQUE CUM INVIDIA TABESCENTE ITER HABEBO : QUONIAM TALIS HOMO (invidus) NON ERIT PARTICEPS SAPIENTIÆ. — Unde liquet τὸ *tabescente* non referri ad τὸ *invidia*, sed ad hominem invidum, q. d. Nulla mihi sit communicatio, nullum consortium cum invidio, qui ex invidia sapientiam celat, eamque aliis invidet : hic enim nequit particeps vel capax esse sapientiæ, quia invidiæ livor eum excæcat et obnubilat, ut sapientiam, quæ benevola est sique communicativa, cernere non possit; qua de causa ipsa sapientia fugit invidum et malevolam, juxta illud cap. i, vers. 4 : « In malevolam animam non introibit sapientia; » quia sapientia hæc est ipsa sanctitas, bonitas et charitas, cui ex diametro adversatur invidia. Unde Vatablus vertit, neque vero tabido invidia concesso, qui non potest sanum habere de sapientia iudicium, hoc est, ut ait Noster a Castro, non imitabor invidia tactum, ne communicem sapientiam; non versabor, nihil commune habebo, nec cum eo agam qui invidia tabescit; quo verbo natura livoris et invidiæ significatur, nam

Livor, tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas :

sapientia enim se omnibus communicat, quia « sapientia absconsa et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? » Eccli. xx, 32; et veteres apertas dixerunt Musarum fores, quoniam dona Dei candide ac liberaliter sunt communicanda. Hinc et Plato asseruit invidiam procul esse a Deo, et a choro divino; atque eum de more secutus Philo, lib. Quod omnis probus sit liber : Sapientia, inquit, cum nihil ea sit divinius, et magis expositum, nunquam claudit suum auditorium, sed patentibus januis admittit sitientes. Id secutus Salomon, cap. seq. vers. 13, ait : « Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, » instar solis, qui omnibus lucis suæ radios impertit.

26. MULTITUDO AUTEM SAPIENTIUM, SANITAS (græce, σωτηρία, id est salus) EST ORBIS TERRARUM : ET REX SAPIENS, STABILIMENTUM POPULI EST. — hoc est, firmus et stabilis populi status consistit in prudentia regis : dat causam, cur nolit rem habere cum invidis, nec eos imitari, qui sibi soli volunt sapere, caventque ne multi eis in sapientia evadant similes, quia scilicet optandum est multos esse sapientes; horum enim multitudo est sanitas, id est salus orbis terrarum, quia sapientes sua doctrina sanctaque vita, omnes ad virtutem et salutem perducere satagunt; quare rex sapiens est stabilimentum, id est basis et columen populi,

vitas Christi.

Sapientia malo adversa, cur?

rigo sapientia mysteriosa.

Emblema sapientia.

Sapientia nativitatis exordium.

Vers. 26.

Sapientia sanitas orbis, cur?

quia eum in omni virtute et bono erudire, conservare et promovere satagit. « Non ait Scriptura, inquit S. Augustinus, lib. IV *De Doctrina Christiana*, cap. v, multitudo eloquentium, sed sapientium, sanitas est orbis terrarum; » addit tamen S. Augustinus: « Sed salubri suavitate, vel suavi salubritate quid melius? quanto enim magis illic appetitur suavitas, tanto facilius salubritas prodest. » Quocirca Carolus Magnus instaurans per totum regnum suum studia litterarum, exclamavit: « O utinam haberem duodecim clericos ita doctos et omni sapientia instructos, uti fuere Hieronymus et Augustinus! » Cui subindignans Albinus Flaccus Caroli magister: « Creator cœli et terræ, inquit, similes illis plures non habuit, et tu vis habere duodecim? » Ita refert Sangallensis, lib. I *De Gestis Caroli Magni*.

Porro vox *sanitas* et *salus* significat sapientem esse medicum, qui curet aliorum infirmitates; unde S. Basilius, *regul.* 30, inter fusius disputatas, cum quæsisset, qua animi affectione superior aliorum curam suscipere debet? respondet: « Ut qui sauciis multis ministrat, et saniem de singulis illorum vulneribus abstergit, et pro natura uniuscujusque mali remedia ei adhibet accommodata; munere illo neutiquam ad animarum elationem uti consuevit, sed ad demissionem potius et sollicitudinem et majorem quamdam curam; itidem, ac multo etiam magis, is, cujus totius fratrum societatis sanandæ provincia est delegata, perinde ut qui omnium minister sit, et rationem de unoquoque illorum redditurus sit, secum agitare animo, et contendere anxie debet. » Cantacuzenus exemplum dat Moysen, qui stetit in confectione, et Deo volenti ob adoratam vitulum perdere populum restitit, eique veniam et salutem impetravit, *Exod.* xxxii, et Zorobabel, qui populum e captivitate Babylonica in patriam et libertatem reduxit. Audi S. Gregorium, IX *Moral.* cap. x: « *Sub quo curvantur, qui portant orbem*: ipsi etenim orbem portant, qui curam præsentis sæculi tolerant: tantorum quippe pondera unusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur; unde et terræ princeps, non incongrue græco eloquio *Ἐξοδός*; dicitur: *ἄσ*; enim *populus* interpretatur: *Ἐξοδός*; igitur *ἄσ*; *λαός* vocatur, quod latina videlicet lingua *basis populi* dicitur: quia videlicet ipse super se populum sustinet, qui motus illius potestatis pondere fixus regit: quo enim subjectorum suorum onera tolerat, eo quasi superpositam columnam basis portat. »

Qualis
debeat
esse rec-
tor?

Rex ba-
sis rei-
publicæ.

Exempla
Amalas-
venthæ
et Ludo-
vici XI.

Talis fuit Amalasyentha (quæ vox gothice et belgice *cæli filium* significat), Theodorici regis Gothorum ariani et impii catholica et pia filia, patri, deficiente prole mascula, in regno Italiæ succedens, quæ mira sapientia et probitate illud administravit, ac Symmachi et Boetii (quos pater injuste occiderat) liberis bona restituit, Athalari- cum filium suum bonis ac doctis magistris insti-

tuendum tradidit; sed obstitere Gothi, qui gothica barbarie jactabant litteraria cultura effeminari animum, ad timorem traduci, abduci ab armis et bel- landi audacia, quod rex, qui ferulam magistri timere didicisset, multo magis gladios et tela hostium expavesceret. Quibus illa licet invita cessit, sed magno filii et Gothorum malo, uti exitus de- claravit. Ita Procopius, lib. I *Bel. Goth.*, et Baro- nius ad annum Domini 536, sub Justiniano im- peratore: huic enim cœva et confœderata fuit Amalasyentha. Ludovicus XI, Galliæ rex, Caro- lum filium omnium expertem artium voluit, ne esset in capiendis consiliis refractor, tenaciorque sensus sui, et sane id accidit, nam jam regem vilissimi duo tresve homuli, huc illuc magna cum subditorum indignatione damnoque circumge- runt; erravit ergo, vera enim philosophia, teste Platone, docilis est et sanis consiliis obsequens, adeoque acute inter consilia et consiliarios dis- cernere novit, ut sciat quæ proba sint, quæ im- proba, quæ sana, quæ noxia; qui privatum com- modum spectent, qui publicum.

Rursum hujus sententiæ clarissimum est exem- plum in Sodomis, quibus pepercisset Deus, si in eis invenisset decem justos, *Genes.* xviii, 32. Vide S. Ambrosium, lib. I *De Abraham*, cap. v: « Prop- ter paucorum justitiam, inquit, impunitatem toti populo promittit. Unde discimus quantus murus sit patriæ vir justus, quemadmodum non debeamus invidere viris sanctis nec temere derogare: illorum etenim nos fides servat, illorum justitia ab excidio defendit; Sodoma quoque, si habuisset viros decem, potuit non perire. » Ratio a priori est, quod justis sint membra reipublicæ, eaque nobilissima, quæ totam rempublicam sua justitia quasi velant, imo ei suam justitiam com- municant, juxta illud, *Psal.* cxviii, 6: « Particeps ego sum omnium timentium te: » quare Deus toti reipublicæ parcat, quia videt in ea plures exstare justos: sicut enim membrum parti- ceps est totius corporis, sic vicissim corpus partici- pat membri bonitatem et sanitatem. Adde quod ait S. Ambrosius in *Psal.* cxviii, octon. 10, ad illa: *Qui timent te, videbunt me et letabuntur*, etc. « Plerisque justis aspectus admonitio correc- tionis est, perfectioribus vero lætitia est. Quam pulchrum ergo si videaris et prosis? Bonum ergo vir justus. Propterea denique Paulus apostolus ascendit Hierosolymam, ut justos videret; et cum Petro mansit diebus quindecim, ut ex ejus coha- bitatione aliquid proficeret. »

Probat idipsum similitudine avis quæ dicitur *icterus*, eo quod ictericus sanet, de qua Plinius lib. XXX, cap. xi: « Avis icterus, ait, vocatur a colore, quæ si spectetur, sanari id malum tra- dunt, et avem mori. » Huc alludens S. Ambro- sius ait: « Nam si est tanta vis in naturalibus, ut animal visum prosit ictericis, ita ut mortui quo- que cornu ejus animantis prodesse dicatur, si fuerit demonstratum iis qui in hujusmodi inci-

Viri ju-
nobilitas
ma p
ac m
reipub
ca.

Ratio
a priori

derint passionem; dubitare possumus, quod justus sanet aspectus? Ergo vile animal irrationabile tantam virtutem habet, ut sanare possit hominem momento exiguo, quid videtur, homo justus, si tamen cum fide ab eo conspiciatur, qui utilitatem ab eo percipere desiderat, nihil confert? Num vel ipsi oculorum radii virtutem quamdam videntur infundere his qui fideliter eum videre desiderant? Sed quemadmodum justus lætificat cor innocentium cum videtur, ita et improbi justorum cognitione torquentur, quia vel tacitis sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas incontinentiam, avaritiam liberalitas, impietatem fides. » Et nonnullis interjectis : « Ipse quoque serpens mori dicitur, si fuerit hominis præventus aspectu. Ergo si tanta virtus vel in oculis serpentis, vel in oculis est hominis, ut si alter alterum prior viderit, possit occidere, non est virtus in oculis justis, qui repletus virtutis est gratia, cum præsertim tantum operetur fides, ut et illa quæ fimbriam Domini tetigit, sanaretur, et ille, cui intendit Dominus Jesus, statim ex ejus oculis gratiam sanitatis hauriret? Sed qui videt justum, debet scire quid videat, non illum videt in corpore, non in vestimento, non in patrimonio, non in vultu, sed intus videt. Non, inquam, illum videt, nisi ejus viderit mentem, nisi ejus sermonem intenderit, nisi sensus illius potuerit comprehendere, sapientiam de tractatu ejus potuerit assumere. Tunc igitur lætabitur, cum ista perspexerit, cum ista cognoverit. Ita ergo et nos sicubi audivimus justum, festinemus videre, sicut illa mulier quæ audivit in domo pharisæi discumbere Dominum Jesum, et ingressa est, et ejus pedes perfudit unguento. Illius imitatores simus : quia Ecclesiæ in illa muliere figuram esse quis dubitet? Sicubi ergo justus sedeat, sicubi accumbat, festinemus videre eum. Pretiosum est videre virum justum, ut videas eum secundum imaginem Dei. Quod foris est, nihil prodest; quod intus est, sanat. Sane et in eo qui

Justi aspectus
sanitas :
ram in
ipso est
imago
Dei.

foris est, illum qui intus est frequenter aspiciamus. » Unde tandem concludit : « Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant; sed invisibilis Dei imago non in eo est quod videtur, sed in eo utique quod non videtur. Vides ergo, quia inter multas Christi imagines ambulamus? Caveamus ne coronam imagini detrahere videamur, quam unicuique Christus imposuit. » Qui ergo justum videt, amat, honorat, imitatur, in eo velut in imagine Christum videt, amat, honorat, imitatur, ideoque ab eo in mente, et sæpe in corpore, sanatur ab infirmitate, qua detinetur. Multitudo igitur sapientium, id est justorum virtute præditorum, præsertim eminentium, qui doctrina vel consilio pollent, ut alios doceant, et regant, vel dirigant, est salus totius orbis.

27. ERGO ACCIPITE DISCIPLINAM PER SERMONES MEOS, ET PRODERIT VOBIS, — imo multa et maxima dona, quæ recenset capite sequenti, conciliabit. Est miosis. Carneades philosophus ita se mirifice doctrinæ operibus addixerat, ut cum cibi capiendi causa recubisset, cogitationibus inhaerens, manum ad mensam porrigere oblivisceretur, et Melissa uxor inediæ succurrendi officio, dexteram ejus necessariis usibus adaptaret. Cato junior ne in curia quidem dum senatus cogitur, temperare sibi voluit, quo minus græcos libros lecitaret; qua quidem industria ostendit aliis tempora deesse, alios temporibus superesse. De Varrone scribitur, quod in eodem lectulo et spiritus ejus, et egregiorum operum cursus extinctus est. Cleanthis philosophi tam pertinax fuit discendi studium, ut, ne diurno tempore a Chryssippi lectionibus abesset, nocturnum extrahendæ aquæ ad inopiam suam sustentandam impenderet. Hæc horum hominum circa humanas disciplinas sequendas industria et diligentia, nostram circa res divinas et animæ salutem procurandam, supinam negligentiam et ignaviam, si non vehementer nunc excitat, postea graviter cadendam habet.

Exempla
discipli-
næ stu-
dioso-
rum.

SECUNDA PARS

LIBRI SAPIENTIÆ,

IN QUA, POST ELOGIA ET PARENESIM SAPIENTIÆ, EJUS ORIGINEM OSTENDIT ESSE DEUM.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Auctor in persona Salomonis docet id quod promisit in fine cap. præced., scilicet originem sapientiæ, modumque eam assequendi per suum ipsius exemplum, qui licet rex fuerit, tamen quoad naturam, vitam et mortem plane aliis hominibus sit similis, ut proinde, sicut ipse assecutus est sapientiam, sic cuilibet homini eam assequi liceat. Igitur primo, narrat se editum in lucem vitam adeptum fragilem, miseram, abjectam, et morti obnoxiam, ideoque a Deo enixe postulasse et impetrasse culmen sapientiæ, ut per eam vitæ ærumnis mederetur. Inde secundo, vers. 11, asserit se per eam adeptum omnia bona, quin et scientiam elementorum, calorum, stellarum, ventorum, plantarum, omniumque rerum naturalium, quæ sunt in orbe. Moz tertio, vers. 22, Sapientiæ dotes multiplices enumerat, ejusque originem assignat. Denique quarto, vers. 28, docet neminem a Deo diligi, nisi præditum sapientia, utpote quæ sole sit speciosior. Ex hisce omnibus colligendum relinquit quid sit homo per originem et naturam, quid vero per sapientiam et gratiam.

1. Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius, qui prior factus est, et in ventre matris figuratus sum caro : 2. decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, et delectamento somni conveniente. 3. Et ego natus accepi communem aerem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans. 4. In involumentis nutritus sum, et curis magnis. 5. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. 6. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus. 7. Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus : et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ : 8. et præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. 9. Nec comparavi illi lapidem pretiosum : quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tanquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius. 10. Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam : quoniam inexstinguibile est lumen illius. 11. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius, 12. et lætatus sum in omnibus : quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam quoniam horum omnium mater est. 13. Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo. 14. Infinitus enim thesaurus est hominibus : quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinæ dona commendati. 15. Mihi autem dedit Deus discere ex sententia, et præsumere digna horum quæ mihi dantur : quoniam ipse sapientiæ dux est, et sapientium emendator : 16. in manu enim illius, et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia, et operum scientia et disciplina. 17. Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram : ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, 18. initium, et consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, et commutationes temporum, 19. anni cursus, et stellarum dispositiones, 20. naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum. 21. Et quæcumque sunt absconsa et improvisa, didici; omnium enim artifex docuit me sapientia. 22. Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanc-

tus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, 23. humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis. 24. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam. 25. Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: et ideo nihil inquinatum in eam incurrit. 26. Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. 27. Et cum sit una, omnia potest: et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit. 28. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. 29. Est enim hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. 30. Illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia.

Vers. 1. 1. SUM QUIDEM ET EGO MORTALIS HOMO, SIMILIS OMNIBUS, ET EX GENERE TERRENI ILLIUS (HOMINIS) QUI PRIOR FACTUS EST, ET IN VENTRE MATRIS FIGURATUS SUM CARO. — Arabicus, *filius sum genitus ex homine terreno, primo creato*; Syrus, *filius sum primogeniti terræ*. Sub carne, utpote potiori hominis parte, intellige sanguinem, ossa totumque hominem. Est synecdoche: caro monet hominem suæ infirmitatis, quid enim hominis carne infirmus, vilis, spurcius? Vis nosse teipsum, o homo? considera ærumnas, sordes, labores et dolores innumeros et assiduos carnis tuæ, et scies quis et qualis sis; hinc S. Joannes, cap. 1, vers. 14, ut ostenderet summam in Verbi incarnatione dignationem et demissionem, non dixit: *Verbum homo*; sed, *Verbum caro factum est*, id est homo carneus. Sensus est, *q. d.* Ego Salomon licet sim rex, tamen sum mortalis, et *similis*, græce ἴσος, id est *æqualis*, cæteris hominibus: sum enim filius Adæ et Evæ peccatorum, ad mortem cum tota progenie damnatorum, ideoque et ego in peccato originali conceptus, prius ad mortem damnatus, quam natus sum; atque perinde ut Adam, sum *adam* formatus ex *adama*, id est homo ex *humo*, terrenus ex *terra*; denique in ventre matris figuratus sum, græce ἐν μήτρῳ, id est *sculptus sum*, caro, *q. d.* Mater nec potuit, nec scivit modum me formandi in utero, sed Deus velut artifex et sculptor ex informi vilique semine figuravit, imo sculpsit me carnem, id est hominem carneum, suis membris, ossibus, nervis, musculis, venis, etc., mira arte distinctum, et instar imaginis suæ expictum, figuratum et exsculptum; unde, *Psal. cxxxviii*, vers. 14: « Et substantia mea in inferioribus terræ; » hebraice est רֹכַמְתִּי *ruckanti* (unde italicum, *recamato*), id est *acu pictus sum* in utero matris meæ: רֹכַם *rokem* enim est phrygio, qui varie acu pingit arte et opere phrygionico. Pro qui prior factus est, græce est, πρῶτος γεννητός, id est, qui *primus ex luto factus formatusque*: πλάτω enim est instar figuli lutea vasa *formo* et *fungo*; videtur ergo Deus, primo, ex limo finxisse hominis statuum in omnia hominis membra distinctam, deinde eam in carnem humanam con-

vertisse, ac denique in eam animam infudisse, itaque fecisse hominem in animam viventem, ut scilicet esset animal vivens, uti dixi *Genes. ii*, 7; unde, *Esd. IV*, lib. III, 5, dicitur: « Dedisti Adam corpus mortuum: sed et ipsum figmentum manuum tuarum erat, et insufflasti in eum spiritum vitæ, et factus est vivens coram te. »

Docet hic Salomon reges et quoslibet homines, ne se ob regiam dignitatem, opes, scientiam, ingenium, artes aliasve dotes extollant, ac dii quidam videri velint, uti voluere Alexander Magnus, Nabuchodonosor, Antiochus et alii; sed memores suæ originis et naturæ ad ærumnas et mortem damnatæ cristas demittant, ac instar pavonis non ocellatam suam caudam contemplantes intumescant, sed fædos suos pedes intuentes fastum ponant, ac similes se cæteris mortalibus agnoscant, Deoque opifici suo humiliter se submittant, eumque colant et invocent: hæc enim est vera sapientia, scilicet nosse seipsum, et nosse Deum, ac dicere cum S. Francisco: « Quis tu, Domine? quis ego? Tu abyssus sapientiæ, potentia, virtutis, omnisque boni; ego abyssus nihili, ignorantia, infirmitatis, peccatorum, omnisque mali. »

Idem hoc monitum, teste S. Athanasio, dedit S. Antonius Constantino Magno ejusque filiis Constanti et Constantio litteras suas exposcentibus: « Reges sæculi, inquit, ad nos miserunt epistolas; quæ hic christianis adhibenda miratio est? licet enim diversa sit dignitas, attamen eadem nascendi moriendique conditio est. Illa sunt veneratione omni percolenda, illa toto animi affectu retinenda sunt, quod hominibus Deus legem scripserit, quod per filium suum propriis Ecclesias ditaverit eloquiis; » et post nonnulla: « Laudavit primum quod Christum colerent, deinde salutaria persuasit, ne magnam putarent regiam potestatem, ne præsentis carnis imperio tumentes, se homines esse nescirent, et judicandos a Christo obliviscerentur. Ad postremum clementiæ circa subjectos et justitiæ, curæ quoque inopum admonuit, atque unum sempiternum esse regem omnium sæculorum, Jesum Christum,

Reges cæteris similes.

Reges cogitent se mortales. Exempla.

Deus capic- r Po- minis.

epistolis testatus est. His principes susceptis vehementissime lætabantur. » Idem scripsit B. Petrus Damiani Agneti Augustæ, lib. II, *epist.* 5; ac citans totum hunc Salomonis locum, ex eo ita concludit : « Erubescant ergo cordis elata supercilia, et qui se considerat inter ortum et exitum communi cum cæteris naturæ lege constringi, desinat de sublimiori gloriæ singularitate jactari : » deinde Agnetem laudans, quod perspecta hac regum misera conditione, relictis imperii pompis post mortem Henrici II imperatoris mariti sui, appetita a viris principibus ad secundas nuptias, eas refutasset, atque ex Augusta facta esset sanctimonialis, eam hortatur ut in sancto instituto perseveret, et perseverantiæ pedem immobiliter figat : « Nam quæ dudum, inquit, terreni fueras uxor imperatoris, nunc per sanctæ professionis dotem sponsa facta es Redemptoris : sic igitur ei te in vera cordis humilitate substerne ; sic illi glutino fervidæ charitatis unire, ut cum mystica illa sponsa congruenti valeas voce cantare, *Cantic.* III, 4 : *Inveni quem diligit anima mea : tenui eum, nec dimittam.* » Quin et Alexander Magnus, qui Jovis Hammonii filius, deusque credi volebat, vulneratus, ex vulnere se mortalem cognovit : « Omnes, inquit, jurant me Jovis esse filium, sed vulnus hoc hominem me esse clamat : » ita Plutarchus in *Apophthegm.*

Vers. 2.

2. DECEM MENSUM TEMPORE COAGULATUS SUM IN SANGUINE (materno, matris enim semen rubeum est, ac potius sanguis videtur, quam semen, ut patet ex ejus residuo sanguine menstruo) EX SEMINE HOMINIS (græcè *σπέρμα*, id est viri) ET DELECTAMENTO SOMNI CONVENIENTE. — Tò decem mensium tempore magis pertinet ad *figuratus sum caro*, quam ad *coagulatus sum* : nam hæc coagulatio breviori fit tempore ; figuratio vero et plena organizatio fit decem mensibus. Sub *sanguine*, non tantum semen feminæ sanguineum, quod cum semine viri potius habet rationem agentis, quam materiæ elaborandæ ; sed et verum sanguinem ab utroque semine attractum, et in prolem elaborandum accipe. Sanguis ergo maternus materiam formando prolis corpori, ac deinde alendo subministrat : ita Galenus, lib. II *De Natur. facult.* cap. III. Idem, lib. I *De Semine* cap. IX, quatuor formationis fœtus tempora recenset ? « *primum*, cum semen nihil aliud quam genitura est ; *secundum*, cum substantia factus, carnea jam et non amplius seminalis apparet, quem Hippocrates *fætum* vocat ; *tertium*, cum jam trium principiorum, cordis, cerebri, jecoris distinctio et formatio evidentior conspici potest, reliquorum autem membrorum obscurior quædam delineatio ; *quartum*, cum brachia et crura distincte absoluta cernuntur, neque amplius *fætum*, sed *infantem* appellat Hippocrates, cum eum palpitare et moveri, ut animal jam perfectum inquit. » Plura vide apud Galenum et Hippocratem, libro *De Fornat. fœtus.*

Fœtus formationis tempora quatuor.

Communis sententiæ est fœtum utero matris gestari novem duntaxat mensibus, illudque assignatur II *Machab.* VII, 27 ; Sapiens tamen hic decem menses assignat : idem faciunt multi auctores classici, ut Virgilius in *Pollione* :

Fœtus in utero est decem mensibus.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Et illud Plautinum in *Amphitryone* : « Decimo post mense nascitur puer ; » quibus concinit Ovidius, I *Fastorum*, ubi locutus de Romulo, qui annum decem tantum mensibus complebat, subdit rationem qua ducebatur :

Quod satis est utero matris dum prodeat infans, Hoc anno statuit temporis esse satis.

Accedit jus civile : nam in 6, tit. 29, *De Posthumis hered. institut.*, legitimi hæredes censentur filii posthumi, qui decimo mense a patris interitu nascuntur. Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. XXXVII : « Legitima, inquit, natiuitas ferme decimi mensis ingressus est ; » et rationem addit moralem : « Ut decem, inquit, menses decalogo magis inaugurent hominem, ut tanto temporis numero nascamur, quanto disciplinæ numero renascimur. » Consentit D. Ambrosius serm. 15 in *Psal.* cxi, ubi locutus de naturali amore erga parentes : « Non possum, inquit, salvo pietatis jure odisse patrem, cui debeo quod creatus sum, nec matrem, longo decem mensium fastidio pii fœtus onera portantem. » Idem censet S. Augustinus, lib. III *De Trin.* cap. v, et *epist.* 3 ad *Volusianum*. Denique B. Petrus Damiani, lib. II, *epist.* 21, et in ordine 42, refert « plerosque Ecclesiæ doctores (in ea esse sententia, ut asserant) decem mensibus hominem in materno utero coalescere, nec intra novem mensium spatium fa-teantur exire » quod tamen ipse interpretatur de decem mensibus triginta tantum dierum, iisque non impletis, sed tantum inchoatis. Sic enim et Christus Dominus, qui conceptus 23 martii, et natus 25 decembris, novem tantum menses implevisse videbatur, in decimum nihilominus dicendus est excurrisse, cum ex illis novem mensibus quinque unum et triginta dies sortiantur, atque ideo ultra novem menses quinque dies, qui decimum inchoant, supersint. Si igitur decimetre est spatium, quo uterus gestatur, seu fœtus maturescit, recte I *Reg.* I, 20 in natiuitate Samuelis vocatur *circulus dierum* : nam denarius a mathematicis appellatur numerus sphaeralis seu circularis, ut Georgius Venetus *De Harmonia mundi*, cant. 1, tom. VIII, et cap. III, testatur. Ita noster Alphonsus Mendoza in I *Reg.* I, 20.

Adde ex Aristotele, lib. VII *Histor. animal.* cap. IV, cæteris animalibus certum et determinatum esse conceptionis et pariendi tempus, homini vero incertum et varium : nam et septimo mense, inquit, et octavo, et nono, mater parere potest, et quod plurimum accedit, decimo ; nonnullæ etiam undecimum attingunt, aliquæ etiam deci-

Tempus conceptionis et partus hominis varium et incertum.

num tertium, ait Plinius, lib. VII, cap. v; quin et subinde decimum quartum, ait Avicenna, lib. *De Anima*. Verum hi partus sunt monstruosi, ideoque eos jura non admittunt. Optimi ergo et perfectissimi nascendi fines novem vel decem mensibus terminantur. Adjungit Rabanus, quem citat Holcot, natos decimo mense esse perfectiores, magisque vitales, velut perfectissimo tempore genitos. Sic et Hippocrates, lib. *De Septimestri partu*, et lib. *De Natura fetus*, præfert cæteris natos mense decimo, non completo, sed inchoato. Unde Theocritus, *Idyllio* 24, Herculem virorum fortissimum asserit mense decimo prognatum. Idem de cæteris heroibus docet Pineda, lib. I *De Rebus Salomonis*, cap. VII. Hinc et S. Augustinus, lib. LXXXIII *Quæst.* XXXVI, et lib. IV *De Trin.* cap. v, ait Christum natum post 276 a conceptione dies, id est post novem menses exactos, et decimum inchoatum per sex dies, si cuilibet mensi 30 dies assignes. Idem asserit S. Chrysostomus, serm. *De S. Joanne Baptista*, etsi dies præcise non numeret. Si tamen omnes dies anni in duodecim menses æqualiter partiaris, cuilibet mensi obvenient 30 dies et decem horæ cum dimidia; quo posito, decimus mensis Christi in utero matris, erit inchoatus tantum per unum diem et sesquihoram circiter. Imo noster Pineda loco jam citato, num. 20, naturalissimum et perfectissimum partum requirere a conceptione decem menses integros, probat ex partu Christi Domini, qui fuit perfectissimus; ipse enim primo conceptionis suæ instanti fuit a Spiritu Sancto perfecte formatus, organizatus et animatus, quod in cæteris feminis tantum contingit die quadragesimo a conceptu; quod si novem mensibus, quibus Christus fuit in utero, hosce 40 dies addas, utique decem menses integros invenies, quos partus perfectissimus exigere videtur. Addit Petrus Bondus in *Myster. num.* cap. XLV, primogenitos decem mensibus saltem inchoatis utero gestari. Ergo dum decem menses sibi attribuit Salomon, significat accidisse sibi, quod et primogenitis, ut quinquè diebus supra novem menses gestatus fuerit, atque adeo, ut in ipsa gestatione jam prænuntiaret fore ut primogeniti jure in regnum paternum successurus esset, quamvis minime esset primogenitus.

Aliter hæc conciliat Franciscus Valesius *Sacra Philos.* cap. LXXXIII, ubi asserit maxime naturalem et communem nascendi periodum esse novem a conceptu menses. Sapientem ergo, cum hic decem menses assignat, non solares intelligere, sed lunares, quibus Hebræi utebantur, eosque non integros, sed novem integros, et decimum currentem; novem vero menses communes, sive solares, quos assignat auctor II *Machab.* II, 27, faciunt novem menses lunares, et totidem fere dies, qui decimum mensem inchoant: quare idem in re hic præscribit nascendi tempus, quod II *Machab.* VII, 27: hæc ipse. Porro hæc

omnia ærumnosam hominis nativitatem vitæque significant: nonne enim ærumnosum est latuisse per decem menses in tenebroso et fædo matris utero, velut in carcere, vel sepulcro. Audi B. Petrum Damiani, lib. VII, epist. 5 *ad Agnetem Augustam*: « Decem mensium tempore coagulatus sum ex sanguine et semine hominis, et delectamento somni convenientis; si non pigeat vigilanter advertere quæ mens hæc audiens typho valeat arrogantiae superbire, et quis continuo non compellatur sese nosse putredinem, dum tam obscenam orfus sui considerat feditatem, dicens intra se: Quid superbis, terra et cinis? » Audi S. Bernardum in *Med.* II: « Quid ego sum? Homo de humore liquido: Fui enim in momento conceptionis de humano semine conceptus, deinde spuma illa coagulata modicum crescendo caro facta est. »

Porro materiæ huic humanæ multis nominibus arborum et plantarum semina præferuntur, primo, quod hæc munda sunt, et sine ullo horrore in sinum mittuntur, oculis videntur et manibus atteruntur; illa vero materia adeo impura est et fœtida, ut nec manu tangi, nec oculis sine rubore aspici possit. Secundo, arborum semina purissima quadam emanatione procedunt; sed materia hæc emanat, non sine pruritu carnis, fervore libidinis et fœtore luxuriæ: ideo conceptio hominis tenebras amat, et tanquam res obscena, et quæ genitori ignominia est, lucem fugit, et aliorum etiam familiarissimorum aspectum exhorret. Tertio, semina arborum atque etiam animalium nullo peccato, nullaque iniquitate inficiuntur; at hæc materia ejusque emanatio sæpissime aliquo peccato, saltem levi fœdatur, quod parentes ex nimia delectatione solent contrahere. Quarto, illa semina durabiliora sunt, ac multis diebus, et mensibus, et annis incorrupta servantur: nam et vidimus aliqua post tres aut plures annos germinasse; hoc vero semen quasi momentaneum, post modicum temporis corruptionem subit, et in corruptelam pertransit. Quinto, tandem arborum semina semel putrefacta, et in arbusculam vel plantulam versa, purissimo terræ humore concresecunt; at semen hominis in corpus humanum coagulatum, cibo spurcissimo augetur. Sed attende, inquit Innocentius, lib. I *De Contemptu mundi*, cap. IV, quo cibo conceptus nutriatur in utero. Profecto sanguine menstruo, qui cessat in femina post conceptum, ut ex eo conceptus nutriatur in femina, qui fertur esse tam detestabilis et immundus, ut ab ejus contactu fruges non germinet, arescant arbusta, moriantur herbæ, et amittant arbores fetus, et, si canes inde comederint, in rabiem efferantur. Ecce, homo, parentes tuos, ex quorum dignitate glorieris, duo hæc semina viri et feminæ libidinosè commixta, in quibus nominandis jam modestiæ et pudicitia metas transilimus. Ita noster Alvarez de Paz, lib. IV *De Cognitione sui*, part. II, cap. v. ET DELECTAMENTO SOMNI (græce, *ὄνειρος*, id est

nostræ
feditas
et vititas
remediorum
superbia.

Primo,
feditas
et vititas
materiæ,
puta
sanguinis
et seminis
quo
formatur
homo.

Duplex
originis

Secundo
fœditas
actus
quo con-
cipitur
homo.

somno) CONVENIENTE. — Ita Romana et Græca; minus recte ergo S. Ambrosius, serm. 8 in *Psalm. CXVIII*, et S. Bonaventura hic legunt, *somni* (alii, *somni*) *convenientis*. Græce est, ἐδόντι; ὑπνοῦ συνεδέουσα, id est ex voluptate vel delectatione, quæ venit cum somno, sive quæ concurrit cum tempore somni, id est quæ noctu peragitur. Honesta periphrasi circumscribit actum generationis. Addit S. Bonaventura et Carthusianus actum hunc vocari *somnum*, quia rationem ligat, et illico transit, sicut delectatio somni. Verum prius duntaxat significat græcum συνεδέουσα ὑπνοῦ, id est *convenientis somno*, id est venientis cum somno, comitantis somnum: somnus enim post conceptionem, eam adjuvat et promovet, uti docent philosophi et medici; unde Job III, 4: «Pereat, inquit, dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo.» Perperam ergo Lyranus, Clarius et Holcot hæc accipiunt de dulci infantium somno, quo jugiter absorpti in utero matris decem transigunt menses. Minus quoque genuine Jansenius delectationem somno convenientem exponit eam quæ decet somnum, quæque congruit nocti ob actus fœditatem et verecundiam: positus est enim, inquit, genitivus pro dativo, puta *somni* pro *somno*: hæc ipse. Porro quia Noster vertit *somni* in genitivo, qui referri debet ad τὸ delectamento, non ad *conveniente*, id est *simul veniente*, ut patet ex syntaxi, hinc Salomon ait se coagulatum ex sanguine femine et semine viri et delectamento: et significat *id est* (est appositio), q. d. Quod est delectamentum somni, id est noctis, *conveniens*, id est *simul in unum veniens* et *conveniens* ad generandam et formandam prolem. τὸ ergo *conveniens* significat confluum et concursum seminis virilis et femine, qui fit per congressum viri et femine ad generandam prolem. Sic dicitur *Matth. I, 18*: «Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent;» sic enim honeste vocatur congressus conjugum. Honesta ergo periphrasi circumscribit delectationem actus maritalis, quo fit ut delectabiliter concurrat semen tam maris, quam femine ad formandum embryonem, illamque vocat *somni*, tum quia noctu fit, cum solent homines somnum capere; tum quia somnus multum juvat conceptionem: somnus enim præcedens conceptionem in uteroque parente semen concoquit, elaborat et maturat; subsequens vero in femina facit ad concepti seminis retentionem, digestionem et perfectionem, uti docent Galenus et medici. Sic cap. IV, vers. 6, ait: «Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur.»

Exempla.

Salomon fœditati materie, puta sanguinis et seminis, ex quo formatus est, addit fœditatem actus, quo conceptus est, ut originis suæ vilitatem et fœditatem ostendat: hic enim actus adeo fœdus est, ut lucem fugiat, ac somnum et noctem, id est tenebras et latebras, quibus se occultet, quærat: ipse enim homini eripit usum ra-

tionis (unde philosophus eum definiit esse modici temporis *epilepsiam*), eumque quasi in brutum et bestiam transformet: nullus enim actus magis brutus et bestialis est, quam venerus. Unde Alexander Magnus duabus potissimum rebus, quum deus a multis prædicaretur, se quod mortalis esset deprehendere dicebat, somno et coitu, quod hæc præcipue proderent humani corporis imbecillitatem; ad cætera invictus erat: *somnus* enim mortis imago est, et *coitus* species est morbi comitialis: ita Plutarchus in *Alexandro*. Porro singula pene verba hujus versus et præcedentis habent emphasim, novasque et singulas hominis nascentis ærumnas continent, ut patet sigillatim ea expendenti.

3. ET EGO NATUS ACCEPI (græce, ἀπὸ αἰθέρος, *attraxi*; Vers. 3 S. Ambrosius, serm. 8 in *Psalm. CXVIII*, *hausi*) COMMUNEM (non tantum cum cæteris hominibus, sed etiam cum bestiis omnibus) AEREM, ET IN SIMILITER FACTAM DECIDI TERRAM, ET PRIMAM VOCEM SIMILEM OMNIBUS EMISI PLORANS. — Syrus, sicut quilibet homo cæpi plorare; Arabicus, et veni plorans. Salomon tres hic nativitatæ suæ ærumnas recenset, *primam*, quod attraxerit aerem communem omnibus, etiam brutis, quasi ab aere tenuissimo penderet ejus vita, ac fugientem animam cogere- retur respirando fovere et conservare. Vide ergo quam caduca et occidua sit vita, quæ a re tenuissima et fugacissima, qualis est aer, dependet: pendet ergo ex aere et flatu, quasi ex filo, qui si desit, animam efflari necesse est: nam, ut ait Galenus, lib. *De Util. respir.* cap. 1: «Cum ne momentum temporis sine respiratione sufficere possimus, manifestum est eam ad nullam particularem actionem, sed ad ipsam vitam pertinere.» *Secunda*, quod in similem cæteris terram deciderit, quasi terræ filius ab ea alendus, et in eam ceu matrem post mortem rediturus. *Tertia*, quod prima ejus vox fuerit ploratus, quo vitæ ærumnas, quas naturæ instinctu sibi imminere augurabatur, deplorabat.

Rursum hisce tribus innuit se compositum e quatuor elementis: ideo enim aerem attrahit, quia eo constat; iisdem enim rebus res alitur, quibus constat, ait Aristoteles. Rursum sub aere intellige ignem, ideo enim homo aerem frigidum attrahit, ut ignem, id est calorem cordis et sanguinis refrigeret. Terra intelligitur in eo quod terrestris suo pondere in terram decidit, aqua in ploratu et imbre lacrymarum. Ex quibus colligendum relinquit hominem habere corpus, non cæleste, lucidum, simplex et incorruptibile, sed elementarium, opacum, mixtum, corruptibile, quod defectus et vitia omnia quæ elementis insunt ex iis sugat et hauriat; unde fit ut homo ex igne levitatem, bilem et superbiam; ex aere, inconstantiam et ostentationem; ex aqua, fluxum et defluxum; ex terra, crassitiam et hebetudinem. Porro infans in utero matris post formatum pulmonem respirat, aeremque internum at-

E qua-
tuor ele-
mentis
quorum
trahit vi-
tia com-
ponitur
homo.

An em-

trahit, ait ex Hippocrate Galenus, lib. *An animal sit id quod in utero est*, cap. III; sed id negat Aristoteles, lib. *De Spiritu*, cap. III, ubi docet frætum in utero mox formato corde habere pulsum, ac deinde ali et nutriri, ultimo respirare : « nam tam primum respirat, inquit, ubi in lucem editus fuerit partus : » idem docent alii, quibus hic favet Salomon. Rursum Aristoteles, lib. II *De Generatione animal.* cap. IV, et ejus asseclæ tradunt puerum in utero per umbilicum attrahere alimentum et nutriri, ideoque mox ut natus est, os mammæ matris admove, ut lac sugat : ita Galenus loco citato, et Fortunius Lycetus, lib. *De Ortu animæ humanæ*, cap. XLIV. Omittit sic Salomon puerperæ fastidia, partus dolores, infantis pericula, infirmitatem, spurcitiem, de quibus Plutarchus, lib. *De Amor. prolis* : « Nihil, inquit, est ita imperfectum, inops, nudum, informe, spurcum, ut homo a partu statim conspectus, cui soli fere ne exitum quidem in lucem mundum natura concessit, sed sanguine inquinatus taboque oppletus, et occiso magis quam nato similis, a nemine tangi, tolli, suaviari et amplexu foveri potest, nisi natura insitum gerente amorem. »

ET IN SIMILITER FACTAM (græce, ὁμοιωτάτη, id est similiter vel similia passam, ut vertunt Pagninus, Arias et Lorinus), hoc est similibus passionibus, qualitatibus, incommodis, miseris et ærumnis obnoxiam, quales sunt calor, frigus, æstus, siccitas, fames, sitis, morbi, etc.) DECIDI TERRAM. — Vatablus, *at in ejusdem ingenii terram excidi*, q. d. Licet nasceret filius regis Davidis, tamen nascendo effusus sum in terram, non molliorem, neque meliorem, sed similem cæteris, more aliorum hominum et animalium : sicut enim cælum unum est omnibus, sic et una omnes excipit terra, juxta illud Prudentii :

Una omnes gradiuntur humo,

æque ac unius aeris haustu vivunt. Hinc in terra calorem, frigus, siccitatem, humiditatem, cæterasque qualitates, mutationes et perturbationes sensi et passus sum, æque ac reliqui homines et animalia. Porro, ne infans dum nascitur allisu ad terram lædatur, excipitur ab obstetricibus. Unde S. Ambrosius, epist. 64, quæ est ad *Syagrium* : « Obstetrices dicuntur, eo quod *obstant* ne fœtus laxatis uteri genitalibus in terram debeat; » et Claudius, lib. X :

Quem prima meo de matre cadentem
Excepi gremio.

Et Job, cap. III, 12 : « Cur exceptus genibus ? »

Romani recens natos ponebant in terra quatuor de causis.

Censef noster Pineda, lib. I *De Rebus Salom.* cap. XII, num. 4, hic respici ad prisorum Romanorum ritum, qui pueros recens natos deponebant in terra, ac Opem deam, ut ei opitularetur, invocabant, teste Festo. Idque primo, inquit Varro, lib. II *De Vita pop. Rom.*, ut infans auspicaretur vitalis ac rectus esse. Secundo, ut velut filius terræ ac piæ matris opem et alimenta imploraret,

ait Macrobius, lib. I *In Somn. Scipionis*, et S. Augustinus, lib. IV *De Civ. Dei*, cap. XI, quem audi : « Ipse (Jupiter sive Deus) opem ferat nascentibus, excipiens eos sinu terræ, et vocetur Opis. Ipse in vagitu os aperiat, et vocetur Deus Vagitanus. Ipse levet de terra, et vocetur dea Levana. Ipse cunas tueatur, et vocetur dea Cunina. Non sit alius, sed ipse in deabus illis, quæ fata nascentibus canunt, et vocantur Carmentes. Præsit fortuitis, voceturque Fortuna. In dea Rumina mammam parvulo immulgeat, quia *rumam* dixerunt veteres mammam. In dea Potina potionem ministret. In dea Edutica escam præbeat. De pavore infantium Paventia nuncupetur. » Tertio, ut terram omnium mortalium matrem esse profiteretur, de quo Philo, lib. *De Mundi opificio*. Quarto, ut se in terram rediturum præsignificaret, juxta illud Lucretii, V *De Natura Rerum* :

Omniparens eadem reram commune sepulcrum.

Hic Romanorum fuit ritus; verum an idem fuerit Hebræorum, præsertim tempore Salomonis, difficile est credere, difficilium probare.

Porro homo nascens primo caput emittit, ultimo pedes : audi Plinium, lib. VII, cap. VIII : « In pedes, inquit, procedere nascentem contra naturam est, quo argumento eos appellavere *agrippas*, ut ægre partos, qualiter M. Agrippam ferunt genitum, unico prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis; » et infra : « Neronem quoque paulo ante principem, et toto principatu suo hostem generis humani, pedibus genitum parens ejus scribit Agrippina : ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri. » Audi et Aristotelem, lib. VII *Histor. animal.* cap. VIII : « Situs in utero quadrupedum omnium extensus est; expedum autem obliquus, ut piscium; bipedum vero inflexus contractusque, ut avium; homo etiam in semet conglobatus sic gestatur, ut nasum inter genua, aures extra genua habeat. Omnibus æque animalibus caput primum superius est; sed cum creverint et jam exitum appetant, deorsum deducitur. Ita fit ut omnibus partus secundum naturam in caput, contra naturam in pedes, aut inflexo circumactoque corpore agatur. » Et cap. X : « Nasuntur secundum naturam cætera etiam animalia versa in caput, sed pueri manus quoque ad costas porrectas extensasque habent; qui cum exierint, vocem statim emittunt, et manus in os admovent. Excrementum etiam reddunt, alii statim, alii brevi, sed omnes intra diem; quod excrementum pluris quam pro infantis magnitudine est. Papaverculum hoc mulieres vocant, colore cruentum, atque admodum nigrum et piceum est, mox lacteum jam et albidum redditur; sugit etiam confestim ubera infans. Vocem antequam egrediatur, nunquam emittit, etiamsi cum difficulter egreditur, caput exstet, corpus intus sit totum. »

Nascens primo caput emittit.

Vagitus
infantis
quomodo
fiat?

ET PRIMAM VOCEM SIMILEM OMNIBUS EMISI (legit cum Complutensibus et S. Ambrosio $\xi\alpha\alpha$, id est *emisi*; jam Vaticana et cæteri legunt $\iota\alpha\alpha$, id est *æque*) FLORANS; — græce, $\kappa\lambda\alpha\iota\omega\nu$, id est *vagiens*, (quasi $\kappa\lambda\alpha\iota\omega$, id est *frangens*, inquit Eustachius in IV *Odyss.*, quia vagitus fit per quamdam membrorum violentam quasi effractionem, seu compressionem); et, ut ait Tertullianus, *De Anima*, cap. VII: *Vagitu vitam salutans*: nam infantes primis ab ortu quadraginta diebus vigilantes non vident, nec lacrymantur, sed vagiunt; exactis vero 40 diebus lacrymas fundunt, ut docet Aristoteles, VII *Hist. anim.*, cap. X. Idem VI *Polit.*, cap. XVI, quem sequitur Avicenna, causam physicam assignat, quod vagitus hic et ploratus faciat ad vocis exercitium, et ad corpus roborandum. Verum causa propria moralis est, scilicet peccatum originale, in quo nascuntur, cujus hic vagitus est index et pœna: nam cætera animalia in ortu non vagiunt, imo nullam vocem emittunt. Unde notat Lyranus, Holcot, Lorinus, Pineda cæterique interpretes, masculos dum nascuntur vagiendo vagitum auspicari ab A, quæ est prima littera nominis Adæ protoplasti: feminas ab E, quæ est prima nominis Evæ, quasi de eorum lapsu queritentur. Hinc et Christus, ut per omnia nobis assimilaretur, nostramque culpam lueret et expiaret, vagiendo natus est, juxta illud Fortunati:

Vagit infans inter arcta conditus præsepia.

Causa physica est, quod infantes nascendo magnam sentiant mutationem, transeunt enim nudi ab utero molli et calido ad terram duram et aërem frigidum: rursus a tenebris et somno ad insolentem lucem et vigiliam, etc., quibus omnibus percelluntur, ac dolentes vagiunt. Ita Alexander in *Problem.* Causa symbolica est, quod infans præsentiat, præsagiat, et quasi « nesciens prophetet, » ait S. Augustinus, XXI *Civit.* cap. XIV, mille vitæ ærumnas sibi subeundas, quas deplorat; unde Lucretius, lib. VI, ait:

Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est;
Cui tantum in vita restat transire malorum.

Hæc de causa Thraces, Gadenses, Trausi et Causiani nascentes lacrymis, morientes gaudio et risu prosequabantur, teste Alexandro ab Alexandro, lib. II *Genial.* cap. XXV.

Si cui homini Deus revelaret omnes afflictiones corporis et animæ, illi subeundas per reliquum vitæ, horreret, ploraret, et pene desperaret, quidni ergo eas omnes præsentiens infans ejulet? Audi S. Augustinum, lib. XXI *De Civit.* cap. XIV: « Quis non exhorreat et mori eligat, si ei proponatur, aut mors perpetianda, aut rursus infantia? quæ quidem non a risu, sed a fletu orditur hanc lucem, quod quid malorum ingressa sit nesciens prophetat quodam modo. » Unde Plinius ignorans veram vagitus causam, scilicet peccatum

originale, et naturæ per illud corruptionem, naturam ipsam velut novercam accusans, in *Proemio* lib. VII queritur: « Hominem tantum nudum, inquit, et in nuda humo, natali die abjicit ad vagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, et has protinus vitæ principio, etc., flens, animal omnibus imperatorum. » Additque « non fari, non ingredi, non vesci, breviterque hominem scire nihil sine doctrina, non aliud naturæ sponte, quam flere. »

Præcis Latinis infantes vagiendo *va* sonare videbantur, unde per onomatopœiam *vagire* dicti sunt, ac Vagitanus (qui et levi nominis flexu *Vaticanus* dictus est) deus, ut iis auxilio esset, implorabatur, ait Varro. Audi Gellium, lib. XVI, cap. XVII: « Vaticanus Deus nominatus penes quem essent vocis humanæ initia, quod pueri simul atque parti sunt eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticana syllaba est; idcirco *vagire* dicitur, exprimente verbo sonum vocis recentis. » Romæ Deus hic colebatur in monte, qui ex eo etiamnum *Vaticanus* nuncupatur, quem nunc occupat corpus, sepulcrum et basilica S. Petri, qui omnes christianos, quasi modo genitos infantes lacte suæ doctrinæ aluit et pavit, verus utique eorum *Vagitanus*. Unus hic excipitur Zoroastres, qui in ortu suo non vagiit, sed risit, ut refert Solinus, lib. I *De Mirab. mundi*, cap. III, et hoc fuit portentum malumque omen: nam postea fuit artis magicæ inventor. Cardanus, lib. *De Rerum varietate*, cum de hominis natura agit, cum non nisi post aliquot dies ridere tradit, primumque risum, quem edit, non nisi in somnis existere, quo significari ait nullum, nisi confecto hujus vitæ curriculo, verum ac certum gaudium esse: nam, ut ait S. Augustinus, omnino nihil aliud est tempus vitæ hujus; quam cursus ad mortem; unde Seneca, lib. IV, *epist.* 24, vitam comparat clepsydre, ex qua aqua vel arena sensim citoque tota defluit et deficit: simili enim modo defluunt dies vitæ, quibus mors succedit. Denique infantes nati deponuntur in terram quasi matrem, ut eam velut mox futurum sibi sepulcrum saluent, et inter infantiles vagitus funebres monodias ac nœnias modulentur, juxta illud S. Bernardi, serm. *De S. Martino*: « In terra, inquit, orimur in terra morimur, » *q. d.* Prima vivendi sedes est ultima moriendi; nec majori discrimine ortus et interitus ab invicem separantur, quam hæc duo verba, *orimur* et *morimur*, quæ una tantum littera distinguuntur.

4. IN INVOLUMENTIS NUTRITUS SUM, ET CURIS MA- Vers. 4.
GNIS. — Græce, ἐν σπινθηρίοις, id est *in fasciis* et *in-*
volucris infantilibus; unde et Christum, qui est
verus Salomon, ut nobis esset similis, $\epsilon\sigma\tau\iota\sigma\theta\epsilon\iota\sigma$,
id est *pannis involvit*, id est fasciavit Virgo Dei-
para, *Luc.* II, 7: idque *primo*, quia cum cætera
animalia pilis vestita nascantur, solus homo plane
nudus nascitur, ideoque fasciis, quasi vestibus

Vaticani
origo.

Causa re-
center
nati va-
gitus
moralis
physica
symboli-
ca.

Infans
fasciatur
triplici
de causa.
Prima-

involvendus est. Audi Plinium de natura quasi noverca hominis queritantem in *Proemio*, lib. VII : « Ante omnia unum animantium cunctorum alienis velat, cæteris varie tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumas, pennas, squamas, vellera; truncos etiam arboresque cortice, interdum gemino, a frigore et calore tutata est; hominem tantum nudum, et in nuda humo natali abjicit die, » etc.; et Plutarchus, lib. *De Amore prolis* : « Nihil, ait, est ita imperfectum, inops, nudum, informe et spurcum, ut homo a partu statim conspectus, sanguine inquinatus, taboque oppletus, occiso magis quam nato similis. » Hac sola purpura indutus prodit in lucem princeps æque ac plebeius homo : ex eadem quisque tela conspiciuntur vestitus. *Secundo*, fasciis eget infans, ut iis mollia ejus membra stringantur, confirmantur et solidentur, ne ex vagitu et ineptis pueri motibus luxentur, labefactentur, aut distorqueantur; molestæ ergo sunt infanti fasciæ, ac quasi compedes ejus et vincula, quibus constringitur, sed necessariae ad salutem, unde Galenus, lib. I *De Sanitate tuenda*, cap. VII, et II *De Motu musculi*, cap. VII, et *De Causis morborum*, cap. VII, docet « conducere plurimum tuendæ valetudini infantili, ut fasciis deligetur infans, sed corpori prius toti sale modice insperso, ut membra melius consolidentur atque firmentur, et, nisi commode fascientur infantes, quorum sunt mollia peneque fluxibilia corpora, facile inverti et corrumpi membri cujusque figuram. » Catoni propterea Censorino tantæ curæ fuit apud Plutarchum, « ut nisi se spectante liberos fasciari permiserit. » *Tertio*, fasciæ juvant ut infans, qui quasi quadrupes nascitur, ac manibus pedibusque reptit ut rana, cito consolidatis membris et pedibus, iis incidere valeat bipes ut homo; quam vero hoc sit miserum describit Plinius loco jam citato : « Ab hoc, inquit, lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, et omnium membrorum nexus, itaque feliciter natus jacet manibus pedibusque revinctus : flens animal cæteris imperaturum, et a suppliciis vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natum est : heu dementiam, ab his initiis existimantium ad superbiam se genitos ! » hæc ille.

Secunda.

Tertia.

Puer fasciatus speciem habet defuncti.

Unde hæ fasciæ representant institas, ligamina, sindones et lintea, quibus puer post mortem involvendus est, ut inferatur in sepulcrum. Puer ergo, in cunis fasciatus, speciem habet defuncti jacentis in sarcophago, quia nascitur moriturus, gignitur ut sepeliatur. Sub fasciis cunas cæteraque similia intellige. Accedunt varii dolores, quos ex nimia vel inconcinna fascinatione, multisque aliis incommodis patitur puer, et explicare nequit, sed vagiando et plorando eos prodit, ad quos leniendos tria remedia suggestit natura. Audi Galenum, lib. I *De Sanitate tuenda*, cap. VII : « Tria hæc doloris infantium remedia

nutricibus ipso usu edoctis inventa videamus, scilicet nutricis papillam ori inditam, motum medicrem, vocis modulationem. Rursusque triplicem excogitatam dimotionem infantium, in cunis, in lectulis pendentibus, in suis ipsarum nutricum ulnis. »

ET CURIS MAGNIS. — To *magnis* jam non est in Græco. Perperam P. Nannius pro *curis* legit, *cunis*; forte in aliquo exemplari pro *εφορτία*, id est *curis*, scriptum legit, *εφορτία*, id est *naviculis onerariis*, quæ cunarum speciem referunt; aut *εφορτία*, *εφορτία* enim est *sporta*, vas, corbis, quibus similes sunt cunæ. Porro in cunis, magnis curis et sollicitudinibus parentum, obstetricum, nutricum, pædagogorum alitur et educatur infans; unde varios morbos, ac non raro mortem subit: quocirca illi servando gentiles Cuninam deam præfiebant, ait Varro, et ex eo S. Augustinus, IV *De Civitate Dei*, XI. Porro Gentiles heroum filios recens natos ponebant in clypeo, ut ad bellum eos erudirent; unde positus est in scuto apud Theocritum Hercules, iidem Iphiclus ab Alcmena parente :

Cum ambos lavisset, et lacte replevisset,
Posuit super scutum æreum quod Pterelæ
Amphitryon, pulchram armaturam, ademerat interfecto.

Quin et Lacænae in clypeo pariebant, auctore Nonno *Dionysio* 41. Denique curas has excitulat amor, præsertim matris erga prolem, quia enim impense eam amat, hinc impense eam curat : mensura enim curæ est amor; unde Anacharsis, rogatus « cur conjugio abstineret, » respondit : « Quia nimis amarem prolem ex eo natam. »

5. NEMO ENIM EX REGIBUS ALIUD HABUIT NATIVITATIS (græce, γενέσθαι, id est *ortus*) INITIUM. — Sub ortu accipe conceptionem, nativitatem, educationem; quæ omnia mille periculis et incommodis, ideoque mille curis et anxietatibus sunt obnoxia in homine, non autem in cæteris animalibus, quibus proinde longe infelicior et ærumniosior est homo : dicit hoc Salomon, non tam ut cæteris regibus, quam ut reliquis hominibus plebeiis sese assimilet et adæquet.

6. UNUS ERGO INTROITUS EST OMNIBUS AD VITAM, ET SIMILIS (græca, ἴσος, id est *æqualis*) EXITUS. — Idem ergo est hominis principium, idem finis, solis vero mediis vitæ itineribus discrepant; qui ergo sapit, ea præclare obeat. Pro *ergo* græce est *εἰ*, id est *autem*; sed *εἰ* subinde est illativum, et æquipollet *ergo*, ut superius monui. Pro *introitus* græce est *εἰσόδος*, quæ vox *primo*, est theatralis, et adaptatur personis scenicis in theatrum prodeuntibus, ut in comædia agant personam, hic regis, ille servi, iste militis; unde *εἰσόδος* vocabatur *carmen*, quod in fine comædiæ canebatur, teste Polluce, lib. IV. Similis « est introitus ad vitam; » per eam enim ingredimur in theatrum hujus mundi, ut personam comicam agamus, hic sa-

Magnis curis et sollicitudinibus parentum alitur et educatur infans.

Vers. 5.

Vers. 6.

Vita hominis est primo comædia.

cerdotis, ille principis, iste plebei. Unde Augustus Cæsar, teste Suetonio, moriturus ad amicos ait: « Satisne belle personam nostram egimus? » illis respondentibus *belle*, attrahens claudensque lectuli cortinas: « Valet ergo, inquit, et plaudite, » uti dicunt scenici finita jam comœdia. Homo ergo in hac vita est mimus et histrio in tragœdia, quæ coram Deo, angelis et hominibus exhibetur, juxta illud Pauli I Cor. IV, 9: « Spectaculum (græce θέατρον, id est *theatrum*) facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. » Quisque ergo videat ut decore personam suam agat, ut Deo illius bene actæ rationem exposcenti exactam reddat. *Secundo*, εἰσόδος; convenit navigantibus, qui navim ingrediuntur, ut in portum a se prætensum enavigent: sic ingredientibus in vitam, ingredimur in mare mille tempestatibus et periculis piratarum obnoxium, ut per illud dace Deo, et afflante Spiritu Sancto in portum salutis enavigemus. *Tertio*, εἰσόδος; convenit ingredientibus nundinas et forum, ut in eo merces emanat aut vendant: sic vita nostra est mercatus et nundinæ, ait S. Gregorius Nazianzenus, in quem nascendo ingredimur, ut in eo merces virtutum, meritorum et bonorum operum, quibus mereamur salutem et vitam æternam, comparemus. *Quarto*, εἰσόδος; et ἐξόδος; id est *ingressus* et *egressus*, competit scilicet orienti et occidenti, æque ac lunæ et stellis: mane enim sol oriens ingreditur in nostrum hemispherium, vespere occidens egreditur; sic homo celerrime per vitam et mundum pertransit, ut in nativitate quasi mane oriri, in morte quasi vespere occidere videatur. Sicut ergo sol velocissime eodem die transit ab ortu ad occasum, sic homo a vita celerrime decurrit ad mortem, adeoque vita ejus non est aliud quàm transitus continuus ab ortu ad occasum et mortem. *Quinto*, εἰσόδος; convenit athleticis, cursoribus et curribus in stadium pro præmio ingredientibus, in eoque ad metam celerrime decurrentibus: sic enim vita nostra est stadium, in quo certamus et decurrimus ad metam et palmam cœlestem; quare mors sapientibus et sanctis non tam est finis vitæ, quam mortis, ac veræ vitæ initium, et æternitatis janua, uti passim docent SS. Patres, quin et philosophi.

Mors janua immortalitatis. Gædonæ.

Audi paucos e multis. Maximus Tyrius Platonicus, *serm.* 25: « Hoc, ait, quod *mortem* homines vocant, id ipsum est immortalitatis initium et futuræ vitæ procreatio. » Indi brachmanes apud Strabonem, lib. XV, affirmant « mortem esse nativitatem ad illam veram atque felicem vitam. » Palladius, lib. I *Florileg.*: « Anima e corpore tanquam e carceribus mortis fugit ad Deum immortalem. » Apollonius Tyaneus apud Philonem, lib. VII: « Nos, inquit, homines in carcere sumus omni tempore, quod nos *vitam* appellamus, et qui primi domos invenerunt, non animadvertisse videntur, quod alio carcere seipsos circumdarent. » Cicero in *Catone Majore*: « Dum sumus

in his conclusi compaginibus corporis, munere quodam necessitatis, et gravi opere perfungimur: est enim animus cœlestis ex altissimo domicilio depressus; et quasi demersus in terram, locum divinæ naturæ æternitæque contrarium. » Idem, in *Somnio Scipionis*, agens de heroibus romanis: « Qui, inquit, e corpore tanquam e carcere evolarunt. » Themistius apud Stobæum, *serm.* 121: « Videtur, inquit, ipsum τοῦ θανάτου, id est *mortis*, nomen, hominem e vita migrantem, non ad locum aliquem sub terram referre, sed extollere ἀνω εἰς θεόν, hoc est *sursum ad divinam sedem*: sic enim probabile est animam veluti a vinculo corporis, quod exspiravit, solutam, tum demum vere respirantem, sequere recreantem, Deo sociari, et ab eo pendere. » Idem Themistius *ibid.*: « Mortis, ait, effectum subire, simile est initiationi in magnis aliquibus sacris; quocirca ut ipsa vocabula; sic etiam res inter se consimiles sunt: τελευτῆν enim *mori* est; θείατα, *sacra*; τελεῖσθαι, *initiare*, nam post mortem mirabilis quædam lux occurrit, aut loci puri, aut amœna præta defunctos excepiunt, in quibus voces, choreæ et venerabiles de rebus sacris narrationes resonant: illic homo jam perfectus initiatus, sui juris factus est liber, coronatus obambulans sacra celebrat, et conversatur cum viris sanctis purisque, profanam in terra et impuram turbam inspiciens, quæ in profundo cœno et caligine a seipsa conculcatur et compellitur. »

Ex quibus omnibus recte concludit S. Maximus episcopus Taurinensis in *Cent. V*, cap. LXXVI: « Non puto finem vitæ hujus justum esse *mortem* appellare, sed *recessum a morte*, separationem a corruptione, tenebrarum subductionem, ut in summa dicam omnium consummationem malorum. »

7. PROPTER HOC OPTAVI, ET DATUS EST MIHI SENSUS: ET INVOCAVI, ET VENIT IN ME SPIRITUS SAPIENTIÆ. — Subdifficilis est hoc loco nexus, non satis enim liquet quid referat ὅ *propter hoc*. Respondet *primo* noster a Castro, sicque explicat, *q. d.* *Propter hoc*, id est propter ærumnas meas jam recensitas, quia scilicet vidi me natum in summa miseria, nec posse meis viribus ac industria sapientiam comparare, in hoc volui præferri aliis, quod confugi ad sapientiæ auctorem et largitorem; cognita ergo infirmitate mea, et Dei summam potentiam et liberalitatem oplavi. *Secundo*, magis genuine noster Lorinus: Humanæ, inquit, imbecillitatis consideratio impulit eum ad concupiscendam et poscendam a Deo sapientiam, responditque voto ac precibus eventus, et animæ, quam sciebat esse immortalem, accommodatam perfectionem adeptus est: philosophia enim mortalitatis meditatione gignitur. *Tertio*, Jansenius: Quia commune est omnibus initium nativitatis, et quia vidi me sicut reliquos homines natum in ignorantia, ideo optavi sensum et sapientiam, quæ hanc ignorantiam dirigeret, imo depelleret. *Quarto*, noster Pineda, lib. I *De Rebus Salomonis*,

Mori, quid?

Vers. 7. Multi-plex sensus τοῦ propter hoc.

cap. XII : « Propter hoc, » inquit, quod scilicet viderem me ex naturæ primordiis cæteris nihilo meliorem, « optavi (votum concepi, qua me ratione excellentiorem efficerem), et datus est mihi sensus » intelligentia, scientia, prudentia : nam ea nomina, quæ discrimen aliquod inter homines efficiunt, non sunt naturæ, sed vel fortunæ, ut liberi et servi, regis et subditi, divitis et pauperis; vel virtutis, laboris et industriæ, ut probi vel improbi, sapientis vel stulti, digni indignique laude.

Vivere commune est, sed non commune mereri,

inquit Prudentius disputans adversus Symmachum; et Felix Minutius : « Generosus es? parentes tuos laudas : omnes enim pari sorte nascimur, virtute distinguimur : » idem Pineda, lib. VI, cap. IX : Hinc illa, inquit, Salomonis in eam quæ vera ex virtute laus et gloria est, animi accensio et incitatio, vere regio et excelso animo digna : nam cum eadem essent omnibus vitæ primordia, et similes progressionis et exitus : « Propter hoc (ut aliis excelleret) optavit, et datus est illi sensus; invocavit, et venit in illum spiritus sapientiæ, et preposuit illam regnis et sedibus, » Sap. VII, 7; atque hæc est illa famæ et nominis immortalitas, quam sibi proponebat et expetebat. Sap. VIII, 13 : « Habebo immortalitatem, et memoriam æternam his, qui post me venturi sunt, relinquam. »

Omnia hæc vera, et huic loco apposita sunt et congrua : Salomon enim, quia duplicem personam sustinebat, duplicem hic postulat sapientiam, scilicet unam, quæ eum ut personam privatam instrueret, alteram quæ eum ut personam publicam dirigeret. Sensus ergo est, q. d. Quia vidi me natum in tanta miseria et ignorantia, optavi et postulavi sensum et prudentiam, quæ me doceret in vita tam misera et cæca recte sapienterque vivere, ac miseras vitæ vel prudenter curare, vel fortiter sustinere, ejus vero concupiscentias inordinatas et noxias generose cohibere et frænare; denique a voluptate hujus vitæ, utpote brevis et caducæ, mentem avocare, eamque ad futuram vitam in cælis beatam et æternam ambiendam, totisque viribus prosequendam traducere. Rursum, quia rex sum (hæc enim oratio videtur esse illa, qua initio regni postulavit a Deo sapientiam ad regendum, III Reg. III), postulavi sapientiam non plebeis communem, sed regalem, omnibus superiorem et excellentiorem, qua subditis antecellerem, eosque sapienter regerem et dirigerem ad pacem et felicitatem tum præsentem, tum æternam : rex enim æmulari debet Dei sapientiam et sanctitatem, nam, ut ait Polybius apud Stobæum, *serm.* 6 : « Honestum deorum est, aut eorum qui diis proximi censentur; » et Jamblicus, *epist. ad Agrippam* : « Oportet, inquit, legibus præfectum summe purgatum esse, juxta summam legum rectitudinem, ac ne-

que seductione, neque fraude falli per ignorantiam, neque vim inferioribus inferre, nec ulla occasione injusta allici : nam servatorem et custodem legum, tam incorruptum oportet esse quam summe fieri potest in humana natura. »

OPTAVI, — græce ὀρέσθην, id est optavi, oravi, supplicavi, votum concepi : optare enim facit orare et postulare; imo desiderium suum patefacere superiori, præsertim Deo, est orare juxta illud *Psalm.* X, 17 : « Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua; » hinc solerter Noster vertit, optavi, potius quam oravi, ut orationis fontem indicaret, scilicet optationem et vehemens sapientiæ desiderium; præsertim quia orationem mox exprimit, dum subdit : « Et invocavi. » Moraliter docet hic initium sapientiæ et sanctitatis esse ingens ejus votum et desiderium, juxta illud Christi, *Joan.* VII, 37 : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat; » hinc Christus a Jacob patriarcha vocatur, *Genes.* XLIX, 26, desiderium collium æternorum; et apostoli in Pentecoste per decem dies desiderantes et invocantes receperunt Spiritum Sanctum. Idem fac et tu, ac cum Ecclesia ardenti affectu, magnaue obtinendi fiducia suspira et supplica : « Veni, Creator Spiritus, reple tuorum corda fidelium. » Ita S. Thomas Aquinas profitebatur se sapientiam suam magis oratione, quam studio impetrasse : nam « omnis sapientia a Domino Deo est, » *Eccli.* I, 1.

Fons orationis des. desiderium.

ET DATUS EST MIHI SENSUS, — græce ἐπίστασις, id est prudentia, scientia, intelligentia; Noster vertere solet, *sensus*, ut scilicet in omnibus sensato, sapienter et honeste me gererem.

8. ET PRÆPOSUI ILLAM REGNIS ET SEDIBUS (græce, *Vers. 8.* *σέπτρις et θρόνις*, quæ regis et regni sunt insignia), ET DIVITIAS NIHIL ESSE DUXI IN COMPARATIONE ILLIUS, — græce, ἐν συγκρίσει, id est in *dijudicatione* illius, si cum sapientia dijudicentur et in *judicio* certent utra alteri præstat : rationem a priori dat ipsa Sapientia, dicens *Proverb.* VIII, 14 : « Meum est consilium, et æquitas : mea est prudentia, mea est fortitudo : per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt; » et *Vers. 18* : « Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia. Melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argenteo electo : » vide ibi dicta. Hinc multi fideles, quin et philosophi ut Crates, Democritus, Anaxagoras abjecerunt opes, et abdicarunt regna, ut vacarent sapientiæ et sanctitati, quorum nonnullos superius recensui : nam opes et regna sæpe invidis eripiuntur, sapientia et sanctitas invito eripi nequit; sic apostoli dixerunt Christo, qui est dux sapientiæ : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, » *Matth.* XIX, 27.

Sapientia præstantior sceptris et divitiis, cur?

9. NEC COMPARAVI ILLI LAPIDEM PRETIOSUM : QUONIAM OMNE AURUM IN COMPARATIONE ILLIUS, ARENA EST EXIGUA : ET TANQUAM LUTUM ÆSTIMABITUR ARGENTUM IN CONSPECTU ILLIUS, — q. d. Sapientia

Vers. 9. Sapientia

pretiosor
auro ac
gemmis,
cur?

longe præstantior est omni auro et gemmis; sapientia aspectu obscuratur auri fulgor, infusatur argentei candor, hebescit margaritarum nitor, et quidquid illustre et pretiosum est, sordescit et vilescit, adeoque ipse Plutus (græce enim est πλούτης) quem gentiles ut opum deum adorant: quid enim est argentum et aurum, nisi terra alba et rubra? ait S. Bernardus, serm. 4 De Adventu. Pro in comparatione græce est, ἐν ὄψει, id est in visione, in conspectu; hinc Plato, lib. III De Republ., sapientes et virtute eximia præditos ait conflatos ex auro et argento, sed cœlesti, quod terreno præstet, cæteros ex ære et ferro: audi eum: « Deus effector hominum principibus reipublicæ, qui cæteros præcedebant, miscuit pectori aurum cœleste, id est virtutes divinas, ut alta quadam et excelsa mente essent; illis autem, qui hos adjuvarent in gubernando rempublicam, cœleste pectoribus indidit argentum, id est præclarum virtutum ornamentum, etiamsi subsisterint infra dignitatem priorum; ut et ferrum et æs miscuit agricolis et aliis opificibus, qui reipublicæ serviunt. » Addit tamen: « Eos quibus Dominus aurum et argentum cœleste pectoribus miscuit, contemnere debere terrenum aurum et argentum, neque loculos habere oporteret, neque sequi opes. » Alludit ad illud Job. XXVIII, 13: « Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus, » nec sapphirus, nec topazius, nec Indiæ colores cæteraque, quæ subdit: quare stultorum vox est illa apud Horatium, lib. I, epist. 1:

O cives, cives, quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos,

Sapientia thesaurus absconditus, vel pretiosa margarita.

Pro pretiosum, græce est, τίμιον, nonnulli legunt τίμηρον, id est honorarium: sunt qui legunt ἀτίμηρον, id est vilem, inhonorabilem, despectum, quo velit significare quemvis lapidem pretiosum sine honore, ac sine pretio esse, si cum sapientia comparetur; unde sic legunt, non comparavi ei lapidem, tanquam despectui habitum præ sapientia; sed communis lectio habet, τίμιον, id est pretiosum. Huc faciant duæ Christi parabolæ, prior de thesauro abscondito in agro, Matth. XIII, 44, « quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum; » et de pretiosa margarita inventa ibidem, vers. 46, quam ut compararet industrius negotiator, « abiit et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam: » nam sapientia thesaurus est et margarita unica. Quod si « in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi, » Coloss. II, 3, jure optimo Apostolus ad Philip. III, 8: « Existimo, ait, omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrificiam. »

Vers. 10. 10. SUPER SALUTEM ET SPECIEM (græce, super sa-

nitatem et formam, sive pulchritudinem) DILEXI ILLAM, ET PROPOSUI PRO LUCE HABERE ILLAM: QUONIAM INEXSTINGUIBILE EST LUMEN ILLIUS. — « Proposui pro luce habere illam, » alii vertunt, præ luce, q. d. Anteposui illam luci; hinc græce est προελάμνω, id est elegi; unde Vatablus, usumque ejus luci præoptavi, vel præelegi, ut cujus splendor supprimi non possit. Noster aptius vertit, proposui pro luce: græcum enim ἀντι φέρω, primo, verti potest, pro luce, vice lucis, instar lucis; secundo, super lucem, præ luce: duo enim significat Salomon, primo, sapientiam se præposuisse luci; secundo, se vice lucis non alio lumine usurum quam ipsa sapientia. Sapientia enim est lux lucidissima, quæ mentem illuminat ad omnia cognoscenda, et rite peragenda: lucem hic tum externam solis, tum internam, puta lumen oculorum, accipe, q. d. Sapientiam chariorem habui, non tantum luce solis, sed et meis oculis, et luce visuque oculorum; in rebus agendis statui non alio uti visu, non aliis oculis, nisi ipsius sapientiæ, hæc enim per omnes rerum tenebras viam ostendit, secureque deducit ad metam vitæ æternæ. Huc usque sapientiam præposuit bonis externis, sive fortunæ, uti sunt aurum et argentum; nunc præponit eandem bonis internis, uti sunt sanitas sive valetudo, forma sive pulchritudo, visus et intuitus lucis; quibus tantum sapientia præstat, quantum corpori animus, cujus ipsa est sanitas, pulchritudo et visus.

SUPER SALUTEM ET SPECIEM DILEXI ILLAM. — Primo plane, quasi dicat: Magis amavi et optavi sapientiam, quam corporis sanitatem, robur et decorem, quia sapientia, utpote spiritalis et dos nobilissima, præstat omni rei et doti corporeæ. Innuit sapientes sæpe minus pollere robore corporis, et robustos admodum minus pollere sapientia: sic enim Deus dona sua distribuer et partiri solet. Adde corpus alias dispositiones exigere ad robur, et subinde contrarias ad sapientiam requiri; unde illud:

Ingenio pollet, cui vim natura negavit.

Secundo, Petrus Blesensis, epist. 81, censet hic sapientiæ studiosos invitari ad laborem et studium sapientiæ, etiam cum jactura sanitatis et formæ, quod par sit rem tantam, quanta est sapientia, quavis corporis jactura emi: Hinc videmus studiosos laborare stomacho, capite, phlegmate, ferique macilentos, valetudinarios et decolores, ideoque brevis esse ævi: studendo enim exhauriunt optimos spiritus, et calorem a stomacho avocant ad cerebrum, ex quo oritur stomachi indigestio, cruditas, flatus, phlegmata, vertigines, hemierania, etc. Sic Aristoteles naturali stomachi infirmitate laborabat, eamque calidi olei utriculo ventri admoto levare solebat, ait Ammianus, lib. XVI, ut mirum sit eum ad ætatem 63 annorum pervenisse, et assiduos dolores tamdiu tanta animi virtute sustentasse: « fuit enim in lucu-

Sapientia præstantior omni re et dote corporeæ.

Studiosi minus sani, cur?